Astr

VITT. EMANUELE

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

32
F
91

Digitized by Google

Digitized by Google

ARMAMENTARIUM AUGUSTINIANUM

ADVERSUS

HÆRESES,

QUADRUPLICI METHODO APPARATUM ET INSTRUCTUM,

In Subſidium Tyronum Militantis Eccleſiæ.

Per F. BARTHOLOMÆUM D'ASTROY, Recollectum Leodienſem, & Miſſionarium Trajectenſem.

Biblot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

LEODII,
Typis Viduæ Balduini Bronckart, ſub ſigno S. Franciſci Xaverii. 1664.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

2-10

Digitized by Google

IESV CHRISTO

Authori & Conſummatori Fidei, Heb.12.

Benedicto ſuper omnia, Rom. 9.
Capiti Corporis Eccleſiæ, Coloſſ.1.
Duci qui regit Populum Iſrael, Matth.2.
Epiſcopo Animarum, 1 Pet.2.
Fideli & Veraci, Apoc.19
Generi & Radici David, ibid.22.
Hæredi Univerſorum, Heb. 1.
Judici Vivorum & Mortuorum, Act.10.
Legiſlatori, Iſai.33.
Mediatori Dei & Hominum, 1.Tim.2
Nazaræo, Matt. 2.
Orienti ex Alto, Luc. 1.
Principi Pacis, Iſa.9.
Qui Eſt & Qui Erat, Apoc. 16
Redemptori, Iob.19.
Salvatori Hominum, 1.Tim.4
Teſti Fideli, Apoc. 1.
Viæ, Veritati & Vitæ, Ioan. 14.

I*Táne* DOMINE JESU, *Itáne oportuit eſſe, ut re-* Matth 2
cens natus Herodem vitæ tuæ inſidiatorem; ætate verò prove- Ioan. 15.
ctior, Evangelizans & opera faciens, quæ nemo alius fecit, Matt. 1.
Scribas & Phariſæos obtrectatores: Iudæos contradictores: pro- Ioan. 7.
pinquos oblocutores; Diſcipulum proditorem, & tandem populum Marc.14.
tuum perſecutorem ac crucifixorem patereris? Atque utinam te
pro inimicis tuis acerbiſſimam mortem obeunte, fuiſſent emor-
tua illorum odia: vel ſaltem te reſurgente, & ad Patris con-
ſeſſum in Cælos obeunte, oppilaſſet omnis iniquitas os ſuum, Pſal.106.
ac adverſarii tui verentes eum, cui data eſt omnis poteſtas Mat.ult.

in cælo & in terra, *timore pœnæ, ſi non amore Juſtitiæ deſiiſſent*
Act. 9. contra ſtimulum calcitrare. *Sed ecce unde pax ſperari poterat, bellum longè atrociſſimum exarſit. Tartareæ quippe Legiones Orco excitæ, ſæculares poteſtates irâ odioq; inſlammatæ, Judæi ipſi furoris œſtro perciti, quia in proprium Corpus tuum ſævire jam ultra non poterant, in ſervos tuos, electiſſima Corporis tui Myſtici membra, rabiem omnem effuderunt; ut proinde Fideliorum tuorum ſanguine, per annos propemodùm trecentos tibi parentatum fuerit.*

Attamen ferenda utcumque videretur, vel Dæmonum pro nefario cultu ſuo (quem abrogandum ternebant) furentiſſima exacerbatio: vel Ethnicorum pro tuenda ſuperſtitione (quam delendam intuebantur) miſeranda inſania: vel Iudæorum pro ritibus ac figuris ſuis (quas velut umbras illuceſcente veritatis ſole fugandas proſpiciebant) Caco-zelus implacabilis. Quis verò non
1. Ioan. 2. *miretur, imò non altiùs ingemiſcat,* exiiſſe quoſdam è nobis, *hoc eſt, è Chriſtianorum cœtu, eosque nec numero paucos, nec viribus contemnendos, qui rupto fœdere, violatoq; Sacramento quo obſtringebantur, apertiſſimum bellum nom tam Eccleſiæ tuæ, quàm tibi illius Regi, Sponſo, Capiti, horrendâ rebellione indixerint?*

Si quis rectè expenderit, nullum videbit ab Eccleſia condita fluxiſſe ſæculum, imo vix ſæculi partem, ſine perduellium multiplici conjuratione, ſine novorum monſtrorum exortu, ſine luctuoſiſſimo bello, ſine acerrima dimicatione, ſine graviſſimo maximèque formidando periculo.

Epiphan. Hæreſ. 21 *Ecce in ipſis ejuſdem Eccleſiæ cunabulis,* Simon ille Magus,
Iren. l. 1. c. 20. *Proto-Hæreſiarcha ſceleratiſſimus, movit arma nefaria ut velut alter Herodes vix dum natam opprimeret, & ab ortu ſuo recentem jugularet. Quem mox ſubſecuti ſunt primo ſæculo* Me-
Epiphan. Hæreſ. 22 28 & 30. nander, Cerinthus, Ebion & Nicolaitæ, *immanes belluæ,*
Apoc. 2. *ac feræ peſſimæ ad devorandam Eccleſiam à Diabolo immiſſæ.*

Aug. hæreſ. 5. *Secundo ſæculo effuſæ ſunt phalanges impuriſſimæ* Saturnianorum, Baſilidianorum, Carpocratianorum, Valenti-
Epiphan hæreſ. 23 27. 31. 41 & 48. nianorum, Gnoſticorum, Cerdoniſtarum, Marcioniſtarum & Montaniſtarum ſeu Cataphrygum, *qui penè con-*

fectum

ſectum ab Apoſtolis & Apoſtolicis Viris bellum, implacabili furore redintegrarunt: ut dum foris ferro flammâque ſævirent Cæſares, & intus Hæretici lancinantes graſſarentur, vix dum adoleſcens Eccleſia tantùm non obrueretur.

a *Tertio ſæculo in aciem prodierunt* Novatiani, Sabelliani, Chiliaſtæ, Samoſetani & Manichæi (*ut alios prætermittã*) *qui Spiritibus immundis adversùs Eccleſiæ Spiritum dimicarunt.*

b *Quarto*, Donatiſtæ, Meletiani, Ariani, Circumcelliones, Macedoniani, Luciferiani, Aëriani, Apollinariſtæ, Priſcillianiſtæ, Helvidiani, Jovinianiſtæ; & Rogatiani, *cruentiſſimo ſi unquam aliàs prælio decertarunt.*

c *Quinto*, Vigilantiani, veriùs Dormitantiani, Pelagiani, Neſtoriani & Eutychiani, *quacumque jam latiſſimè patebat, Eccleſiam concuſſerunt, & quò ſubtiliora erant Adverſariorum arma, eò majus diſcrimen, & formidabilius certamen.*

d *Sexto*, Thalmudiſtæ, *hæreditarii Chriſtianorum hoſtes, &* Monothelitæ *ad laceſſenda Eccleſiæ caſtra proruperunt.*

e *Septimo eoq; infauſtiſſimo ſæculo, flagitioſiſſimus Impoſtor* Mahometes, *vehementiſſimus Diaboli conatus, ad Ovile Chriſtianum diſperdendum, mactandum ac devorandum ſubmiſſus pene ſufficiens videbatur, ſi* Portæ inferi adversùs illud prævalere poſſent.

f *Octavo*, Iconoclaſtæ, Pauliciani & Albanenſes, *Saracenorum inſultibus debilitatas acies oppugnarunt.*

g *Nono demùm ſæculo, ne quid mali deeſſet, exortum eſt infœliciſſimum illud* Græcorum Schiſma, *quod lamentabilem in modum, Eccleſiæ viſcera diſrupit ac dilaniavit, & hactenùs ne Gladio quidem Turcico potuit expiari.*

h *Decimo, Continuatum idem Schiſma cum latiori hiatu, & ſubinde pullulantes* Antropomorphitæ, *negotium faceſſerunt.*

i *Vndecimo ſæculo*, Berengarius Andegavenſis *ipſam Fidei arcem aggreſſus, temetipſum* Domine JESU, *è Solio tuo Euchariſtico dejicere tentavit, Titanio quidem irritoq; molimine; peſſimo tamen* Zuinglianis ac Calvinianis *impiiſſimum illud bellum poſtea renovantibus, exemplo præivit.*

Quamquam ſi altiùs repetenda ſit peſſimi mali peſſima ſca-

a Aug. hær. 38. Epiph. hær. 59. Sander. Baron. Alphonſ. à Caſtr. b Aug. hær 69. Epiphan. hær. 68. Baron. Onuph. Sander. c Hieron cont. Vigilant. Gennad. Auguſt. Baron. d Sixt. Senenſis Damaſc. Baron. e Petr. Cluniac. Sander. volaterr Baron. Genebr. f Alphõſ à Caſtro. Euthym Gregor. Turon. Prateol. g à Caſtro Sander. Prateol. h Sigeb. Genebr. i Baron. Sander. Genebr. Prateol.

Digitized by Google

turigo, facile erit deprehendere non ab alio, quàm ab ipſo Juda Iſcariote *arceſſendam eſſe. Sciebas enim ab initio* Domine JESU *quinam* forent non credentes, & quis te traditurus eſſet, *ac propterea dixiſti:* Nonne vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus eſt? *Itaque non immeritò gloriari poſſunt Sacramentarii, ſe tantùm ac talem habere progenitorem, è cujus putidis viſceribus, inſtar ſcaturientium vermium ad Sacro-Sancti Myſterii labefactandam Fidem prodierunt.*

Ioan. 6. Chryſoſt hom. 46. in Ioan 6.

Duodecimo ſæculo, Petrobruſſiani, Waldenſes & Albigenſes, *tanquam ventoſi quidam flatus Eccleſiam agitarunt.*

Prateol. dupl. in Phil. 11. Bernard. Lucemb. Thomas vvald. Geneb. Sander.

Decimo-tertio Flagellantes & Fraticelli, *illius arma exercuerunt.*

Decimo-quarto, Beguardi & Wicleffitæ *ſucceſſerunt, nè vel tantillum otii ad reſpirandum concedi videretur.*

Decimo-quinto, Huſſitæ, Thaboritæ, & Pikardi *Bohemiam invaſerunt. Verùm his utcumque propulſis ac profligatis, quum optatæ pacis ſpes affulgeret, de repente gravioris quàm unquam anteà belli moles incubuit.*

Florim. Remond

Sub initium namque ſæculi decimi-ſexti, Lutherani *primùm, deinde* Anabaptiſtæ *penè innumeri, mox* Carolſtadiani, OEcolampadiani, Melanchtonici, Libertini, Zuingliani, Calviniſtæ, Servetiani, Brentiani, Sociniani, Oſiandrii, Stancariani, Muſculani, Majoriſtæ, Valentiniſtæ, Flacciani, Trinitarii, Heshuſiani, Suencfeldiani, Puritani, Mennonitæ, *& denique quicquid virium potuit infernus extremo conatu colligere ac exerere, id omne adversùs Eccleſiam erupit & irrupit; ad eam proculcandam ac peſſumdandam, viamq; planiorem Anti-Chriſto præparandam. Vt proinde omnium mirabilium tuorum* (Domine JESU) *hoc unum vel maximè in admirationem rapiat, quod tot ingruentibus procellis, tot fœdiſſimis ſævientibus tēpeſtatibus, tot incūbentibus ventis ac motibus adverſis, navicula tua nuſquam fecerit naufragiū, nullis fluctibus hauſta perierit, nulliſq; turbinibus abrepta, à veritatis portu (quo te Auſpice & Duce tendebat) unquam aberrarit.* Verè hoc opus dexteræ tuæ. *Quòd manifeſtiſſimè, ſi unquam aliàs, hiſce noviſſimis temporibus* patuit,

patuit, dum Lutherani, Zuingliani, Calviniſtæ, & id genus, omnes ferè conſepultas Hæreſes ab inferis rursùs excitarent. Dum orationes & oblationes pro defunctis cum Aërianis *exploderent: dum Eccleſiæ ruinam cum* Donatiſtis *prætenderent ac prætexerent: dum Sanctis eorumq; Reliquiis honorem cum* Vigilantianis *negarent: dum Monachos eorumq; Monaſteria & vota cum* Manichæis *ſuggillarent: dum Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum cum* Berengarianis *oppugnarent, araſq; Chriſtianas funditùs everterent; dum Sacras Imagines, & Cruces cum* Iconomachis *effringerent: dum omnium denique ſeſe Hæreſeon ſentinam efficerent; ita ut eadem adversùs eos arma reſumenda fuerint, quæ olim contra omnium ferè ſæculorum Hæreticos ſumpta fuerant.*

Verumtamen quia non dormitas neque dormis qui cuſtodis Iſrael, factus es adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis, *& oportunum in omni tempore malo auxilium ſubmiſiſti.* Pſal. 110. & 45.

Primo namque ſæculo, invadentibus Eccleſiam tuam Lupis rapaciſſimis, *oppoſuiſti Apoſtolos à temetipſo electos, & Apoſtolicæ fortitudinis ac conſtantiæ Viros,* Dionyſium, Ignatium, Clementem, Polycarpum, *& ejuſcemodi Duces invictiſsimos.*

Secundo ſæculo, Juſtinum, Irenæum, *aliosque* ſuper muros Hieruſalem Cuſtodes. Iſaiæ 62.

Tertio, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, Cyrillum, Gregorium Neocæſarienſem, *& ejuſcemodi viros* per quos ſalus facta eſt in Iſrael.

Quarto ſæculo, Athanaſium, Nazianzenum, Nyſſenum, Baſilium, Hilarium, Epiphanium, Ambroſium, Hieronymum, *decora & ornamenta ſui ſæculi.*

Quinto, Chryſoſtomum, *& (qui multorum inſtar eſſe potuit)* Augustinum.

Sexto demùm ſæculo prodierunt Gregorius Magnus Fulgentius, *aliaque fulgentiſſima Eccleſiæ lumina.*

Septimo, Maximus Conſtantinopolitanus, Ildefonſus.

Octavo, Beda Damaſcenus, Alcuinus.

Nono, Remigius, Rabanus, Nicephorus, Paſchaſius.
Decimo, Radulphus, Stephanus Eduenſis.

Vndecimo ſæculo, Anſelmus, Damianus, Theophilactus, Fulbertus, OEcumenius, Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Adelmannus, Durandus *Epiſcopus Leodienſis, cujus ea laus eſt*, quòd prima ſpicula in virulentũ draconem (*Berengarium*) vibrata fuerint à Nobiliſſima Eccleſia Leodienſi, Catholicæ Fidei tenaciſſima; in primis verò ab ejus Epiſcopo Durando, nec non ab ejuſdem Eccleſiæ Scholaſtico, inde verò Brixienſi Epiſcopo Adelmanno, *cujus etiam gloriæ particeps fuit præmemoratus* Algerus *è Canonico ac Scholaſtico Leodienſi, poſtmodum Cluniacenſis Monachus, tribus editis adverſùs Sacramentarios luculentis Tractatibus.*

Baron. Ann. Tom. 11. ad annũ Chriſti 1035.

Duodecimo ſæculo claruerunt, Bernardus Claræuallenſis, Petrus Cluniacenſis, Hugo, Richardus, Lombardus.

Decimo tertio, Alenſis Bonaventura, Thomas Aquinas.

Decimo quarto, Durandus, Paludanus, *plurimique alii Doctores*.

Decimo quinto, Gerſon, Thomas Waldenſis, Dionyſius Carthuſianus.

Decimo ſexto, Roffenſis, Eckius, Cochlæus, Alphonſus à Caſtro, Panigarola, Salmeron, *ut reliquos prætermittam.*

Noſtro denique decimo ſeptimo ſæculo, penè innumeros non ſolùm Strenuiſſimos Duces, ſed & exploratæ Virtutis Milites, velut delectu habito, Eccleſiæ tuæ Militanti (Domine JESU) *ſuppetias miſiſti*, ut prælientur præliũ Iſraël, *Quales fuerunt* Baronius, Bellarminus, Peronius, Becanus, *& cæteri quos hic recenſere prolixiùs foret, & quorum plurimi adhuc ſuperſtites, pro Eccleſiæ defenſione quotidie deſudant, ac fortiſſimè contra Adverſarios decertant.*

1. Mach. 3.

Neque illud omittendum, quòd ſingulis quibuſque ſæculis, eximiæ Sanctitatis homines non ſolummodò operum ſed etiam ſignorum ac miraculorũ gloria coruſcantes, Eccleſiam miro ſplendore illuſtrarint. Vti fuerunt Sancti illi Viri, Bruno, Bernardus, Norbertus, Dominicus, Franciſcus, Ludovicus & alii quamplurimi,

rimi. Vt dum Hæretici Eccleſiam obſcurare ac tenebras offundere conarentur, tot veluti radiantium ſiderum luminibus, clariùs effulgeret, nulliq; veram Eccleſiam quærenti non innoteſceret. Imò ab illis ipſis temporibus, quibus eam calumniantur Adverſarii à ſua puritate defeciſſe, & in Superſtitiones ac Idololatrias prolapſam, meram tandem Babylonem evaſiſſe, non defuerunt ſingulis ætatibus ad hæc uſque tempora, qui ſingulari vitæ ſanctimoniâ doctrinâ & miraculis plurimas gentes ad ejuſdem Eccleſiæ gremium aggregarent.

Etenim poſt Gregorium Magnum (*quem Calvinus* ultimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum vocat. & pro Sancto agnoſcit) B. Auguſtinus *Monachus, Anglorū Apoſtolus floruit, qui eoſdem ad Fidem convertit.* Sanctus Lambertus *Epiſcopus & Martyr, Taxandriæ populis Evangelium prædicavit.* Sanctus Kilianus *Francis Orientalibus veram Evangelii lucem intulit.* Sanctus Bonifacius *Germanos in obſequium Fidei captivavit, alii denique Sanctiſſimi ac* Catholiciſſimi *viri, ſubſequentibus temporibus Vandalos, Bulgaros, Sclavos, Polonos, Danos, Moravos, Hungaros, & alios Barbaros ac efferos populos, ſub Chriſti Domini ſuaviſſimum jugum adduxerunt, ut fatentur Centuriatores Magdeburgenſes, quantumvis Eccleſiæ Romanæ hoſtes infenſiſſimi. Donec tandem ſuperiori ſæculo apertum eſt ingens illud oſtium, ad pervadendas Indias, antea nobis ignotas, & Fidei ſemen in vaſtiſſimis illis ac remotiſſimis Regionibus diſſeminandum, ut novis converſarum gentium frugibus tecta Romana locupletarentur, & jactura per Hæreſes in aliquot Europæ angulis illata, tot populorum ad Eccleſiam acceſſione reſarciretur.*

Calvin. l. 4. Inſt. c. 7. Magdeburg. Centur. 6. Iidem Centur. 7. & 8. Centur. 10. 12. & 13.

Tua etiam (Domine JESU) ***inſtinctu divino factum eſt, ut plurimæ per diverſas orbis Chriſtiani Regiones erectæ fuerint Academiæ, tanquam validiſſimæ quædam*** Munitiones contra faciem Idumeæ, ***è quibus exercitatiſſimorum Cataphractorum educta copia, non ſolùm eminus hoſtes ſubmoverunt, verumetiam collatis cominus ſignis devicerunt. Ejuſcemodi Academiæ ſunt celeberrima illa & florentiſſima Lovanienſis, nec non Duacenſis in Belgio: Colonienſis ac aliæ pluri-*** 1. Mach. 4.

a 5 ***mæ***

ma in Germania: Pariſienſis multarum fœcunda parens in Gallia (ut cæteras prætermittam) quæ etiam in ipſis Indiis vel jam fundata ſunt vel fundari cœperunt, magno Eccleſiæ bono, Ex his enim prodierunt innumeri Præclariſſimi Viri, qui eam & in pace ornarent, & furentibus Hæreticorum bellis, egregiè tuerentur.

Denique eodem nutu tuo ac inſpiratione (Domine JESU) *præter Epiſcopos velut Caſtrorum Præfectos, & præter Paſtores tanquã Ordinum Ductores, ſingulis ferè ætatibus, conſcriptæ ſunt ſubſidiariæ quædam Legiones, quales ſunt,* Benedictinorum, Ciſtercienſium, Præmonſtratenſium, Carthuſianorum, Dominicanorum, Carmelitarum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Minimorum, Societatis Jesu, & aliorum, *qui laboranti ac præ lianti Eccleſiæ ſuccurrerent, & expeditis tùm animis, tùm corporibus, quàcumque ingrueret periculum, citra*

Ezechiel 13. *moram adeſſent,* ac aſcendentes ex adverſo, opponerent murum pro domo Iſraël, & ſtarent in prælio in die Domini. *Quamvis autem nonnulli transfugæ ad hoſtes defecerint, ac graviſſima damna intulerint, non idcircò tamen culpandi ſunt alii, imò eò pluris faciendi, quod in Fide & Officio (aliquibus deſerentibus) perſtiterint. Verumtamen,* Domine JESU, *quia*

Ioan. 2. noſti omnes; nec opus tibi eſt, ut quis teſtimonium perhibeat de homine; ſcis enim quid ſit in homine: *idcircò non tibi; ſed Dominis meis fidelibus tuis prolequar in conſpectu tuo, quis ſit hujuſce Opuſculi mei ſcopus.*

Quum itaque viderem Eccleſiam ceu Caſtrorum aciem ordinatam *undique hoſtibus cinctam, & impreſſionibus ac irruptionibus obnoxiam: aliunde verò audirem Apoſtolum, uniuſcujuſque Fidelium auribus inclamantem hæc verba,* Labora ſicut bonus miles Chriſti JESU: *cogitare cœpi quonam pacto & ego gregarius pro modulo meo aut laborare, aut ſaltem aliis laborantibus collaborare poſſem. Videbam quidem* Armamenta-

Cant. 4. ria *inſtructiſſima, armis refertiſſima, videbam* mille & mille clypeos pendentes, omnem armaturam fortium, *ſed non omnem armaturam Tyronum. Neque enim vel David ipſe tantus poſtmodùm bellator, ſub initium cum gravioribus armis ince-*

Digitized by Google

incedere poterat, ſed baculo fundâque *& in* pera Paſtorali 1.Reg.17
recōditis lapidibus, *aggreſſus eſt Goliath giganteæ molis Spurium*, & prævaluit adversùs eum in funda & lapide. *Hæc nimirùm erant illius arma expeditiora.*

Ita etiam & nunc multi ſunt in Caſtris noſtris qui ſæpiùs vident ferocientes Gethæos, ſtantes adversùs phalanges Iſrael, *& audiunt* exprobrantes agminibus Dei viventis, *quos nullo negotio deiicere, ac conficere poſſent*, ſi peram aliquam, ſi lapides & fundam haberent, *hoc eſt ſi pro rei opertunitate haberent arma expedita, quæ facilè geſtari, & ad quamcumque occaſionem uſui eſſe poſſent. Non deſunt majora* ARMAMENTARIA *ut dixi, hoc eſt grandiora Controverſiarum volumina*, Alphonſi à Caſtro, Bellarmini *cæterorumq́; ſed quantò inſtructiora quantòque pleniora, tantò operoſiora; ut proinde nec facilè nec commodè huc & illuc comportari queant, ſed maximo Eccleſiæ bono Stationariis aut Præſidiariis militibus abundè ſuppeditent, quicquid neceſſarium eſt; imò & velitibus aut emiſſariis, ſi vacaret eis inter frequentes excurſiones, hinc colligere & depromere, quicquid opus eſt ad ſubitaneos ſeu tumultuarios occurſus, & repentinas colluctationes. Adeòque velut in exercitibus plurima ſolent eſſe vehicula comportando commeatui & aliis neceſſariis deſtinata, quæ utique* minora Armamentaria *dici poſſunt, non tam Ducum & graviorum ac veteranorum militum, quàm Tyronum & rudiorum uſibus adaptata: ſic & ego ſtatui hoc minuſculum Armamentarium Caſtris Domini noſtri & Summi Imperatoris (ſub bona illius venia) invehere; ut ſi quibus prodeſſe queat, gratias ei referant; ſin minùs, ſaltem conatus ſim vel tantillum pro mea tenuitate in commune bonum contuliſſe.*

Porrò, quum pro ſua bonitate infinita non velit mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat: *quadruplicem Methodum propono: quarum prima eſt* Converſiva, *ſeu errantium converſioni, & (quod nullatenus dubito) Chriſti Redemptoris intentioni accommoda, ſi ita diſpoſiti fuerint animi, ut efficaciter tangi poſſint & moveri: vel ea ſit electorum operariorum (gratiæ concomitantis auxilio) efficax operatio; ut in*

vanum non laborent. Altera eſt Impugnativa *adverſus pervicaciores errorum defenſores vel fautores. Tertia eſt* Defenſiva *contra Veritatis oppugnatores. Quarta denique* Probatiua, *& hæ tres poſtremæ etiam in eundem Converſionis ſcopum collimant: ut quicumque de veritatibus Fidei malè ſunt informati aut præoccupati, poſſint ſi dociles fuerint & attenti, meliùs ac ſalubriùs informari. Si quid hinc boni reſultarit, totum gratiæ referatur acceptum, ſine qua nihil poteſt eſſe boni. Ita profiteor, & quicquid hactenus vel dixi vel ſcripſi, id omne Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio, cenſuræ & correctioni lubens volenſque ſubmitto.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
Methodi Converſivæ.

Errantium Converſio intendenda & procuranda, pagina 3.

Quid ſit Hæreſis & quotuplex? pag. 7.

Quàm grave & enorme peccatum ſit Hæreſis? pag. 13.

Cauſa Hæreſis, pag. 22.

Cur Deus permittat Hæreſes? pag. 28.

Effectus Hæreſis, pag. 34.

Hæreſis obcæcatio, pag. 38.

Hæreſis elatio, arrogantia, ſuperbia & præſumptio, pag. 41.

Hæreſis inſtabilitas ac inconſtantia, pag. 44.

Hæreſis fallacia, pag. 50.

Converſionis obices removendi, pag. 55.

Modus agendi cum Hæreticis, pag. 66.

S. Auguſtinus *exemplar Converſionis errantium,* pag. 73.

Series Converſionis S. Auguſtini *ex ejus verbis contexta,* pag. 75.

Quid reflectendum circa hanc ſeriem Converſionis, & quis fructus inde colligendus, pag. 95.

Prima Praxis cooperandi errantium Converſioni hæc eſt, ut ipſi pro ſe orent. pag. 105.

Secunda Praxis cooperandi errantium Converſioni in eo ſita eſt, ut alii pro ipſis orent. pag. 107.

Tertia Praxis cooperandi errantium Converſioni in hoc conſiſtit, ut procuretur ipſis bonus Præceptor *Catholicæ Chriſtianitatis,* p. 110.

S. Auguſtinus *Catholicæ Chriſtianitatis Præceptor optimus,* p. 115.

Oracula Auguſtiniana. *De Canone Scripturarum,* pag. 116.

Oracula Auguſtiniana. *De modo diſcernendi Scripturas Canonicas ab Apocryphis,* pag. 118.

Oracula Auguſtiniana:

De Scripturæ Sacræ difficultate & obſcuritate, pag. 119.

De Traditionibus, pag. 120.

De Eccleſiæ indefectibilitate. pag. 122.

De Eccleſiæ viſibilitate, pag. 126.

De Malorum cum Bonis, & reproborum cum electis permixtione in unâ eademque Eccleſiâ, pag. 130.

De Primatu S. Petri, pag. 133.

De Summorum Pontificum ſucceſſione, pag. 134.

De Summorum Pontificũ & Romanæ Sedis authoritate, p. 135.

De Sacramentorum efficaciâ & neceſſitate, pag. 138.

De Baptiſmi neceſſitate, effectu. & Cæremoniis, pag. 141.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, pag. 147.

De Sacro-Sancto novæ Legis Sacrificio, pag. 170.

De Sacramento Pœnitentiæ, pag. 172.

De Extremâ-Unctione, pag. 177.

De

Oracula Auguſtiniana:

De Ordinis Sacramento, pag. 180.
De Matrimonii Sacramento, pag. 182.
De Iuſtificatione non per ſolam Fidem, pag. 184.
De Iuſtificatione non per ſolam remiſſionem peccatorum, neque per extrinſecam quandam imputationem Iuſtitiæ aut non imputationem eorundem peccatorum: ſed per intrinſecam gratiæ & ſpiritualium donorum ſuſceptionem, pag. 186.
De Merito bonorum Operum, pag. 189.
De Purgatorio, pag. 191.
De Cultu & Invocatione Sanctorum, pag 194.
De Sanctorum Natalitiis, diebuſq; feſtis, de Baſilicis, Imaginibus, Reliquiis, Miraculis, & Peregrinationibus Fidelium ad loca ſacra, pag. 196.
De Quadrageſima & Iejunio, pag. 203.
De Cœlibatu Eccleſiaſtico, & Votis Monaſticis, pag. 205.
De Ritibus Eccleſiaſticis, pag. 212.

Epilogus Paræneticus *ad Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos, & alios quoſcumque Acatholicos & Heterodoxos,* pag. 216.

Quædam aliæ Praxes Auguſtinianæ cooperandi errantium Converſioni.

Sectio I. *Praxis ſeu Methodus Auguſtiniana circa Honoratum Manichæum.* pag. 238.
II. *Methodus ſeu Praxis Auguſtiniana circa Donatiſtas Hæreticos,* pag. 227.
III. *Hujuſce Praxis Auguſtinianæ applicatio ad Calviniſtas,* p. 238.
IV. *Eccleſia Romana Comparata & Oppoſita prætenſæ Reformatæ,* pag. 244.
V. *Praxis circa Heterodoxos extremâ valetudine laborantes ad Fidem Orthodoxam reducendos.* pag. 257.

INDEX CAPITUM
Methodi Impugnativæ.

Quis ſit hujus Methodi ſcopus ſeu finis, pag. 269.
Contra nomen & Titulum Reformationis, pag. 271.
Contra prætentam Calvinianorum Eccleſiam, pag. 277.
Adversùs prætenſa Reformata principia, pag. 282.
Contra prætentam Fidem Reformatam, pag. 285.
Contra prætenſa Eccleſiæ Reformatæ Sacramenta, pag. 288.
Contra defectum Paſtorum (in prætenſa Reformata) & legitimæ eorum vocationis, pag 290.
Adversùs impium errorem Calviniſtarum circa obſervantiam Mandatorum, pag. 295.
Adversùs Calvinianum errorem de Peccatis internis, pag. 297.
Contra verſiones Scripturæ Sacræ in vernaculas linguas, pag. 301.
Contra Spiritum Calvinianum, pag. 303.
Contra poſſibilem Salutem prætentorum Reformatorum. pag. 306.

INDEX CAPITUM
Methodi Defenſivæ.

Quis ſit hujus Methodi ſcopus ſeu finis, pag. 317.
Defenſio Eccleſiæ adverſus falſiſſima Sectariorum præjudicia de illius lapſu, defectu & ruinâ, pag. 321.
Defenſio Antiſtitum Eccleſiæ contrà impoſturas Hæreticorũ, p. 326.
Romanus Pontifex non eſt Anti-Chriſtus, pag. 329.
Eccleſia Romana pura prorſus ab omni Idololatriâ, pag. 336.
Eccleſia Romana pura prorſus ab omni Artolatriâ in adoratione Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtiæ Sacramento, p. 341.
Eccleſia Romana pura eſt ab omni prorſus Hagiolatriâ in Cultu & Invocatione Sanctorum, pag. 344.
Eccleſia Romana pura eſt ab omni Iconolatriâ in veneratione Sacris Imaginibus & Reliquiis exhibitâ, pag. 349.
De variis B. Auguſtini *collationibus & concertationibus cum diverſis Hæreticis,* pag 351.
SECTIO I. *Diſputatio publica inter* S. Auguſtinum, *& Fortunatum Manichæum,* pag. 352.
II. *Collatio publica cum Donatiſtis Hæreticis,* pag. 355.
III. *Geſta* B. Auguſtini *cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo* p 361.
IV. *Collatio B. Auguſtini cum Paſcentio Comite Ariano,* pag. 365.
De Hæreticorum fraudibus prænotandis ac præcavendis, in quocumque congreſſu aut Collatione cum ipſis, pag. 372.
Contra Conſequentias Hæreticorum, pag. 380.
Reſponſiones ſuccinctæ ad Quæſtiunculas ſeu Interrogatiunculas Hæreticorum, pag. 394.
Quæſtiones proponendæ Lutheranis, pag. 397.
Quæſtiones proponendæ Calvinianis, pag. 399.
Quæſtiunculæ Molinæi. I. *Vbi Scriptura jubet ut Trinitas in lapide, ligno, aut picturâ ſub humanâ formâ exprimatur?* pag. 403.
II. *Quo Scripturæ loco præcepit Deus, homines mortuos aut Angelos eſſe invocandos?* pag. 404.
III. *Vbinam Deus præcepit orare linguâ ignotâ?* pag. 405.
IV. *Vbinam Deus præcepit Scripturam in ignotâ linguâ prælegere populo congregato, qui eam non intelligit?* pag. 406.
V. *Vbinam Chriſtus præcepit offerri Corpus ſuum, & ubinam conſtituit Sacerdotes?* pag. 407.
VI. *Vbinam præcepit Deus non eſſe concedendum populo Calicẽ?* p. 409.
VII. *Vbi habetur quòd Papa ſit Petri Succeſſor & Caput Eccleſiæ?* pag. 410.
VIII. *Vbinam agit Scriptura de ſatisfactione peccatorum in Purgatorio?* pag. 411.
IX. *Vbinam prohibuit Deus Sacerdotibus & Monachis Matrimonium?* pag. 413.
X. *Vbinam præcipitur Imagines coli, iis ſervire, eas adorare?* p. 414.

Digitized by Google

XI. *Quænam ſententia Scripturæ præcipit Sanctorum Reliquias adorare?* pag. 415.
XII. *Quo Sacra Scripturæ loco ſit mentio Lumbi puerorum?* p. 416.
XIII. *In quo Sacra Scripturæ loco ſcriptum eſt quod Eccleſia Romana in Controverſiis Fidei, ſupremum judicium habeat & errare non poſſit?* pag. 417.
XIV. *Quo loco Mater Dei nominatur Regina Cælorum?* pag. 420.
XV. *Quo Scripturæ loco Deus prohibeat populo, nè ſine ſpeciali licentiâ Scripturam legat?* pag. 424.
XVI. *Quo Sacra Scripturæ loco Pontifici Romano authoritas & poteſtas confertur, ſuperfluas ſatisfactiones Sanctorum & Monachorum in Theſaurum Eccleſiæ colligendi, eaſdem pro aliis in ſolutionem appplicandi, & per Indulgentias erogandi?* pag. 429.
XVII. *Vbi & quando Deus dedit Papæ poteſtatem Reges exauthorandi, Animas è Purgatorio liberandi, & ſeptem vel octo millium annorum Indulgentias communicandi?* pag. 432.

INDEX CAPITUM
Methodi Probativæ.

Quis ſit hujus Methodi ſcopus ſeu finis? pag. 441.
De probationibus citra res Fidei, pag. 444.
Poſitio Catholica. De Canone Scripturarum, pag. 453.
Poſitio Catholica. De Traditionibus. pag. 459.
Poſitio Catholica. De Eccleſia ejuſque Notis. pag. 470.
SECTIO I. *De Vnitate Eccleſiæ,* pag. 471.
II. *De Eccleſiæ Sanctitate,* pag. 478.
III. *De Catholiciſmo ſeu diffuſione Eccleſiæ,* pag. 484.
IV. *Vera Chriſti Domini Eccleſia eſt Apoſtolicâ,* pag. 488.
Poſitio Catholica. De Novæ Legis Sacramentis. pag. 495.
Poſitio Catholica. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, pag. 503.
SECTIO I. *Probationes ex Ioannis ſexto capite,* pag. 506.
II. *Probationes tùm ex Actionibus, tùm ex Verbis Inſtitutionis,* p. 511.
III. *Probationes ex Verbis Pauli Apoſtoli,* pag. 515.
IV. *De Tranſſubſtantiatione,* pag. 517.
V. *De Communione ſub una duntaxat ſpecie,* pag. 522.
Poſitio Catholica. De Novæ Legis Sacrificio, pag. 529.
Poſitio Catholica De Peccato Originali & Iuſtificatione, pag. 540.
Poſitio Catholica. De Purgatorio. pag. 546.
Poſitio Catholica. De invocatione Sanctorum, de eorum Reliquiis & Imaginibus & de Indulgentiis, pag. 551.
Poſitio Catholica. De Eccleſiâ Romanâ, pag. 564.

ME-

METHODVS
CONVERSIVA
SEV
AD CONVERTENDOS
ABERRANTES A FIDE.

Digitized by Google

Digitized by Google

METHODI CONVERSIVÆ

SEV

AD CONVERTENDOS ABERRANTES A FIDE

CAPVT I.

Errantium Converſio intendenda & procuranda.

DEus Optimus indidit naturæ ſympathiam quamdam, ſenſumque innatum, quo non tantummodò propinquiorum vel chariorum doloribus condolemus aut paſſionibus compatimur : verùm etiam eorum (quos alioquin averſabamur) gravioribus afflictionibus ſenſibiliter commovemur. Ita nimirùm agit Providentia Dei, ut prono commiſerationis affectu, velut ſecreto quodam ac interiori fræno cohibeatur hominum ferocia, vel emolliatur durities, ne modum excedat : ſed hoc tactu impulſuque, intra

debitos fines coërceatur: imò ad lenitatem flectatur, niſi præcipiti ſævitia adversùs reluctantis naturæ motum eniti velit, & omnem penitùs humanitatem exuere.

Legem illam cordibus inſculptam confirmat & expreſſius inculcat benigniſſimus Magiſter noſter, dum ait:
Luc. 6. *Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt:* dum *beatos*
Matt. 15. pronuntiat *miſericordes*, & *miſericordiam conſecuturos* pollicetur: denique dum per Apoſtolum ſuum edicit, *Iudicium*
Iac. 2. *ſine miſericordia illi qui non facit miſericordiam.* Hanc ergo debemus proximis ſive corporaliter ſive ſpiritualiter afflictis; ſed his eò magis, quò animorum mala præponderant quibuſcumque corporum miſeriis. Jam verò inter illa
Aug. l. 3. de lib. Arb. c. 18. Et l. 1. cont. Acad. c. 4. *quæ non ſunt ex natura hominis instituti, ſed pœna damnati*, principem locum (velut aliorum omnium ſcaturigo) obtinet error, *qui eſt falſorum pro veris approbatio*, & dum adversùs Fidei veritatem inſanâ quâdam pervicaciâ inſurgit, tunc in apertam prorumpit Hæreſim, omnium utique peccatorum ſentinam.

Non exiguum profectò præſtaret opus miſericordiæ, qui viatorem à recto itinere deflectentem, prædonumque, ferarum aut præcipitiorum periculis expoſitum ad veram ſecuramque ſemitam reduceret: at multò ſalubriùs exhibet charitatis officium, quiſquis ab Orthodoxa Fide aberrantem animam ac proinde graviſſimo ſalutis æternæ diſpendio obnoxiam, ad certam & tutam Fidei viam revocare, lumenque veritatis ei præferre ſatagit.

Et quamvis animorum reductio à tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem, ab infidelitate ad Fidem, ſit Dei peculiare ac præcipuum opus; non tamen idcircò à nobis nullatenùs eſt cooperandum aut collaborandum: alioquin non dixiſſet Apoſtolus,
2. Cor. 5. *Dei adjutores ſumus, pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Addo, ſi lucrati fuerimus fratrem noſtrum, lucri quidem gloriam pertinere ad eum, *qui dat incrementum*, fructum tamen ex ejuſdem benignitate ac liberalitate, ultrò nobis pro labore noſtro acceſſurum. Unde clariſſimum Eccleſiæ

Lumen

Lumen Augustinus, & in reducendis ac convertendis errantibus, longè ſi quis alius fideliſſimus & fœliciſſimus Operarius, *Non eſt* (inquit) *ſubſtrahenda neceſſaria correctio de charitate veniens, ut ſi ad prædeſtinatorum numerum pertinent qui corriguntur, ſit eis correctio ſalubre medicamentum; ſi non pertinent, ſit pœnale tormentum. Sub iſto incerto eſt adhibenda ex charitate, & pro illis quibus adhibetur, orandum. Neſcientes enim quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus ſalvos fieri. Neque enim dictum eſt* Lucæ decimo capite: Super quem requieverit pax veſtra, fiet filius pacis; *ſed* Ubi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra. *Ad nos ergo qui neſcimus quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet nullum exceptum facere. Nec metuendum eſt ne perdamus, ad nos revertetur, id eſt nobis proderit.* Hæc Auguſtinus. Aug. l. de Correct. & Gratia.

Certum quidem eſt, ſubſidio veritatis invictiſſimæ (quæ ſtat à nobis) faciliùs revinci & confundi poſſe Adverſarios noſtros, quàm converti: hoc enim eſt opus Dei, *ſecundùm electionem & in laudem gloriæ gratiæ ipſius*; attamen non tam eorum *Confuſio* quàm *Converſio*, ſollicitâ charitate eſt procuranda. Quanquam juxta eundem Sanctum Doctorem Auguſtinum, *ſit aliqua confuſio adducens gratiam & gloriam, alia verò adducens peccatum. Confuſio adducit peccatum, quùm erubeſcit quis pravam mutare ſententiam, ne aut inconſtans putetur, aut diu erraſſe ſeipſo judice teneatur. Confuſio autem adducit gratiam & gloriam, quùm erubeſcit quiſque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur.* Hæc itaque *Confuſio* quæ mutat in melius ac prodeſt ad converſionem, & intendi in eum finem & adhiberi poteſt, imo quandoque debet ab iis, *qui potentes ſunt exhortari in doctrina, & arguere eos qui contradicunt*: verumtamen quia pro naturæ humanæ vitio ita ferè comparatum videmus, ut rariores eſſe ſoleant, qui *confundi* velint, niſi ipſi ſint *humiles corde*, quales non ſunt Hæreſeos ſpiritu afflati, quandoquidem teſte *Auguſtino* ejuſcemodi genii ſolertiſſimo exploratore, *mater omnium Hæreticorum ſit ſuperbia:*

Epheſ. 1.

Aug. Epiſt 48. ad Vincent.

Tit. 1.

Aug. lib. 2. de Geneſ. cont. Manic.

perbia: hinc conſultiùs videtur in eum potiſſimè ſcopum collimare; ut ſecundùm gratiam divinitùs concedendam, periclitantibus benignè ſuccurratur; lapſis auxiliatrices ad ſurgendum manus benevolè porrigantur, & à Chriſto Capite, ejuſque Corpore nimirùm Eccleſia avulſi, in eam (à qua ſacrilegè præciſi ſunt) pacis ac fidei compagem ſuaviter renectantur, ac quantùm fieri poteſt, readunentur.

S. Aug. epiſt. 166. ad Donatiſt. Eò ſpectabat cordatiſſima illa mitiſſimi Doctoris ad *Donatiſtas Hæreticos* compellatio: *Concordate nobiſcum chariſſimi, hoc vobis volumus quod & nobis. Intelligite quid vobiſcum agatur. Perire vos non vult Deus in ſacrilega diſcordia, alienatos à veſtra Matre Catholica*: S. Aug. epiſt. 167. *Cujus* (inquit) *Diſciplina Eccleſiaſtica, ſalutem omnium maternâ charitate conquirens, tanquam inter phreneticos & lethargicos æſtuat. Phrenetici nolunt ligari; lethargici nolunt excitari: ſed perſeverat diligentia charitatis phreneticum caſtigare, lethargicum ſtimulare, omnes amare.* S. Aug. lib. de utilit. credendi cap. 18. Subdit Sanctus Doctor, *inter hos morbos (cùm ſit uterque plerumque mortiferus) hoc intereſſe, quòd lethargici ſine aliena vexatione moriuntur: phreneticus autem multis, & iis potiſſimùm qui volunt ſubvenire, metuendus ſit.* S. Aug. contra Donatiſt. poſt collat. c. 18. Concludit tandem his verbis eoſdem alloquens Donatiſtas: *Iam conſonate Paci, cohærete Vnitati, acquieſcite Charitati, cedite Veritati, Eccleſiam Catholicam incipientem à Hieruſalem cognoſcite uſquequaque diffundi.*

Reverà ſi in levioris momenti rebus diſſentientes ſatagendum eſt ad concordiam revocare, ex Chriſtianæ ac ſinceræ charitatis officio: quantò magis in graviſſimo ſalutis negotio, veriſſimæ & optimæ Matri Eccleſiæ contradicentes, conandum eſt ad pacem & conſenſum cum ea reducere; ut in ſuſcepti laboris ac operis mercedem obtingat beatitudo illa promiſſa *pacificis*, qui propterea Matth. 5 *filii Dei vocabuntur*.

Quamobrem viſum eſt à *Methodo Converſiva* deſumere Tractatus hujus initium, quò juniores adeoque ferventiores moneantur & intelligant, in hoc ſibi unicè incum-

bendum

bendum eſſe, ut ſalutem proximi, ac inde reſultantem Dei gloriam quærant: non autem vanam ingenii, doctrinæ, ſubtilitatum vel argutiarum oſtentationem, aut inaniſſimum humanæ gloriæ faſtum ex victoria aucupentur. *Neque enim* (ait humillimus Auguſtinus) *bonum hominis eſt, hominem vincere; ſed bonum hominis eſt, ut eum vincat VERITAS VOLENTEM: quia malum eſt ut eum vincat VERITAS INVITUM, nam ut ipſa VINCAT neceſſe eſt ſive negantem ſive confitentem.* Deinde in hoc piiſſimo Opere ac Miniſterio præluxit nobis *bonus ille Paſtor & Paſtorum Princeps, qui dimiſſis nonaginta novem ovibus, ivit ad illam quæ perierat*, neque deſtitit *donec inveniret, & in humeros ſuos gaudens imponeret.* S. Aug. epiſt.174. ad Paſcent. Luc. 15.

Priuſquam verò ad ipſam praxim veniam, nonnulla præmitto *de Hereſi ejuſque cauſis & effectibus*; tum ut naturam mali, contra quod luctandum eſt, exploratiorem habeant Tirones minùſque experti: tum ut eâ cognitâ, ad hydram illam lernæumque monſtrum cum Dei auxilio debellandum, promptiori ac vigilantiori charitate ſemetipſos accingant & exerceant.

CAPUT II.

Quid ſit Hæreſis, & quotuplex?

HÆreſis uſurpatur in Scripturis Sacris pro quacumque *Secta*; ſive ſit *bona*, ut dum ait Apoſtolus, *ſecundùm Sectam quam dicunt Hæreſim, deſervio Patri & Deo meo*: ſive ſit *mala*, ut quando alibi dicitur *Hæreſis Sadducæorum, qui repleti zelo injecerunt manus in Apoſtolos.* Paſſim tamen nomine *Hæreſis* intelligitur *Secta* illa, quæ fit per diviſionem à vera Fide: eoque ſenſu dixit Apoſtolus, *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo; nam oportet Hæreſes eſſe.* Act. 24. Act. 5. 1. Cor. 11

HIERONYMUS deducit *Hæreſim* ab *electione*, juxta græcam nominis etymologiam: eò quod eligat quiſpiam Hieron. in Epiſt. ad Galat.

 dogma

dogma ſibi placitum, eique adhæreat, & ſeſe ſubtrahat ab unitate Fidei, in qua potiſſimùm uniri & coadunari debent, quicumque Chriſto nomen dederunt. Unde Hæ-
Heb. 10. retici dicuntur *ſubtractionis filii* (ex ſuperba nimirùm electione) *in perditionem animæ.* Doctrina enim Fidei non eligitur *propriè*; hoc eſt, ex *propria* credentium *voluntate*; ſed ab ipſomet Deo revelata, à Chriſto Domino tradita Eccleſiæ, & per eandem Eccleſiam propoſita ſeu promulgata, cæleſtis vocationis gratiâ præveniente ac operante, voluntariè ſuſcipitur, & acceptatur potiùs quàm *eligitur* à veris obedientiæ & humilitatis filiis, qui proinde *capti-*
2. Cor. 10 *vant & in ſervitutem redigunt intellectus ſuos, in ejuſdem Fidei obſequium.* At ex adverſo *filii Belial*, excuſſo omni jugo, adversùs Chriſtum Dominum, ejuſque Sponſam Eccleſiam recalcitrantes, & nefariæ rebellionis ſpiritu inſurgentes, *eligunt* ſibi propria & pernitioſa dogmata quæ pervicaciter & præſumptuosè ſectantur.

Hinc definiri ſolet Hæreſis, *eſſe Doctrina contra Fidem ex ſuperba electione procedens*, vel quod in idem recidit, *error pertinax contra Fidei veritatem in eo, qui Fidem aliquando ſuſcepit.* Adeoque partim in errore intellectus, partim in corruptione affectus ſeu voluntatis conſiſtit. In eo enim quod dicitur *doctrina contra Fidem*, ſignificatur error & corruptio intellectus: in eo autem quod ſubditur *pertinax ſeu ex ſuperba electione procedens*, deſignatur perverſitas ac pravitas affectus ſeu voluntatis.

Schiſma eſt diviſio ab unitate Eccleſiæ, prout eadem Eccleſia eſt corpus myſticum, & ex diverſorum Statuum fidelibus conflatum; qui quidem Fideles tanquam membra inter ſe, & cum uno Capite Chriſto Jesu, ejuſque ſuper terram Vicario connecti debent. Hujus corporis
Rom. 12. meminit Apoſtolus, dum ait: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum Corpus ſumus in Chriſto.*

In eo differunt *Hæreſis* & *Schiſma*, quòd illa repugnet virtuti Fidei; hoc verò charitati ac paci Chriſtianæ adverſetur.

Digitized by Google

verſetur. Deinde omnis Hæreſis (ſaltem formalis, de qua mox dicam) eſt etiam Schiſma; at ex oppoſito non omne Schiſma eſt Hæreſis: poteſt enim Schiſma conſiſtere abſque Hæreſi; quanquam ad illam de facili diſponat, & viam aperiat, ſi diutiùs aliquantò perſeveret: uti patuit in *Novatianis*, *Donatiſtis*, *Græcis* & aliis, qui à Schiſmate exorſi, in pertinaciſſimas tandem Hæreſes provoluti & delapſi ſunt. Unde Auguſtinus, *Donatiſtæ* (inquit) *poſt cauſam dictam atque finitam, falſitatis rei deprehenſi, pertinaci diſſenſione firmatâ, verterunt Schiſma in Hæreſim.* Et alibi adversùs Creſconium Grammaticum: *Hæretici eſtis* (ait) *vel quòd in Schiſmate inveterato remanſiſtis, vel ex tua definitione, quòd de Eccleſia quæ Corpus eſt Chriſti, diverſum ſequamini.*

Auguſt. hæreſi 69

Aug. contra Creſcon. cap. 8.

His etiam adſtipulatur *Theodorus Beza*, fidiſſimus Calvini *Achates*, & in Miniſterio *Genevenſi* Succeſſor, dum ita ſcribit: *Licet nobis omnes tertii generis adulterinos Chriſtianos, in duo rurſus genera partiri. Nam alii doceri ſe patiuntur, & quamvis non ſtatim deduci poſſint de ſententia; tamen adeò ſibi non placent, ut in Eccleſia turbas ullas excitent. Alii invictâ pertinaciâ & improbitate* (quos Paulus vocat αὐτοκατάκριτος) non modò veritati reſiſtunt; *ſed etiam Eccleſiæ pacem & concordiam lacerant. Vtroſque ſolet Scriptura errantes dicere, ſed illos peculiariter vocat infirmos in Fide, jubetque tantiſper tolerari, dum illis Dominus ea quæ ignorant, revelaverit: Iſtos verò Paulus ad Titum ſcribens*, Hæreticos *appellat, & poſt unam atque alteram monitionem, etiam ab Epiſcopo devitandos cenſet. De his autem cùm nunc à nobis potiſſimùm quæratur, eos à cæteris accuratè & diligenter diſtinguemus. Hæreticos igitur ſi quis* infideles, ignorantes, Apoſtatas, aberrantes à veritate, præfractos *vocaverit, titulis quidem veris illos ornaverit, ſed quos habent cum aliis multis communes. Hæc eſt verò propria & peculiaris nota, quâ à cæteris diſtinguuntur: quòd ſuæ perfidiæ quam præfractè tuentur, quaſi ludum aperiunt, & diverſæ doctrinæ factionem (quantum in ſe eſt) vel in Eccleſiam Dei invehunt, vel ab aliis invectam fovent. Nam alioqui ſi ani-*

Theodorus Beza Tractatu de hæreticis à Magiſtratu puniendis. Impreſſ. 1. in fol. pag. 90. Genevæ per Ioan. Criſpinũ anno 1570.

morum, non opinionum diſſenſio fuerit, Schiſmaticos *ejuſmodi homines*, *non* Hæreticos *dices. Quanquam quicumque ſunt* Hæretici, *iidem etiam* Schiſmatici, *id eſt, concordiæ & conſenſionis Eccleſiaſticæ diſſipatores ſunt.* Hæc Beza, qui ſubdit: *Alibi quoque Paulus* διχοστασίας, id eſt, *diſſidia ab Hæreſibus apertè diſtinguit: ut* διχοστασία *idem prorſus valeat quòd Schiſma, niſi illud addas quod alio loco Apoſtolus adjunxit*, Hæreticos *quidem nominatim non appellans, ſed planè definiens. Cùm enim Fratres Romanos admonuiſſet*, ut eos obſervarent,
Rom. 16. qui diſſidia & ſcandala faciunt; *illud etiam adjungit*, contra doctrinam quam didiciſtis. *Hæc igitur duo quum inciderint, Hæreſis erit ex hac Apoſtoli definitione, qua nullam meliorem quærere debemus.* *Petrus quoque* Hæreticos *deſignans,*
2. Pet. 2. *animas inſtabiles dicit ab illis ineſcari, & plenam eorum definitionem tradit, cum Paulina prorſus conſentientem:* Inter vos (*inquit*) erunt falſi Doctores, quidam inducent Hæreſes *ſive Sectas exitiales.* Denique idem ille Beza, ſic concludit: *Vt rem omnem* (ait) *in pauca conferamus, ſic nobis conſtituere licebit: Hæreticum eum eſſe, qui pietatem quidem prætexit; ſed tamen non modò ſanis Eccleſiæ ſermonibus, ſemel atque iterum admonitus non acquieſcit; verùm etiam falsâ propoſitâ, vel ab aliis acceptâ doctrinâ pacem & conſenſionem Eccleſiæ diſſipat.*

Quibus verbis quid aliud agit *Beza*, prætentorum Reformatorum anteſignanus, quàm ut ſemetipſum, ſuumque *Calvinum*, imò & *Lutherum* ac omnes denique ſuperioris & hujus ſæculi *Novatores*, velut *Hæreticos* ore proprio maniſeſtiſſimè denuntiet, palamque faciat, & iis notis deſignet, quibus Meridiana luce clariùs conſpici queant ab omnibus, quorum non coecutiunt vel caligant oculi mentis? Sed hæc alio loco paulò operoſiùs & accuratiùs demonſtrabuntur.

Hæreſis alia eſt *materialis*, alia *formalis*, ut more in ſcholis recepto loquar.

Materialis, eſt error contra Fidem, citra tamen voluntatis pervicaciam imputabilem ad peccatum. Qualis eſt (teſte

(teſte Sancto Doctore) in nonnullis *qui ex Hæreticis parentibus oriundi, errorem ipſum à pueritia imbiberunt: adeoque non tam Hæretici, quàm credentes Hæreticis, vel imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſi, cenſendi ſunt: utpote qui ſententiam ſuam quantumvis falſam atque perverſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt, nec audaciâ præſumptionis ſuæ pepererunt; ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt: quærunt autem cautâ ſollicitudine verum, corrigi parati quum invenerint; & ideò nec inter Hæreticos* (ſubaudi formales) ſunt deputandi. Auguſt. lib. de utilitate credendi cap. 1. Et Epiſt. 162.

Horum longè credibiliùs eſt ingentem eſſe numerum, in remotis illis *Norvegia, Suecia* & ejuſcemodi Regionum populis, ad quos *Lutheranorum* dogmatum virus penetravit. Hauſta ſiquidem à majoribus lues infecit poſteros, qui contagiei illius ignari, nihil niſi rectum ſanumque in Fide ſe à parentibus accepiſſe autumant: ac proinde nec extra Eccleſiam computandi ſunt; quandoquidem veram Fidem per regenerationis lavacrum infuſam adhuc retineant, quam nullâ formali infidelitate à ſemetipſis abjecerunt. Eſto Catholicam Matrem non agnoſcant; hoc enim illis eo ferè modo accidit, quo parvulis à vera Matre per doloſæ injuſtæque novercæ fraudes abductis. Hi nimirum ſic decepti, praviſque blanditiis illecti legitimam parentem repudiant, ut alienæ adhæreant; ſi tamen eis contingeret propriam Matrem agnoſcere, illicò in ejus ſinum gremiumque ſeſe effunderent. Ita & de plurimis opinari licet, qui vel Lutheraniſmi vel Calviniſmi præſtigiis faſcinati, piiſſimam Genitricem ſuam, Catholicam Eccleſiam, & indubitatam Chriſti Domini Sponſam, ſed à pſeudo-Miniſtris tot atris depictam coloribus non agnoſcunt, & *errantes* potiùs, quàm *Hæretici* cenſendi ſunt: adeoque nec à ſalute alieni; quum veræ Fidei radix in Baptiſmo complantata, non ſit in ipſis per ullam formalem infidelitatem (uti ſuppono) vitiata vel extincta. Itaque non obeſt eis ad ſalutem materialis error, ſeu potius ignorantia, ſeclusâ graviori ad inquirendum ſocordiâ.

Digitized by Google

diâ, dum poſſunt & debent de vera Religione informari. Quanquam infitiandum non ſit eos inde periclitari, quòd admiſſo piaculo aliquo mortali, quum nullum verum Sacramentum (dempto Baptiſmo) nullumque legitimum ullius veri Sacramenti uſum habeant; non niſi perfectæ contritionis beneficio donoque ſupernaturali ſalutem conſequi poſſint.

Formalis Hæreſis eſt error contra Fidem, conjunctus cum voluntatis pervicacia ad peccatum imputabili.

August. eodem lib. de utilitate credendi. *Qualis eſt* (Auguſtini judicio) in illis *qui temporalis alicujus commodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui causâ, falſas ac novas opiniones vel gignunt vel ſequuntur.*

August. lib. Q.Q. Evangel. Quæſt. 11. in Matth. *Qualis eſt* in iis, *qui falſa de Deo credunt, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad Fidei pertinet ædificationem: ita ut non quærentium cunctatione tentati; ſed inconcuſſè credentium opinione atque errore diſcordent. Et hi foris animo ſunt, quamvis corpore intùs videantur.*

Qualis eſt in iis, qui convicti de errore contra Fidei veritatem perſiſtunt tamen ex ſuperba quadam animoſitate, nec deponere volunt quod apertè norunt contradicere Catholico dogmati. Item qui ſciunt ſententiam ſuam eſſe contra univerſalis Eccleſiæ ſenſum ac determinationem; interim verò eandem ſententiam ſuam mordicùs tuentur, & hoc ipſo Eccleſiam (in cujus Fide baptizati ſunt) oppugnant, ac illius authoritati ſeſe pervicaciter opponunt: vel deliberatè de aliquo Fidei dogmate dubitant, quod ab univerſali Eccleſia propoſitum ac determinatum eſſe non ignorant.

Qualis eſt in iis, qui carne, vel ambitione, vel irâ aut invidiâ, aut impatientiâ, aut aliâ ejuſcemodi paſſione inordinatâ propellente, *exeunt ex nobis*, hoc eſt, à Catholica Fide (quam antea amplexi profeſſique fuerant) ad Hæreſes deficiunt: propriéque *Deſertores, transfugæ* & *Apoſtatæ* nuncupantur. De quibus loquitur Auguſtinus, dum ait: *Qui videbant me, foras fugerunt à me. Ignoſcendum eſſet, ſi foras fugiſſent à me, qui non videbant me. Illud eſt magis*

August. concione 2. in Pſal. 30.

gemen-

gemendum : illud omninò intolerandum, quòd multi qui videbant me, foras fugerunt à me. Id eſt, qui cognoverunt quid eſſet Eccleſia, exierunt foras, & Hæreſes ac Schiſmata contra Eccleſiam fecerunt.

Qualis eſt denique(vel ipſius *Theodori Bezæ*, Adverſariorum noſtrorum Coriphæi teſtimonio)in iis, *qui perfidia ſuæ, quam præfractè tuentur, quaſi ludum aperiunt, & diverſæ doctrinæ factionem quantùm in ſe eſt, vel in Eccleſiam Dei invehunt, vel ab aliis invectam fovent: Qui diſſidia & ſcandala faciunt contra doctrinam quam in Eccleſia didicerunt: Qui pietatem quidem prætexunt; ſed tamen non modò ſanis Eccleſiæ ſermonibus, ſemel atque iterum admoniti non acquieſcunt; verùm etiam falsâ propoſitâ vel ab aliis acceptâ doctrinâ, pacem & conſenſionem Eccleſiæ diſſipant.* Theodorus Beza ſupra.

Porrò quânam ratione cum *materialiter* duntaxat *errantibus*, & rurſus quomodo cum *propriè & formaliter* Hæreticis agendum ſit, infra (Deo auxiliante) ſuggeretur.

CAPUT III.

Quàm grave ac enorme Peccatum ſit Hæreſis.

TRitum eſt axioma, *Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*. Ut igitur peccati Hæreſcos atrocitas ac enormitas manifeſtiùs & diſtinctiùs conſpiciatur, & hujuſce monſtri horror concipiatur, opponenda eſt ei *Fides*, Theologicarum utique virtutum, ordine ac numero prima, cui ex Diametro repugnat Hæreſis, eamque jugulat.

Fides ex Apoſtolo *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Nomine *Subſtantiæ* intelligit baſim, fixumque ac ſtabile fundamentum eorum bonorum, quæ ſperanda ſunt. *Argumenti* vocabulo denotat aſſenſum vel etiam convictionem earum veritatum, quæ ſenſibiliter non apparent. Proinde quàm neceſſarium eſt materiali ædificio *fundamentum*: quàm neceſſaria eſt Arbori, frutici, herbæ ac cuicumque plantæ *radix*; tam eſt neceſ- Heb. 11.

neceſſaria ædificio vitæque Spirituali Fides. Eſt enim *fundamentum* ſine quo beatitudo ſive formalis ſive objectiva (ut loquuntur Theologi) nec obtingere cuiquam poteſt, nec ab ullo ſperari. Eſt *fundamentum* ſine quo cætera quæ ſuperextruenda ſunt, nullatenus queunt ſubſiſtere. Eſt *Radix* ſine qua non poteſt trahi ſuccus, non poteſt participari, nec ſubminiſtrari, nec diffundi alimentum: adeoque nec ipſa vita conſiſtere.

Reverà quamdiu perſeverat *radix* necdum emortua, quantumvis truncus aridus, ramique ſine virore & emarcidi appareant; non eſt prorſus diffidendum quin adventante aura ſuaviori, cæloque tepeſcente, & modò pluviarum, modò illuceſcentis ac calefacientis Solis alternantibus influentiis, planta revireſcat, refrondeſcat, refloreſcat, imò etiam fructus proferat; ſed ubi radix penitùs aruerit ac interierit, nihil reſtat unde ſpem aliquam concipias: Ita quamdiu Fides (quæ *radix* eſt, & *inchoata quædam juſtitia, vitaque* ſpiritualis) adhuc in anima vivit & vegeta eſt, minimè deſperandum eſt, quin radiante mi-
Pſalm. 67. ſericordiæ Sole, *& pluviam voluntariam*, hoc eſt, gratiæ ſuæ imbrem quantumvis ſerotinum immittente Deo, anima licet alioqui languida, ſine bonorum operum ſucco, penè arida, & fortaſſis etiam ſiderata ac vitiata, aliquando
Luc. 3. reſurgat & *dignos pænitentiæ fructus faciat*: ſi verò præciſa fuerit *radix*, id eſt, amputata Fides, nihil ſpei reliquum
Luc. 13. eſt: niſi fortè *cæleſtis Agricola*, plantam illam (*quæ fruſtra terram occupat*) non penitùs ſuccidat; ſed pro clementiſſima benignitate ſua aliquando reſpiciens, rursùs vitæ reſtituat, & ad meliorem frugem convertat.

Addo tanti momenti eſſe Fidem, ut ſine ipſa nullus
Heb. 11. nobis ad Deum pateat aditus; *accedentem enim ad Deum oportet credere*: nullus ad ejus amicitiam detur acceſſus;
Ibidem. quandoquidem *ſine Fide impoſſibile ſit placere Deo*: nulla denique Dei videndi copia poſſit ſuppetere, quæ *mundis*
Matth. 5. *corde* promittitur ab eo qui dixit, *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt*. Undénam autem *munditiescordis*, niſi
Act. 15. teſte Beato Petro, *ex Fide purificante corda*?

Digitized by Google

Fides *purificat corda*, dum ab infidelitate, ab erroribus, à falſis opinionibus, ab ignorantia, ab incertitudine ac infirmitate liberat animum. Et quemadmodum ferrum, naturâ ſuâ metallum durum, terreſtre, obſcurum, frigidum, ſi fuerit igni admotum, fit tractabile, ductile, ignitum, lucidum: ita etiam dura hominum corda, terrena & terrenis affixa, erroribus obſcurata, vitiis ſordidata, tepida vel prorsùs frigida, ſi Fidei divinæ ignitis facułis accenſa fuerint, tunc purificantur, emolleſcunt, à terrenis eriguntur, & ad cæleſtia incaleſcunt. Fides enim lumen eſt ſupernaturale, quo non ſolummodò illuſtratur intellectus, & ſupra activitatis naturalis ſpheram attollitur: verùm etiam quo voluntas ipſa quodammodo excitatur; & quidem longè efficaciùs, quàm ullius luminis naturalis quantumvis eximii ac præcellentis ductu: quum ratio naturalis per ſe debilior ſit, & minus ſufficiens, ut voluntatem à terrenis abſtrahat, & ad veras propriè que dictas virtutes ſectandas, ac ſolidiora bona quærenda & procuranda applicet.

Hoc in Gentilibus Philoſophis manifeſtè patuit, qui tantis ingeniis, tantis ſtudiis, tantis conatibus nunquam ſic aſſurgere potuerunt, quin ferè ſemper *terram lingerent*. Pſalm. 71.
Ubi ex adverſo innumeri Fideles idiotæ, ſimplices, in ſola Fidei ſchola eruditi, adeo ſtupendos in omni virtutum genere progreſſus edidere, ut mundum univerſum in ſui admirationem rapuerint.

Et ut paucis multa complectar, *Fides eſt ſcientia ſalutis in remiſſionem peccatorum: eſt Sapientia Sanctorum: Lucerna Evangelica ad quærendam gloriæ drachmam: Theſaurus abſconditus: Margarita pretioſa: Virtus in ſalutem: Honor credentibus: Armatura Dei, & ſcutum adverſùs ignea tela nequiſſimi.* Luc. 1. Luc. 15. Matt. 13. Rom. 1. 1. Pet. 2. Epheſ. 6

Ex his manifeſtè collige quàm ſit neceſſaria Fides: quantum & quale Dei donum, quanti faciendum: quàm ſollicitè cuſtodiendum; imò potiùs quàm ſedulis ac continuis orationibus inſtandum & ſatagendum, ut Deus

cuſtodiat

cuſtodiat illud in nobis, *velut pupillam oculi*, ut non ſolummodo non deperdatur aut minuatur, ſed & augeatur; juxta illud Apoſtolorum ad Chriſtum: *Domine adauge nobis fidem.*

Luc. 17.

Jam verò ex oppoſito vide, quale & quantùm ſit Hæreſis peccatum: quàm noxium & pernitioſum monſtrum: quàm crudele & ſævum: quàm blaſphemum: quàm contagioſum & ſcandaloſum malum.

Primò quidem nemini dubium eſſe poteſt, quin *graviſſimum* ſit Hæreſis ſcelus: tum quia Virtuti Theologicæ (Fidei nimirùm) formaliſſimè adverſatur, eamque perimit: tum quia dum agnitam impugnat veritatem, ex eorum efficitur numero peccatorum, quæ ſunt *in Spiritum Sanctum, & non remittuntur neque in hoc ſæculo neque in futuro*: tum etiam quia non unum ſimplexque crimen eſt, ſed ex ſuperbia, inobedientia, blaſphemia, ſcandalo & aliis graviſſimis peccatis coaleſcens, in omnium tandem reatuum peſſimum ac enormiſſimum evadit.

Mat. 12.

Secundò, maximè *noxium ac pernitioſum* eſſe, vel inde convincitur, quòd ipſiſſimum Spei ac Salutis totius *fundamentum* ſubruat ac penitus ſubvertat, dum Fidem (cui tantoperè repugnat) omninò deſtruit. Deinde quòd *radicem* ac principium vitæ ſpiritualis evellat, eradicet, præcidat ac interimat: *aditum* ad Deum prorsùs intercludat: primam ad ei placendum *diſpoſitionem* tollat: cordis *munditiem* auferat: *Scientiam Salutis* ac *Sapientiam Sanctorum* removeat: *Lucernam Evangelicam* extinguat: & quorum ſemel animos invaſerit, *theſauro* cœleſti ac *margaritâ* pretioſiſſimâ ſpoliet; *virtute* ad ſalutem, & *honore* privet: denique *armaturâ* illâ Dei, & *ſcuto* tam neceſſario ad defenſionem exarmet, inermeſque relinquat.

Tertiò, quàm *ferum* ſit & *crudele monſtrum*, effectu ipſo comprobatur, dum enim in Ovile Domini irrumpit, *non parcis gregi*, ovium jugulum illicò petit. Neque ſimpliciores duntaxat vel incautiores, ſed & eos *qui ſibi videntur aliquid eſſe*, hoc eſt, quamplurimos Eccleſiaſtici Ordinis homines,

Act. 20.

mines, & Religioſæ Profeſſionis viros ac mulieres, alios deinde innumeros ſive ſenes, ſive juniores, ſive adoleſcentiores *mactat, perdit* & miſerandum in modum jugulat: Chriſtum & veritatem eis aufert, animas interficit, à Cœlorum regno, ſive ab Eccleſia tam militante quàm triumphante excludit, flammis æternis addicit, & ſuperborum damnatorumque Dæmonum ſocietati in perpetuum cruciandos adjungit. Ioan. 10.

Neque mirum tibi videri debet (Chriſtiane Lector) quòd ab Hæreſi CHRISTUM & VERITATEM ex animis credentium auferri pronuntiem. Hoc enim facillimè deprehenſurus es, ſi reflexeris & adverteris Hæreſim non in id incumbere, ut homines ad primam JESU Chriſti & Veritatis cognitionem adducat & convertat: ſed ut antea adductos jamque converſos, ipſa pervertat & abducat. Nam Lutherana, Zuingliana & Calviniana Hæreſis (ut cæteras prætermittam) fecit *Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos*: neutiquam verò ex *non Chriſtianis* effecit *Chriſtianos*. Ubi è contra Catholici Sacerdotes ac Religioſi ex Indis, Sinis, Japoniis non Chriſtianis reddiderunt (opitulante Dei gratiâ) Chriſtianos. Clariùs expono.

Chriſtiani Catholici erant *Saxones, Brandeburgici, Mecklenburgii, Pomerani, VVittembergenſes, Dani, Sueci*, antequam fierent *Lutherani*. Item Chriſtiani ac Catholici erant *Helvetii*, antequam evaderent *Zuingliani*. Denique Chriſtiani & Catholici erant *Genevenſes, Rupellani, Batavi, Britanni* & ejuſmodi, priuſquam ad *Calviniſmum* deficerent: unde nequaquam ex non Chriſtianis Chriſtiani, ſed ex Chriſtianis Lutherani, Zuingliani aut Calviniani facti ſunt.

Rurſus ante Lutherum, Zuinglium & Calvinum habebant Germani, aliique præmemorati CHRISTUM, qualis in ſe eſt, & qualem proponunt Scripturæ Sacræ, nimirum *Fidelem Eccleſiæ Sponſum, Paſtorem bonum, Corporis & Sanguinis ſui liberalem Donatorem, Iuſtifica orem per fidem &* Ephes. 5. Ioan. 10. Matt. 26. Iac. 5.

opera bona. Hunc, id eſt, *verum CHRISTVM* furto & latrocinio ſacrilego abſtulit Lutherana Hæreſis, & ſubintruſit ac obtruſit *Pſeudo-Chriſtum impanatum in Euchariſtia, & ubique corporaliter præſentem. Verum* etiam *Chriſtum* ſuſtulit Zuingliana ac Calviniana perfidia, ejuſquè loco ſubſtituit ac repoſuit *Pſeudo-Chriſtum, Sponſæ ſuæ deſertorem, Ovium neglectorem, ſigni & figuræ duntaxat Corporis ſui exhibitorem, & juſtificatorem per ſolam fidem.*

Idem de *Veritate* dici poteſt, ſiquidem ante Lutherum, Calvinum & alios prætentos Reformatores, *Fidei objectum formale ac motivum erat prima veritas revelans*; *materiale* autem, *Veritates à Deo revelatæ & per Eccleſiam propoſitæ*: ita ut Fideles tum in Germania, tum alibi, articulis à Deo revelatis & ab Eccleſia propoſitis, firmiter aſſentirentur propter authoritatem primæ ac infallibilis Veritatis aut veracitatis Divinæ: ſed ſuperveniens Hæreſis, Luc. 8. *tulit ſemen* illud divinum *de cordibus* ſeductorum Lutheranorum, Calviniſtarum & ſimilium, *ne credentes ſalvi fierent*, & pro vero ac indubitato Fidei motivo ſuppoſuit erroneas quaſdam illationes à Luthero, Calvino & ejuſmodi novarum Sectarum Architectis excogitatas; pro materia autem credendorum, appoſuit Articulos ab iiſdem confictos, formatos & fabricatos. Quod infra fuſiùs demonſtrabitur.

Quartò, Hujus monſtri nimirum *Hæreſeos blaſphemia*, inde patet, quòd in ipſummet Chriſtum Dominum inſurgere, & illum qui eſt Veritas ipſa, præſumpſit aggredi ac impugnare; quodque magis horrendum eſt, ei falſitatem ac mendacium impingere. Rem exemplis manifeſtis facilè eſt oſtendere. Dixit Chriſtus Dominus, dixit Veri- Matt. 16. tas: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs* Eccleſiam meam. Sed quid Hæreſis? falſum eſt inquit, mendacium eſt. Nam *Diabolus diſſipavit Eccleſiam, fecit horribilem ruinam, deſtruxit Sanctam politiam. Eccleſia ex toto fuit corrupta. Iacuit in ruina & deſolatione. De novo fuit erigenda.* Ita prætenti Reformatores in *Præfatione* ad Catechiſmum Reformatum, & in

in *Articulo trigeſimo-primo* Confeſſionis Gallicæ, *Amſtelodami* apud *Ioannem Cloppenburgium*, anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo.

Rurſus dixit Chriſtus Dominus, dixit Veritas, *Caro mea verè eſt cibus, Sanguis meus verè eſt potus. Panis quem ego dabo Caro mea eſt pro mundi vita. Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hôc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus.* Sed quid Hæreſis? Falſum eſt ait, mendacium eſt. *Non eſt verè cibus, non eſt verè comeſtibilis, non eſt verè præſens. Non eſt Corpus, non eſt Sanguis, ſed figura duntaxat, ſed ſignum tantummodo.* Ita Zuingliani Helvetii, & ab his oriundi Calviniani, quibus meritò poſſumus cum Sancto Doctore Auguſtino inclamare: *O ubi eſtis fontes lachrymarum? Et quid facietis, ô Zuingliani, ô Calviniani? Quò ibitis? Vbi vos occultabitis ab ira veritatis?*

Ioan. 6.

Matth. 26.

Auguſt. contra Manic. cap. 18.

Quintò, quàm *contagioſum* & *ſcandaloſum* ſit malum, experientiâ ipsâ compertiſſimum eſt. Quum enim *ſermo eorum qui à veritate exciderunt, ſerpat ut cancer*, teſte Apoſtolo; ubi *Lutherus* ſub initium ſæculi decimi ſexti ab Orthodoxa Fide deficere cæpit, ſermo illius contagioſus per *Saxoniam* primò, deinde per vicinas Provincias *ſerpſit ut cancer.* Mox ad *Septemtrionem* crepens, *Daniam, Sueciam* & alias Regiones corripuit. Inde versùs *Orientem* flectens, *Poloniam, Auſtriam, Hungariam, Daciam ſeu Tranſſylvaniam*, & alia Regna pervertit; giranſque ad *Meridiem*, ipſas *Gallias* noſtras (quæ ad Hieronymi uſque tempora *non habuerant monſtra*) ſuis erroribus dementavit. Hinc ultra Oceani fretum *in Britannicas Inſulas* delatus, omnia ſuſque deque evertit, donec in *Belgium* ſeſe effundens, & rursùm versùs *Germaniam* protendens, peſtilentiſſimum, calamitoſiſſimum, ac funeſtiſſimum circuitum peregit.

2. Tim. 2.

Hieron. adversùs Vigilantium.

Quot animarum miriades *Serpens Hæreticus* ſibilo ſuo & afflatu venenato infecerit & confecerit, quis dinumerando ſufficiet? Maximè ubicumque materiem corruptioni obnoxiam nanciſci potuit: hoc eſt, homines hu-

jus ſæculi ſpiritu turgidos & inflatos, Literiones criticos, Cenſores Grammaticos, Poëtas leves, Oratores vel Declamatores ſuperbos, Dialecticos contentioſos, Theologos præſumptuoſos, Nobiles curioſos, Aulicos politicos, Plebeios imperitos & novitatis avidos, Principatus & gloriæ appetentes Sæculares, & Status ac Profeſſionis ſuæ pertæſos Eccleſiaſticos ac Regulares. *Ex iis enim hominibus* (ait Auguſtinus) fiunt Hæretici, *qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent: quum autem foris ſunt, multùm proſunt; non verum docendo quod neſciunt, ſed ad verum quærendum, carnales homines; & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando.*

Auguſt. lib. de vera Relig. c. 8.

Hinc eſt quòd contagionem illam peſtiferam prævidens Apoſtolus, *Hæreticum hominem* (inquit) *poſt unam & ſecundam correptionem devita*: ne videlicet pecces defectu charitatis ad proximum, ſi ſemel atque iterum non corripueris. Sed rurſus ſi *poſt unam & alteram monitionem* non devitaveris pervicaciter obſtinatum, *quem ſcis eſſe ſubverſum & proprio judicio condemnatum*, graviùs ex defectu charitatis ad temetipſum delinquas, cùm non exile periculum ſubverſionis propriæ, ex illius familiari converſatione ac frequentatione incurras. Quemadmodum enim ab iis tibi præcaves, quos contagioſa lue correptos eſſe non ignoras, ita ut nec propiùs ad eos accedere, nec quicquam quod circa illos eſt, contingere audeas; quantò magis tibi proſpiciendum eſt ab iis, quos ſpirituali peſte infectos & corruptos videris? quum non minùs citò & facilè, ſed longè periculoſiùs hauriatur peſtilens Hæreſeos afflatus, quàm lues corporea, indiſcretim & promiſcuè cum contagioſis communicando.

Tit. 3.

Et hæc ſanè ipſiſſima cauſa eſt, ob quam Sancta Mater Eccleſia, à Spiritu Sancto edocta, ſalutis filiorum ſuorum ſtudioſiſſima & amantiſſima, Hæreticos à Fidelium Communione arceat, eorumque libros ſeveriſſimis edictis interdicat ac proſcribat: ne ſcilicet putidorum membrorum contagione, reliquis partibus ſanis præſentiſſimum exitium

exitium ac pernicies ex corruptione accerſatur.

Quocirca videant & attendant, qui lucri cupiditatè ducti, familiariſſimè cum heterodoxis converſantur, vel titillante curioſitate, libros eorum evolvunt & perlegunt, quanto ſemetipſos immergant periculo, ne à Deo ob deſpectum & inobedientiam adversùs Eccleſiam, vel ob nimiam præſumptionem deſerti, incidant *in laqueum paratum*, & *incurrant* in Hæreſis *rete expanſum pedibus ſuis.* Quodque magis lugendum eſt, videant & attendant, qui filios aut nepotes necdum ſatis firmos & *ſtabiles in Fide* à ſe dimittunt, ut mercatoriæ negotiationis nundinatitios modos perfectiùs ediſcant, eoque fine in illa ableгant loca & apud illos, in quibus & à quibus venenum ſenſim haurire poſſunt, ac tandem irrevocabiliter perverti. Quòd ſi contigerit eos abduci à recta ſemita, & nunquam poſtmodum ab impia via revocari, *in ſua quidem iniquitate morientur; verùmtamen ſanguinem eorum requiret Dominus de manibus* Parentum, Avorum, Tutorum, Curatorum, qui filios aut pupillos, aut minores, hiſce periculis, ſcandalis ac ſalutis diſpendiis tam crudeliter objecerunt. Ezech. cap. 3.

Denique Magnus Eccleſiæ Magiſter Auguſtinus, gravitatem Hæreſis ac Schiſmatis ex pœnæ atrocitate ponderat, dum ſic alloquitur Donatiſtas: *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro, dicentes hoc grave eſt, hoc leve eſt, ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis Sanctis, tanquam de dominicis theſauris, & in illa quid ſit gravius, expendamus. Imo non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus. Tempore illo quo Dominus priora delicta recentioribus pœnarum exemplis cavenda monſtravit, & idolum fabricatum atque adoratum eſt, & propheticus liber irâ Regis contemptoris incenſus, & Schiſma tentatum. Idololatria gladio punita eſt: exuſtio libri bellicâ cæde & peregrinâ captivitate: Sciſma hiatu terræ, ſepultis Authoribus vivis, & cæteris cæleſti igne conſumptis. Quis jam dubitaverit hoc eſſe ſceleratiùs commiſſum, quod eſt graviùs vindicatum, non humano arbitrio, ſed divino judicio.* Hæc Auguſtinus, August. lib. 2. de Baptiſ. contra Donatiſt. cap. 6. Exod. 32. Hierem. 36. Num. 16.

guſtinus. Quæ dum ob oculos ponit *Donatiſtis*, ſimul etiam omnibus aliis horrendum divinæ ultionis exemplum proponit; ut hinc ſaltem Schiſmatis ac Hæreſis gravitatem ac enormitatem expendant & expaveſcant: adeoque ſi ſeveriſſimam illam & meritò formidandam punitionem evadere velint, ad veritatem ac unitatem Catholicam revertantur, & Corpori (à quo ſacrilegè ſemetipſos præciderunt) reaptentur, rejungantur, renectantur.

CAPUT IV.

Cauſæ Hæreſis.

1. Cor. 11. O*Portet Hæreſes eſſe*, ait Apoſtolus: non quidem abſolutâ omninò neceſſitate, ſed ſpectatâ humani intellectus ac voluntatis (poſt infectam vitiatamque naturam) inconſtantiâ, ſuperbiâ, pronitate ad malum, & in errores pertinaciamque defectibilitate: Accedente præſertim
Iob. 41. tentatione Dæmonis, *cujus halitus prunas ardere facit*, & diſſenſionis ignem conſucto flabello excitat; ut ſi quo-
1. Tim. 3. quo modo poſſit, *Domum Dei (quæ eſt Eccleſia Dei vivi)* vel fumo præfôcet, vel flammis incendiiſque miſceat.

Gen. 3. Ita nimirùm in ipſis mundi primordiis *Serpens ille callidus*, falſarius, impoſtor, & Hæreſeos Architectus inſufflavit mulieri: *Nequaquam moriemini, aperientur oculi veſtri, eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.*

Dixerat autem Dominus Deus Protoplaſtæ Adamo,
Gen. 2. *In quacumque die comederis ex eo*, (videlicet ligno ſcientiæ) *morte morieris.* At ecce tortuoſus coluber, veterator nequiſſimus, Verbi Dei corruptor fallaciſſimus, pro *affirmatione negationem reponit*, *nequaquam* ſerpentinum apponit, Verbo Dei veraciſſimo verbum ſuum fallaciſſimum *opponit*, malecredulæ mulieri *imponit*, ut dum verbum Serpentis, Dei Verbo *anteponit*, colubrum vera dicere, Deum autem mentiri, impiâ ac blaſphemâ prorſus cogitatione ſibi perſuaſerit.

O quot, & quantos ac quantas ſimillimâ circumventione deluſit & illuſit venenoſus ille Draco! *Nequaquam* (inquiebat) *morte moriemini*, id eſt, nullum mortale piaculum contrahetis, nullum lethale facinus admittetis, ſi vota ſolemnia, ſi leges de continentia, abſtinentia, obſervantia feſtorum & ejuſmodi violaveritis: ſi præcepta de peccatorum Confeſſione, de Communione, boniſq; aliis operibus abrogaveritis: ſi in Scripturas Sacras involaveritis, eaſque proprio ſenſu vel judicio veſtro ac interpretatione intellexeritis, indeque *Articulos Fidei veſtræ reformandæ* cuderitis, efformaveritis aut reformaveritis. *Tunc aperientur oculi veſtri*, ut Papiſticos errores lynceis oculis videatis. Tunc *eritis ſicut Dii*, *omnia dijudicantes, à nemine judicandi. Eritis ſicut Dii*, liberrimi omnimodâ libertate conſcientiæ, ac prorſus independentes: *ſcientes bonum & malum*, non ex ullius legis præſcripto (*exleges enim vos eſſe volo*) non ex ullis Eccleſiæ aut Conciliorum aut Pontificum aut quorumcumque Majorum Sanctionibus vel Statutis (*hæc enim velut Traditionum quiſquilias à vobis conculcari ſuadeo*) ſed ex ſola privati ſpiritus veſtri ſuggeſtione & interno dictamine ac placito. Hiſce artibus plurimos aggreſſus, in immane Hæreſeos præcipitium detruſit.

Quod ut planius fiat, rem ipſam exemplo adſtruamus.

Conſtat ex Scripturis, infauſtiſſimam miſeriæ ac perditionis noſtræ originem, non aliam eſſe, quàm cibi vetiti comeſtionem. Hujuſce tanti mali miſertus Dei Filius, homo factus, pridie quàm pateretur, aliam inſtituit ac ſubſtituit comeſtionem, ſacri nimirum Corporis ſui communionem; ut quicquid damni prior illa noxiaque manducatio infœlicibus Adami poſteris intulerat, hæc poſterior ac vivifica comeſtio reſarciret, eſuſque venenati antidotum longè ſaluberrimum foret Agni immaculati Caro, *verè cibus*, adeoque verè comeſtibilis, & verè præſens. Ioan. 6.
Quod enim *verè cibus* eſt, verè comeſtibile eſt, verè præſens eſt.

Sed ecce iterum *callidus Serpens*, juratus humani gene-

Digitized by Google

ris hoſtis ad conſuetum Stratagema converſus, qui antea Verbo Dei affirmativo, *morte morieris*, ſerpentinum illud *nequaquam* addiderat, dicens: *Nequaquam moriemini*; ecce (inquam) iterum Verbo Chriſti Domini affirmativo, *Hoc eſt Corpus meum*, idem *nequaquam* Diabolicum interſerit, & per os Zuinglii ac Calvini ſuggerit, *Nequaquam hoc eſt Corpus Chriſti*, indeque conficit non tantùm non eſſe adorandum, ſed pedibus proculcandum & blaſphemandum; ut meritò exclamare poſſimus. *O inſenſati Sacramentarii, quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Proferte ſi placet Evangeliorum Codices, nihil aliud ex *Matthæo, Marco, Luca* & *Paulo* lecturi eſtis, niſi *Hoc eſt Corpus meum*: nullibi autem, *nequaquam hoc eſt Corpus meum.*

Gal. 3. Matt. 26 Marc. 14 Luc. 22. 1. Cor. 11

Quis ergo interpoſuit illud *nequaquam*, ut ex *affirmativa* propoſitione fieret *negativa*, niſi antiquus ille veritatis interpolator? Quis invertit & pervertit ſenſum Verborum Chriſti, niſi callidus ille parentum noſtrorum ſeductor, non *Evangeliſta* ſed *Eva-Angeliſta*, ut quemadmodum Sathanico ſuo commento detraxerat Fidem Verbo Dei, ita & nunc detrahat Verbo Chriſti?

Verùm hæc fuit Hæreſeon ac Schiſmatum *cauſa*, ut ita dicam, *extrinſeca*: nunc autem *intrinſecam* ac veluti *materialem* inſpiciamus. Si enim juxta Philoſophorum placitum, *quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, vix unquam ſolitus eſt Dæmon quempiam tentationum ſuarum jaculis impetere, quin antea ferè ſemper prævideri t haud irritum fore conatum, ſive ex illius quem aggreditur, ſocordiâ ac negligentiâ vel imbecillitate; ſive ex quibuſdam diſpoſitionibus, quæ faciliorem præbeant Tentatori acceſſum, & certiorem oſtentent reportandæ victoriæ fiduciam.

Magnus ille Gentium Doctor & Vas electionis admirabile, *Sanctus Paulus*, explorans cauſam ſeductionis, quâ in noviſſimis diebus plurimi à Fidei veritate deficient, ita tandem exponit: *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem*

erroris,

erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Hactenus Apoſtolus. Singula expendamus. 1. Theſſ. 2

Eò quòd charitatem veritatis, videlicet Chriſti Domini qui eſt *Via*, *Veritas & Vita*, *non receperunt*, id eſt non acceptarunt aut non attenderunt: vel *eò quòd charitatem veritatis non receperunt*, ſive, eò quòd veritatem non amaverunt, ſed adversùs eam malè affecti, & ab ea alieni averſique fuerunt: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris*, hoc eſt, juſtiſſimo ſuo judicio permittet, ut prævaleat in ipſis operatio erroris (cujus amorem præferunt amori veritatis) adeóque *credant mendacio* & patri mendacii, illiuſque organis ac inſtrumentis; & hâc æquiſſimâ animadverſione puniti, *judicentur omnes qui non crediderunt veritati*, meritamque ſubeant damnationem, *quia dilexerunt magis tenebras quàm lucem*, & falſitatem magis quàm veritatem.

Reverà, potiſſima ratio cur tot homines hoc infœliciſſimo tempore à Fidei veritate defecerunt, non alia fuit quàm ejuſdem odium veritatis. Plurimis ſiquidem vel ſeverior vel durior viſa eſt Fidei veritas, quam ferebant prava illorum deſideria moreſque corrupti; quocirca non difficilè fuit ejuſcemodi homines ex arce veritatis in imum errorum præcipitium deturbare; quod enim quiſque appetit, hoc ſibi facillimo negotio patitur perſuaderi: at verò maximam oportet eſſe vim eloquentiæ, quæ invitis aliquid ſuadeat. Hinc effectum eſt, ut erroris magiſtros obviis ulnis exceperint; veritatis autem Doctores averſati fuerint, iiſque nuntium remiſerint. Odium quippe (quod adversùs Catholicam Fidem jam diu parturiebant) intimis viſceribus premebant; donec tandem nacti *magiſtros prurientes*, qui manus obſtetrices adhiberent, illud idem odium jam partui maturum effuderunt.

Non deerant in hoc corrupto ſeneſcenteque mundo, carnis voluptatum amatores, quibus inviſa erat Eccleſiæ doctrina, quòd ſtatis anni temporibus ad jejunia, & alia pœnitentiæ opera, filios ſuos urgeret. Supervenerunt illi-

Digitized by Google

cò Novatores, qui antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem evertentes & abrogantes, omnia hæc ſanctiſſima
Heb. 11. inſtituta (propter quæ Sancti Patres ab Apoſtolo miris laudibus efferuntur) non ſolùm ſpernenda docuerunt, verùm etiam tanquam mala ac ſuperſtitioſa ſuggillarunt.

Erant alii, quos tædebat pigebatque templa frequentare, divinis laudibus intereſſe, jugi Sacrificio adeſſe; quum ſubitò prodierunt novi quidam prætenti Reformatores, qui ad illorum vota ſermonem componentes, quicquid erat purioris cultus Dei, id omne idololatricum ideoque abominandum proclamarunt.

Nonnullos jam nervi ac inſtrumenta voluptatum, ſcilicet pecuniæ defecerant. Patrimonia commeſſationibus, vino, ingluvie, aleâ, luxu, impudicitiis, vel abſumpta prorſus ac exhauſta, vel ſaltem admodum erant imminuta: unde auri ſacra fame tabeſcentes, Eccleſiarum ac Monaſteriorum proventus, ceu opima ſpolia eminus ſpectabant, iiſque inhiabant; quum derepentè affuerunt, qui rapacitati laxarunt habenas, *juſque ſceleri* dederunt, ad invadendum quicquid pia Majorum munificentia in res pias erogarat.

Plurimi ad peccandum inverecundi, frontiſque proſtitutæ, nihil graviùs ferebant, quàm Sacramentalis Pœnitentiæ Tribunal, onuſque aperiendi peccata Sacerdoti; ſed ejuſcemodi hominibus non defuere, qui *Confeſſionem* ut vocant *auricularem* exploſerunt, ac penitus eliminarunt, *ſoliq́ue Deo confitendum eſſe* aſſeruerunt, ut libertatis prætextu, noxiam peccandi libertatem ac impunitatem inveherent.

Alii intra Monaſteriorum ſepta, vel Sacerdotum Collegia, ſtimulante carne, graviſſimam experiebantur continentiæ legem ac profeſſionem: ſed ecce mox occurrerunt pſeudo-Doctores qui adversùs Vota & Cœlibatum deprædicarunt, peſſimoque exemplo ad excutiendum jugum, ad perfringenda Clauſtra, ad violandas Deo factas

Digitized by Google

promiſſiones præierunt. Unde brevî effectum eſt, ut publico Eccleſiæ ſcandalo, deſertorum, fœdifragorum ac Apoſtatarum ingens colluvies, per Germaniam primùm, mox contagione quadam per alias Orbis Chriſtiani partes (ad quas potuit Hæreſis irrumpere) velut diluvium quoddam inundaret.

Ex his, ne longior ſim in ſingulis quibuſque recenſendis, dilucidè patet, odium veritatis, & corruptos ſæculi mores in cauſa fuiſſe, cur tot infœlices animæ ſeductæ fuerint, & etiam nunc ſeducantur.

Quanquam negandum non ſit, jactis jam Hæreſis ſeminibus, & altiùs ac latiùs ſuccreſcentibus zizaniis, nonnullos incautiores ſpecie veritatis fuiſſe deceptos, alios verborum lenocinio & falsâ reformationis pollicitatione fuiſſe irretitos: quoſdam fuco & Verbi Dei oſtentatione in Hæreticorum caſſes incidiſſe; alios denique ab infectis parentibus venenum hauſiſſe. Attamen radicalis errorum omnium cauſa, fuit morum perverſitas ac corruptio, ut jam prænotavi. Unde Pſalmiſta, *Salvum me fac Domine* (inquiebat) *quoniam defecit Sanctus.* Moxque ſubdidit; *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum;* ut hoc ipſo Pſal. 12.
oſtenderet *Sanctitatis defectum*, velut præviam diſpoſitionem malam antecedere, quam illico *imminutio veritatum* tanquam effectus peſſimus conſequeretur. Et ut expreſſius mali originem deſignaret, ita proſecutus eſt: *Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum;* id eſt *vanas cordis* Hierem.
ſui viſiones locuti ſunt, & non ex Domino, ut de pſeudo-Prophetis dicebat olim Hieremias. *In corde & corde*, hoc eſt 23.
duplici corde ſeu intentione *locuti ſunt. Dixerunt linguam noſtram magnificabimus.* Ita dixerunt Hereſiarchæ *ut abducerent diſcipulos poſt ſe.* Act. 20
Labia noſtra à nobis ſunt, à novitatibus & adinventionibus noſtris, non ab ullis antiquitùs receptæ Fidei regulis. Alii dixerunt: *Quis noſter Dominus eſt?* Hi nimirum *qui gloriæ principatuſque causâ, falſas ac novas opiniones ſecuti ſunt*, vel qui libertatis prætextu *extra omnem legem & diſciplinam facti ſunt;* ut meritò proinde di-

cas

Heb. 12. cat ipſis Apoſtolus: *Si extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri & non filii eſtis.*

CAPVT V.

Cur Deus permittat Hæreſes?

NOn eſt hæc nova vel ſpecialis quæſtio: pridem enim mota eſt ac agitata, & quidem generaliùs circa cujuſcumque mali permiſſionem. Nam ſi juxta Sanctum Eccleſiæ Doctorem, *etiam de pecorum doloribus, ſolet minùs eruditorum ſollicitari Fides*, quantò magis de gravioribus quibuſdam diſpoſitionibus aut permiſſionibus divinis, non ſolummodò indoctiorum, verùm etiam eruditiſſimorum, ſi non Fides, ſaltem humana poteſt ratio ſollicitari, & difficillimas interdum pati anxietates: ut mirum videatur, vel etiam ſtupendum, quòd Deus infinitè bonus, & bonum ipſum infinitum, permiſerit Angelorum, ac primorum parentum lapſum, quem facillimè potuiſſet impedire, & innumera mala inde oriunda præcavere.

Aug. l. 3. de liber. Arbit. c. 13.

Ad hanc omnium fortè Theologicarum quæſtionum perplexiſſimam & abſtruſiſſimam: *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Illud imprimis ſupponendum, ac inconcuſsâ fide tenendum eſt, quod ait Pſalmiſta: *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Quamvis enim impoſſibile ſit intellectui humano, *incomprehenſibilia Dei judicia comprehendere, & inveſtigabiles vias* veſtigare; illud tamen debet fidei Domino Deo ſuo, ut nullatenus dubitet eum in omnibus juſtiſſimè ac rectiſſimè procedere, quantumvis ſecretiſſimas illius rationes non poſſit capere, quas ei minimè deeſſe, firmiſſimâ fide credendum eſt.

Rom. 11. Pſal. 118.

Ejuſmodi fundamento ſubnixus Auguſtinus ubi ait: *Credat homo Deum feciſſe quod verâ ratione faciendum fuiſſe cognovit*, ſic ulteriùs progreditur ad enodandam quæſtionem.

Aug. l. 3. de liber. Arbit. c. 5.

Digitized by Google

Ab illa creatura, quam præſcivit Deus in peccandi voluntate manſuram, non abſtinuit largitatem bonitatis ſuæ, ut eam conderet: ſicut enim melior eſt vel aberrans equus quàm lapis, ita & libera voluntas peccans non peccante, quia non habet liberam voluntatem. Et ſicut corporum differentias contemplando videns alia clariora, injuſtè petis auferri quæ obſcuriora conſpexeris, aut clarioribus adæquari; ſed ad perfectionem univerſitatis referens omnia, quantò magis minúſve inter ſe clara ſunt, tantò magis cernis eſſe omnia: ſic etiam differentias animarum cogites, ut univerſitatis perfectioni nec illæ deſint animæ, quæ miſeræ fieri debuerunt, quia peccatrices animæ eſſe voluerunt. ibidem c. 9.

Quomodo ergo (inquies) *juſtè peccata punit* Deus, *quæ ſi defuiſſent, creatura ejus plena & perfecta non eſſet?*

Hìc reſpondetur non ipſa peccata, vel ipſam miſeriam perfectioni univerſitatis eſſe neceſſaria, ſed animas in quantum animæ ſunt, quæ ſi velint peccant; ſi peccaverint miſeræ fiunt. Naturas omnes fecit Deus, non ſolùm in juſtitia permanſuras, ſed etiam peccaturas: non ut peccarent, ſed ut eſſent ornaturæ univerſum, ſive peccare, ſive non peccare voluiſſent. Hæc Auguſtinus.

Addunt nonnulli recentiores, ſupremum ac generalem univerſi rectorem, ejuſque Providentiam decere, ut poſtquam res à ſe conditas ſuis potentiis ac viribus inſtruxit, ſinat eas agi motibus ſuis, alioqui fruſtra potentias illas & vires contuliſſe videretur. Maximè autem congruum fuiſſe volunt, relinqui cauſis liberis uſum libertatis ſuæ, *ut & benè velle poſſent & malè; nec gratis, ſi benè: nec impunè, ſi malè.* Cùm verò dicit Sanctus Doctor: *Deus omnipotens quum ſummè bonus ſit, nullo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo*: hinc colligunt bona ex malis obventura, non eſſe finalem permiſſionis malorum cauſam; ſed potius conditionem, ſine qua non permitteret Deus evenire mala. Verùm hæ diſputationes ad Scholaſticam diſciplinam pertinent. Auguſt. Enchirid. c. 105.

Illud interim Auguſtino certum eſt ac indubitatum,

videlicet

August. ibidem c. 17. Lib. de Corr. & Grat. c. 10. videlicet *Deum benefacere, etiam fieri ſinendo quæcumque mala fiunt : & qui creavit omnia bona valdè, ac mala ex bonis exoritura præſcivit, magis ad omnipotentiſſimam bonitatem ſuam ſciviſſe pertinere, etiam de malis benefacere; quàm mala eſſe non ſinere.*

Itaque quod attinet ad bona, quæ ex Hereſeon permiſſione eliciuntur, illud eſt primum ab Apoſtolo aſſignatum, 1. Cor. 11 *Vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Senſus eſt, ut qui Deo cordium ſcrutatori ac inſpectori probati ſunt, etiam hominibus manifeſti fiant; dum *non fluctuant, nec circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris : veritatem autem facientes in charitate, creſcunt in illo per omnia, qui Caput eſt Chriſtus.* Ephes. 4. Alii verò qui ſtare videntur, ſed *inſtabiles ſunt, quando venit illis tentatio, velut occaſione venti volant foras, quia grana non ſunt.* Aug. Tract. 3. in 1. Ioann. 2.

Secundum bonum à Magno Magiſtro Auguſtino notatum, eſt *Eccleſiæ purgatio. Sunt* (inquit) *qui ſic in Corpore Chriſti ſunt, quomodo humores mali. Quando evomuntur tunc relevatur corpus. Sic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia relevatur & dicit quando eos evomuit :* Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. *Hinc ergo videat charitas veſtra, quàm multi qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum Sacramenta, accipiunt nobiſcum Baptiſmum, accipiunt nobiſcum quod norunt Fideles ſe accipere, benedictionem, Euchariſtiam, & quicquid in Sacramentis Sanctis eſt : ipſius ALTARIS communicationem accipiunt nobiſcum, & non ſunt ex nobis. Ecce facti ſunt Donatiſtæ* (Lutherani, Zuingliani, Calviniani, Anabaptiſtæ) *aut ipſi exierunt à nobis, aut nos ab ipſis. Sed abſit ut nos ab ipſis. Tenemus hæreditatem Chriſti. Illi non communicant Orbi terrarum. Quiſquis huic hæreditati non communicat, foras exiit. Si ergo ex nobis exierunt, Antichriſti ſunt, ſi Antichriſti ſunt, mendaces ſunt; ſi mendaces ſunt, negant IESVM eſſe Chriſtum.* August. ibidem.

Tertium bonum eſt ejuſdem *Eccleſiæ profectus. Catholica quippe Eccleſia per totum orbem validè latèque diffuſa, omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem,* August. lib. de vera Relig. c. 7.

cùm

cùm evigilare voluerint. Vtitur enim Gentibus in materiam operationis ſuæ: Hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ: Schiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ: Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.

Reverà nunquam operoſiùs examinata fuerunt Fidei noſtræ dogmata & myſteria, nunquam diligentiùs & exactiùs diſcuſſa, nunquam profundiùs penetrata, nunquam luculentiùs & apertiùs explicata & propoſita, quàm cum allatrantibus circumquaque & ex adverſo Hæreticis, ac modò hunc, modò illum Fidei Articulum impetentibus, carpentibus & corrodentibus; provocati *Vigiles qui cuſtodiunt Civitatem*, collectis animis intentiſque ſtudiis in hoc incubuerunt, ut Fidelibus laborantibus, linguâ & calamo opitularentur, & Eccleſiam adversùs impios decertantem juvarent ac defenderent. Hinc inſurgentium Hæreſeon occaſione, omnia penè habita ſunt Concilia, & indictæ Synodi, in quibus quid *Spiritui Sancto, & Eccleſiæ videretur*, nobis apertiſſimè pronuntiatum eſt. Hâc eâdem occaſione, tot Sanctorum Patrum ſcripta, tot Eccleſiæ Doctorum diſſertationes, lucubrationes, tractatus, commentarii, expoſitiones, libri, egregia ac divina prorſus opera prodierunt, quibus non ſolummodo erudiuntur, verùm etiam adversùs inſultantes Hæreſes muniuntur ac roborantur poſteri.

Cantic. 3

Act. 15.

Quartum bonum eſt *ſalubris correctio.* Illud enim poteſt ſibi jure meritò Eccleſia uſurpare: *Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Vinea quippe Domini eſt*, quæ fœlicium rerum ſucceſſu exultans, dum *palmites ſuos protendit uſque ad mare, & propagines ſuas uſque ad terminos terræ:* dum *montes operit umbra illius, & arbuſta ejus Cedros Libani*, quandoque in aliquibus ſuis partibus ſilueſcit, & interdum luxurie quâdam diffluit, adeoque opus eſt putationibus, ſuccisionibus ac reſectionibus; quæ dum hereticâ falce admotâ peraguntur, tunc meliùs habet Vinea. Quodque magis mirandum eſt, & Providentiæ Divinæ ſingulariter tribuendum, dum fœtentiſſimarum Hæreſeon

Pſal. 102.

Pſal. 79.

Hæreſeon fæce fimoque conſpurcari videtur, reverà fœcundatur & pingueſcit, ut hæc ſit majoris fructuum ubertatis cauſa, & abundantioris vindemiæ proventus. Ita nimirum Deus *omnia cooperatur* Eccleſiæ ſuæ ac Vineæ dilectæ *in bonum.*

Illud tamen non prætereundum videtur, quòd inter omnes juſtitiæ Dei vindicativæ effectus, quibus in hac vita ſolent hominum peccata acerbiùs caſtigari & plecti, longè graviſſima ſit & maximè formidanda permiſſio Hæreſeos, & non niſi graviſſimis præcedentibus peccatis adſcribenda ac imputanda. Quemadmodum enim in corpore humano (quod alioqui ſpecie exteriori ſanum & incolume apparet) multi humores noxii coacervati, tandem in ulcus tumoremque inflatum, & mox in purulentam fœtentemque ſaniem erumpunt: ita nonnullorum hominum condenſata flagitia in apertam evadunt Apoſtaſiam, & quandoque multiplicata populorum peccata publicam à Fide defectionem, veluti peſſimorum operum peſſimam coronidem ſortiuntur.

Pſal. 88. Quando *derelinquunt homines Legem Dei, & in judiciis ejus non ambulant; quando juſtitias ejus profanant, & mandata illius non cuſtodiunt: tunc viſitat in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*, hoc eſt, fame, peſte, bello, & ejuſmodi conſuetis flagellis atterit & conterit peccantes, ut tandem reſipiſcant & ad Dominum convertantur & revertantur: *miſericordiam tamen non diſpergit ab eis, neque NOCET IN VERITATE:* ſive, non permittit ab eis auferri Veritatem Fidei vel Religionis; non patitur tolli

Luc. 8. de cordibus eorum *ſemen illud bonum, quo credentes ſalvi*

Matt. 13 *fiant:* neque ſinit *ut inimicus ſuperſeminet* Hæreſeos ac infidelitatis *zizania.* Sed interdum talia, & tanta, & tam enormia ſunt ſcelera; ut juſto ſeveroque judicio, *auferatur*

Matt. 21 *tur* à populis *Regnum Dei, fameque Verbi ipſius*, & ſpiritali

Amos 8. peſte, hoc eſt, Hæreſi & infidelitate feriantur.

S. Aug. in Collat. cum Donatiſt. Id *Aphrica* contigit, cùm enim Beati Auguſtini tempore recenſeret ducentos octoginta & ſex Epiſcopos Catholicos,

tholicos, qui præſentes aderant ac intererant publicæ Collationi cum ducentis ſeptuaginta novem Epiſcopis Donatiſtis, ita tandem à Fide defecit, vt nec unicus quidem reliquus ſit Antiſtes Chriſtianus iis in locis, ubi *Cyprianus*, *Auguſtinus* & ejuſmodi Eccleſiæ lumina ſplenduerunt.

Idem etiam accidit Græciæ, quæ *Baſilios*, *Gregorios*, *Chryſoſtomos*, alioſque innumeros Doctores protulit: nunc verò Mahumetanâ impietate prævalente, ad ſolitudinem incultamque barbariem redacta eſt.

Id ipſum ferè paſſæ ſunt præcipuæ Regiones Europeæ, gliſcente graſſanteque Lutheraniſmo, Zuinglianiſmo, Calviniſmo, Anabaptiſmo, ſexcentiſque aliis Sectis: & niſi *Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen* Verbi ſui, *quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Iſaiæ 1.

Veluti autem acerbiores ac periculoſiores morbi, ſolent præviis quibuſdam indiciis ac malis diſpoſitionibus præſignari: imò vehementiores aëris tempeſtates nonnullis præcedentibus ſignis prænotari ac præmetui; ita horrendas illas ſeverioreſque divinæ juſtitiæ animadverſiones, quibus Hæreſeon ac errorum mala permittit, ſemper antecedere ſolent infauſta quædam præſagia ſeu ut alii loquuntur, peſſima aliqua *prognoſtica*: qualia ſunt *Eccleſiaſticorum ſcandaloſa vita*, *ſocordia*, *avaritia*, *luxuria*, *ignorantia*, *& ejuſmodi vitia*. Sæcularium verò *adverſùs res ſacras irreverentia*, *Paſtorum ſuorum contemptus*, *irreligio*, *impietas*, *Sacramentorum neglectus*, *morum arrogantia*, *ſuperbia*, *rerum ad ſalutem ſpectantium faſtidium*, *imò & ludibrium*, *vanitatum verò rerumque fluxarum ac temporalium inexplebile ſtudium*; quæ cùm ſine correctione & emendatione diffundi & invaleſcere cœperint, tunc de proximo Hæreſis vel alia infidelitas pertimeſcenda eſt. Verùm quia hactenus de *Hæreſi* ejuſque *cauſis* (quod ad inſtitutum noſtrum attinet) ſufficienter attigimus: ordo exigit ut de *effectibus* nonnulla ponamus.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Effectus Hæreſis.

In Append. ad Tom. 9. operum S. Aug. QVemadmodùm *tam fæcunda eſt Veritatis authoritas, ut dum diligenter diſcutitur, de ſe gignere quod ipſa eſt*, ſive Veritas veritatem parturire ac parere *dignoſcitur*. ita ex oppoſito *falſitas* (perversâ quâdam Veritatis æmulatione) de ſe quod ipſa eſt, nimirum *falſitatem gignere convincitur.* Imò multiplices alios effectus monſtruoſos, ex ipſa velut parente monſtruoſa pullulare ac enaſci compertiſſimum eſt.

Matth. 7. Divinè prorſus monuit Servator noſter: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Quod & ipſum inculcavit per Apoſtolum ſuum; Act. 20. *Attendite vobis & univerſo Gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo: quoniam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes Gregi, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant Diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate.*

Ecce utrobique præcipitur *attendendum.* Sed à quibus inquies? Num à perſecutoribus, à Tyrannis, à Carnificibus, à Judæis ſævientibus, à Gentilibus ferro flammâque in Chriſtianos graſſantibus? Nequaquam: ſed à *falſis Prophetis, qui veniunt in veſtimentis ovium.*

Verùm quis attendere poterit, *ſi veniant in veſtimentis ovium, & intùs ſint lupi rapaces? Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. Adeoque facillimum erit, ut externâ illâ ſpecie decipiatur fallibilis homo, & quantumvis *Prophetas falſos*, ovinâ tamen pelle contectos, pro veris ovibus accipiat, nihilque minùs quàm à dolo & fraude ſibi metuat. Quapropter benigniſſimus Dominus ac Magiſter noſter, hanc Regulam generalem aſſignavit, hunc nobis præfixit Canonem: *A fructibus eorum*

Digitized by Google

rum cognoſcetis eos, hoc eſt, ab effectibus & operibus illorum. *Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Omnis Arbor bona bonos fructus facit; mala autem Arbor malos fructus facit. Non poteſt Arbor bona malos fructus facere, neque Arbor mala bonos fructus facere. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quaſi diceret, attendentibus vobis, vigilantibus, prudenterque proſpicientibus ac circumſpicientibus, non deerit unde falſos Prophetas à veris, & lupos ab ovibus diſcernatis: *ex fructibus* enim *eorum cognoſcetis eos.* Matt. 7.

Quicumque ergo vultis à luporum rapacium dentibus, à morſibus, à laniena vobis præcavere, attendite *Pontificis animarum veſtrarum* verba: *Audite vocem Paſtoris*, velut extento digito falſos Prophetas oſtendentis.

Qui veniunt ad vos, inquit. Non dicit *qui mittuntur*, ſed *qui veniunt*, qui ſeſe ingerunt, qui ſemetipſos intrudunt, *nuſquam vocati à Deo ſicut Aaron*, nuſquam legitimè miſſi. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur*, aiebat Apoſtolus? Sed hi prædicabant, *hi currebant*, *cùm Dominus non miſiſſet eos.* Quis enim miſit Lutherum? Quis miſit Zuinglium? Quis miſit Calvinum? Proferant ſi placet miſſionis tabulas, & inſtrumenta legitima ac authentica producant. Heb 5. Rom. 10.

Ad Reformandam Eccleſiam ſe veniſſe clamitant. Sed quid eſt Eccleſia, niſi *Domus Dei*, teſte Apoſtolo? Ad Reformandam ergo *Domum Dei* venerunt, neque enim miſſi ſunt. Itáne ad Reformandam *Dei Domum*, ſine ejuſdem Dei & Domini vocatione, juſſione, miſſione prodierunt? Et inultam feret Deus hanc arrogantiam, hanc ſacrilegam præſumptionem? Quis Urbis Præfectus, quis Centurio (ne quid de majoribus dicam) pateretur, milites ſuos exauthorari, militares leges reformari? Quis Nobilis, imo quis infimæ ſortis plebeius, æquis oculis aſpiceret domus & familiæ ſuæ ſtatum immutari, niſi apertè videret ad hoc *datam eſſe poteſtatem deſuper*? Et tamen prætenti Reformatores audent in *Dei Domum* involare, leges à Chriſto Domino, ejuſque Apoſtolis præfixas 1. Tim 3.

 abrogare;

Digitized by Google

abrogare, quæ diſplicent, reſcindere; Ordines Eccleſiaſticos exauthorare, omnia denique ad nutum ſuum diſponere, nullâ ad hoc authoritate ſuffulti. Qui verò Reformati videri volunt, uſque adeò deſipiunt; ut Fidem ac Religionem ſuam, non tam reformari quàm deformari patiantur ab iis, qui hactenus nullam omninò ad tanti momenti mutationem faciendam, exhibere potuerunt commiſſionem (ut ita loquar) nec in æternùm exhibebunt. Quod longè facillimum foret adverti & deprehendi, ſi hanc quæſtionem Miniſtris ſuis inſolubilem moverent.

Cætera pergamus audire. *Qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*, aït Dominus. *Veſtimenta ovium* à falſis Prophetis aſſumpta, *ſunt Divinæ Legis ſententiæ, quibus velut velleribus ſeſe obvolvunt, ut cùm quiſque lânarum mollitiem præſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat.* Ita Vincentius Lirinenſis, & in eundem ſenſum Magnus Irenæus, Ambroſius, Auguſtinus aliique Patres conſpirant, ut velint veſtimenta illa eſſe *literam occidentem* quam à *vivificante Spiritu* avellunt *falſi Prophetæ*; Scripturaſque excoriant, ut detractâ pelle ſeſe cooperiant. Sic olim fecit Arius, ſic Pelagius, & quotquot venerunt Hæreſiarchæ. Hoc vellere ſeſe contexit Lutherus. Hoc abuſi ſunt Zuinglius, Calvinus & alii, ut oves apparerent. Omnes denique illorum Sectarii ad mulierculas uſque, etiamſi nequidem legere norint, uſurpant tamen ſibi *Verbum Dei*, illud ubique prætendunt, illo ſeſe tegumento palliant, ut oves putentur.

Sequitur, *Intus autem ſunt lupi rapaces.* Interior illa rapacitas lupina ſuis ſe prodit effectibus, quos ſenſibiliter toto penè decimo-ſexto ſæculo decurrente experta eſt ingemiſcens Eccleſia, nimirum graviſſimam Orbis Chriſtiani commotionem & perturbationem: conſepultorum errorum renovationem & ab inferis revocationem: prodigioſam opinionum non ſolummodò Catholicis veritatibus adverſantium, ſed & ab invicem diſcrepantium multitu-

multitudinem : omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ everſionem : ſcandaloſam innumerorum apoſtatarum & excucullatorum colluviem : noxiam impunitamque non tam libertatem quàm licentiam : juris & legum contemptum; ſacrorum profanationem, civilium confuſionem : inferiorum ac ſubditorum adversùs Superiores legitimos rebellionem : armorum & bellonæ furias : cædium, rapinarum, incendiorum lamentabiles tragœdias : Monaſteriorum, Templorum, Altarium deſtructiones, iconomachias : Cultus divini abolitionem : Cæremoniarum ſeu rituum Catholicorum abrogationem : omniumque rerum horrendam inverſionem , ut plurimi velut pro foribus formidarent adeſſe ipſum Antichriſtum (ait *Florimundus Remondus* graviſſimus illius temporis Hiſtoricus) cùm tot illius prodromos per Orbem Chriſtianum curſitantes conſpicerent.

Hanc ergo traditam ſibi divinitùs regulam : *à fructibus eorum cognoſcetis eos*, ſi attendere & adhibere voluiſſent, ac etiamnum vellent infœliciſſimi Hæreſis ſectatores, ſemetipſos Lutheranis, aut Zuinglianis aut Calvinianis laqueis eximerent : nam luce meridianâ clariùs deprehenderent, quæ & qualis ſit arbor, tot peſſimorum fructuum ferax ad hæc uſque tempora; quamvis conſeneſcens Hæreſis multùm jam de priori ſua vehementia & calore remiſerit. Porrò ſi omnes illius effectus ſigillatim proſequi, iiſque explicandis immorari luberet, in immenſum & ultra inſtituti mei rationem excreſceret hoc Opuſculum : aliquot tamen palpabiliores in medium adducam, velut maximi momenti ad converſionem, ſi evigilare & oculos aperire voluerint ii, quos Hæreſis huc-uſque faſcinavit.

CAPUT VII.

Hæreſis Obcæcatio.

SOlent Corvi in cadavera involantes, primò oculos roſtris ſuis invadere; ita etiam in quoſcumque ad inſtar prædantis ac inhiantis Corvi inſilit Hæreſis, mox oculos mentis more Corvino eruit. Rurſus ſicut oculis capti, & hujuſce lucis viſibilis uſurâ deſtituti, facilè impingunt in quævis obvia, & in frequentes lapſus proruunt: ſic qui ſupernaturali Fidei lumine privantur, obcæcante nimirum Hæreſi, in quoſlibet errores impelluntur & de abyſſo in abyſſum detruduntur.

Inde procul dubio effectum eſt ut Sectarii novos quoſdam homines, eoſdemque Novatores, nullâ eximiæ doctrinæ vel morum præſtantiâ conſpicuos, ſed Sacerdotii aut Clauſtri, ut plurimùm deſertores, ac errorum publico Eccleſiæ judicio pridem damnatorum aſſertores & renovatores ſequerentur: ab iis per quævis avia ac invia ſeſe præcipites agi paterentur: eos tot illuſtriſſimis Eccleſiæ Doctoribus, vitæ ſanctimoniâ, miraculorum gloriâ, Sapientiæ dono commendatiſſimis præferrent: imò leviſſimas non dico conjecturas; ſed & commenta, & deliria & ſomnia Pſeudo-Reformatorum, quodque gravius eſt, manifeſtas Cacodæmonum ſuggeſtiones, expreſſis Scripturæ Sacræ, Conciliorum ac Patrum teſtimoniis ac rationibus invictiſſimis anteferrent.

Verùm ne quiſpiam forſitan hæc gratis dici, vel à nobis confingi criminetur, ecce *Zuinglius Helvetius* è Conſtantienſis Eccleſiæ inconſtanti Canonico *Sacramentarius*, mox Sacramentariorum anteſignanus, eoque ipſo juratus *Lutheri* hoſtis effectus, non tantùm rudiores gentis ſuæ homines, *craſſaque ſub aëre natos*: ſed & *Calvinum ipſum* alioqui ſubtiliorem, & Gallos noſtros ſatis per ſe acutos, in ſuum induxit errorem, ſuiſque laqueis irretivit.

At

At quânam arte (inquies) quove illice? Ediſſerit ipſemet, linguâque & calamo & libro typis edito (ne quis non ſciret) exprimere voluit. Præſumebat regulari Hæreticorum omnium temeritate, expreſſiſſima Chriſti Domini verba, *Hoc eſt Corpus meum*, in, *Hoc ſignificat Corpus meum*, adeoque in, *Hoc non eſt Corpus meum*, commutare: nec tamen exemplum è Sacris Literis ſuppetebat. *Cùm tredecima lux Aprilis appeteret* (ait Zuinglius) *viſus ſum mihi in ſomno, multo cum tædio, denuò contendere. Ibi tanquam è machina viſus eſt MONITOR adeſſe (ater ne an albus fuerit, non memini, ſomnium enim narro) qui diceret: Ignave, quin reſpondes quod in Exodo ſcribitur, Eſt enim Phaſe, id eſt, Tranſitus Domini? Protinus in hoc phantaſma viſum eſt, ſimul expergefio & è lecto exilio.* Zuingl. in lib. de ſubſid. Euchar.

Ita de ſe ſuoque ſomnio ac MONITORE memorat Zuinglius. Ad quæ reflectens *Schluſſelburgius* Lutheranus: *Vniverſa* (inquit) *Eccleſiæ Dei innoteſcit, quiſnam ſit ille Spiritus, à quo Zuingliani* (adde & Calviniani) *ſuam opinionem ſacramentariam hauſerint. Nempe Spiritus iſte tenebrarum, ater, qui noctu obambulans lucem fugit. Hic Spiritus fallax, ſua fallacia ſomnia Zuinglio ſomniatori inſpiravit.* Schluſſelb. lib. 2 Theolog Calvin.

Jam verò addamus & alium, nempe cæterorum omnium Patriarcham *Lutherum*, qui diſertis verbis affirmat, ſe ab ipſomet Dæmone convictum, Miſſas, quas vocat *angulares aut privatas*, abrogaſſe. Audiamus eum non ſua duntaxat, ſed etiam Diaboli verba reſonantem.

Contigit me ſemel (ait Lutherus) *ſub mediam noctem expergefieri. Ibi Sathan mecum cæpit ejuſmodi diſputationem: Audi Luthere Doctor perdocte, noſti te quindecim annis celebraſſe Miſſas privatas penè quotidie? Quid ſi tales Miſſæ privatæ horrenda eſſent Idololatria? Quid ſi tibi non adfuiſſent Corpus & Sanguis Chriſti, ſed tantùm panem & vinum adoraſſes & aliis adorandum propoſuiſſes? Cui ego reſpondi* (ſubdit Lutherus) *Sum unctus Sacerdos, accepi unctionem & conſecrationem ab Epiſcopo; & hæc omnia feci ex mandato & obedientia Majorum.* Mox prolatis aliquot Diaboli argumentis, pergit Luthe- Luther de Miſſ. priv. & unct. Sacerd. Tom. 7. folio 228. edit. VVittemberg. anno 1558.

Digitized by Google

rus & ait: *In his anguſtiis, in hoc agone contra Diabolum, volebam retundere hoſtem armis, quibus aſſuetus eram ſub Papatu, objiciebamque Fidem & intentionem Eccleſiæ: ſcilicet quòd Miſſas privatas in Fide & intentione Eccleſiæ celebraſſem. Verùm SATHAN contra, fortiùs & vehementiùs inſtans; Age (inquit) prome ubi ſcriptum eſt, quòd homo impius & incredulus poſſit aſſiſtere Altari Chriſti, & conſecrare ac conficere in Fide Eccleſiæ?* Deinde occurrens Lutherus objectioni Catholicorum, quam præſentiebat, ſic proſequitur finem diſputationis Diabolicæ & Sathanicæ: *Hîc reſpondebunt, hîc ridebunt & dicent* (nimirum Catholici) *Túne es Doctor ille celebris, & non noſti reſpondere Diabolo? Sed ſi vobis ſuſtinendi eſſent ictus Diaboli, & audiendæ diſputationes, non diu eſſetis cantilenam de Eccleſia, & veteri recepto more cantaturi. Ego planè perſuaſus ſum Empſerum, & OEcolampadium, & ſimiles, his ictibus horribilibus & quaſſationibus ſubitò extinctos eſſe.* Hactenus Lutherus.

Verùm quid tandem aſſecutus eſt Dæmon ſuâ illâ nocturnâ diſceptatione & luctâ? niſi quòd *Lutherus* in ſuggeſtam à tenebricoſo Diſputatore proculcationem miſſæ, pedibus ierit; ac demùm publicè proteſtatus fuerit, *ſe nihil morari clamores, quibus Catholici quiritantur: Eccleſia Eccleſia, Patres Patres, Sanctus Gregorius, Sanctus Bernardus tales Miſſas celebrarunt.*

Ita nimirum apud eum prævaluit & evicit teterrimus Impoſtor, ita illum adegit *Rector tenebrarum*, ut repudiatâ totius Eccleſiæ & Sanctorum Patrum luce, maluerit cum ſuo caliginoſo & Avernali Apparitore, in via falſitatis & Hæreſis, quàm cum Eccleſia & Sanctis Patribus in lumine veritatis ambulare.

Jam vide (*Lector*) & apud temetipſum attentiùs expende, quonam duce, monitore, ac ſuggeſtore, Zuinglius primùm, dein Calvinus eorumque Aſſeclæ, Zuingliani & Calviniani, ad impugnandam & evertendam veritatem de reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia proruperint? Quonam item authore famoſus ille

allorum

aliorum omnium primipulus Lutherus ad abrogandam Miſſam prodierit? Sole Meridiano clariùs perſpicies inſignes illos Proto-Reformatores prætentos, non ab Angelis lucis, ſed à *negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & Dæmonio* nocturno perſuaſos & incitatos, ejuſmodi facinora & alia conſequentia aggreſſos fuiſſe. Pſal. 90.

Sed iterum vide, mirare, & altiùs ingemiſce horrendam illam cæcitatem, quâ plurimi hodie correpti, & Lutheranæ, Zuinglianæ ac demùm ab hac oriundæ Calvinianæ Sectæ, animitùs addicti, nec vident nec cogitant, ſe prætextu ſpecieque Reformationis, ad Proto-Reformatorem Diabolum, mediatè & ultimatè reduci: hoc eſt, Reformatam illam Pſeudo-Fidem (quam erroneè profitentur) in authorem Diabolum analyticè tandem ſeu reſolutivè terminari.

CAPVT VIII.

Hæreſis elatio, arrogantia, ſuperbia & præſumptio.

VT Hæreſis ſectatores ſuos obcæcatos, ita elatos, arrogantes, ſuperbos, præſumptuoſos, temerarios, inobedientes ac rebelles efficit. Quid enim elatius, quàm ſupra ipſum Dei Verbum, ſupra Eccleſiam Univerſam, ſupra Traditiones Apoſtolicas, ſupra Concilia œcumenica, eorumq; Decreta ac ſancita, ſupra Conſuetudines receptas, ritus & jura omnia, proprio privatoque ſpiritu efferri? Quid præſumptuoſius eſſe aut cogitari poteſt, quàm Fidem illam *cujus Author & Conſummator eſt IESVS*, Heb. 12.
quæ ab ejus Apoſtolis *annuntiata in univerſo mundo*, tanto Rom. 1.
gentium omnium conſenſu recepta, tot ſignis & miraculis plantata ac roborata, tam copioſo Martyrum ſanguine rigata crevit, adolevit, & ad nos uſque per continuam ſucceſſionem integra pervenit: Fidem inquam illam abrogare, & novam quamdam recens confictam, ac omnibus

retrò ſæculis incognitam, aut ſaltem communi Eccleſiæ judicio damnatam ſubrogare ac intrudere?

Quod ut palam fiat, urgendi ſunt Adverſarii noſtri, ſive *Lutherani*, ſive *Zuingliani*, ſive *Calviniani*, ſive quocumque tandem nomine cenſeantur, ut prætentæ Fidei ſuæ vel *Confeſſionem*, vel *Profeſſionem Auguſtanam*, *Gallicam*, *Helveticam*, *Anglicam*, *Belgicam* aut ejuſmodi (quam Catholicæ opponunt) manifeſtè doceant ac oſtendant ab Apoſtolorum temporibus per ſingulas ætates, communi credentium uſu fuiſſe receptam & frequentatam; communi Eccleſiæ calculo probatam, & ab omnibus ſingulorum ſæculorum Fidelibus uſurpatam. Deſignent quodnam ex omnibus Chriſtiani Orbis partibus Regnum, Natio, Provincia, Urbs, Oppidum, Pagus omnes & ſingulos hujuſcemodi Confeſſionis aut Profeſſionis articulos tenuerit, crediderit, & in eos publicè conſenſerit.

Neque verò audiendi ſunt, dum ad inviſibilis Eccleſiæ commentitias latebras refugiunt, vel ex antiquarum Hæreſeon laciniis centonem quemdam conſarciunt ac obtrudunt; hoc enim deſperatæ cauſæ evidens eſt indicium, non patrocinium.

Denique quid arrogantius vel magis temerarium fingi poteſt, quàm ſine ulla miſſione vel commiſſione legitima *Domum Dei (quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis)* invadere, & arrogatâ ſibi poteſtate ac authoritate, omnia pro libitu innovare, & ſpecie reformationis, deformare? Porro non eſt neceſſe ad prioris ætatis Hiſtorias recurrere, quandoquidem hiſce noviſſimis temporibus ſuppetant exempla cunctis notiſſima, ipſo facto comprobatiſſima, adeoque omni exceptione majora: quid enim vel intactum vel intentatum reliquit factio Lutherana, & aliæ quæ ex eadem velut ex equo Troiano ad publicum Orbis Chriſtiani incendium prodiere, maximè verò Calviniana reliquis omnibus elatior & arrogantior.

1. Tim. 3

Primò. E Sacris Scripturæ Libris expunxit *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*,

Eccleſiaſticum, Tobiam, Iudith, Baruch & *Machabæos* Reliquum verò Scripturæ Corpus, falſis & ad ſtabiliendum errorem compoſitis annotationibus, verſionibus, expoſitionibus, penitus corrupit & adulteravit. Reform. Confeſſ. Gall. art. 3.

Secundò. Interpretandi officium ac munus (quod ſolis Eccleſiæ Paſtoribus & Doctoribus competit) Textoribus, Lanificis, Sutoribus, Sartoribus, Aurigis, Nautis, ipſis denique mulierculis attribuit: & intelligentiam Scripturæ, à communi ſenſu & conſenſu Eccleſiæ (ex Spiritus Sancti ſuggeſtione) dependentem, *peculiari cuidam perſuaſioni interiori* aſſignavit. ibidem art. 4.

Tertiò. Optimam illam & pulcherrimam Monarchiæ formam, ſub uno Capite viſibili (quod Chriſtus Dominus toti, quâ latè patet, Eccleſiæ præfecit) auſa eſt tollere ac reformare, & novam quamdam Anarchiam, Corpuſque Acephalum, ſub Miniſtris *eandem inter ſe authoritatem, ac poteſtatem æqualem ubicumque locorum habentibus*, introducere. ibidem art. 30.

Quartò. Ex ipſo Symbolo Apoſtolico Articulos aliquot alteravit, nimirum de Chriſti Domini deſcenſu ad inferos: de remiſſione peccatorum (*quam ad ſolam non-imputationem* contraxit) de communione Sanctorum, à qua & Sanctos cum Chriſto regnantes, & animas in Purgatorio expiandas penitus excluſit ac exploſit. art. 18.

Quintò. Septenarium Sacramentorum numerum detruncavit, *& ad binarium redegit*: eorum autem (quæ retinuiſſe viſa eſt) Sacramentorum effectum ſuſtulit, dum realem præſentiam Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia, & peccati quoad culpam, remiſſionem in Baptiſmo negavit. art. 35.

Sextò. Auguſtiſſimam Sacrificii novæ Legis formam à Domino inſtitutam abolevit & reformavit, ſubintruſâ quâdam Cænâ imaginariâ & phantaſticâ. Catechiſ. Reform. Dominicâ 52.

Septimò. Abrogatis Ritibus & Cæremoniis longè antiquiſſimis, omnibuſque penè Majorum Traditionibus, novas quaſdam ac inuſitatas obſervationes pro libitu invexit. Forma Reform. miniſt. Cænam & Sacr.

Digitized by Google

Octavò. Dies feſtos in Eccleſia Dei ſolemniter celebrari ſolitos, & jejunia ſtatis anni temporibus peragi conſueta eliminavit, & gradus ac Ordines Eccleſiaſticos evertit, ut novam quamdam Eccleſiæ prætentæ faciem, ſine Epiſcopis, ſine Sacerdotibus, ſine Aris, ſine Sacrificiis oſtentaret.

Rithm. Beza & Marot *Nonò.* Officium Divinum à tot ſæculis obiri ſolitum, & Hymnodiam illam ac Pſalmodiam diurnis nocturniſque horis frequentatam proſcripſit, *ut cantilenas rithmicas ad horam decantaret.*

Decimò. Ne quid inviolatum ſupereſſet, continuò bellum indixit Templis, Oratoriis, Sacellis, Aris, Vaſis ſacris, Collegiis, Monaſteriis, Clauſtris, Votis, Fundationibus piis, Crucibus, Imaginibus, Abſtinentiis, Vigiliis, Peregrinationibus, ac omnibus in univerſum Legibus Eccleſiaſticis, ut quicquid piiſſima Religio, ab Apoſtolis acceptum, & devotiſſimâ conſuetudine obſervatum hactenus cuſtodierat, ſimul & ſemel everteretur ac deleretur.

Quòd ſi juxta ſaluberrimum Chriſti Domini monitum, Matth. 7 *à fructibus cognoſcenda ſit arbor*, iterum atque iterum vide (mi Lector) quænam ſit Epiſt. Iud. *arbor illa autumnalis, infructuoſa, bis mortua*, quæ hujuſmodi fructus protulit.

CAPUT IX.

Hæreſis inſtabilitas ac inconſtantia.

HÆc *inſtabilitas ac mentis inconſtantia*, quam Hæreſis efficit, ex duabus potiſſimùm cauſis oritur, quarum *prima* eſt *defectus regulæ credendi*; *altera* verò, eſt *innatum quoddam ſtudium ac pruritus innovandi*: nam quicumque *Hæretici*, iidem ſunt *Novatores*; & quicumque *Novatores* in rebus Fidei, iidem *Hæretici*.

Una eſt certiſſima & infallibilis regula Fidei, videlicet *Dei Verbum, ab Eccleſia propoſitum, juxta verum & legitimum illius ſenſum veramque intelligentiam.* In eum enim finem,

ſians

ſtans IESVS in medio ſuorum, *aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas.* Luc. 24.

Item *eritis mihi teſtes* (ait) *in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Ne quis verò hunc canonem ſeu regulam convellere vel infringere præſumeret, terrorem incuſſit, dum dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Act. 1. Luc. 10.

Unde primitiva Eccleſia in illo primo Concilio (quod omnium poſtea futurorum formam præmonſtravit) tantâ aſſeveratione pronuntiavit, *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis*, ut nimirum omnium ſubſequentium ſæculorum Fideles intelligerent, quicquid ſibi ab Eccleſia vel credendum vel obſervandum proponeretur, hoc Spiritui Sancto videri, quod Eccleſiæ videretur; & illud ipſum Eccleſiæ videri, quod Spiritui Sancto videretur: *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternùm, ſed reus erit æterni delicti.* Act. 15. Marc. 3.

Reverà ſi tanta fuit olim *Scribarum & Phariſæorum ſuper Cathedram Moyſi ſedentium* prærogativa, ut *omnia quæcumque dixerant*, ipſemet Chriſtus Dominus *ſervanda & facienda* indubitanter aſſereret: quantò magis deferendum eſt Eccleſiæ? Matt. 23

Quantò potior, & omni exceptione major eſſe debet authoritas illius, *quæ eſt columna & firmamentum veritatis*: cum qua *Chriſtus eſt omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: quàm *ſi quis non audierit, erit ſicut Ethnicus & Publicanus*? 1. Tim. 3. Matth. ult. Matt. 18

Denique quantùm præ Moyſi Cathedræ moderatoribus audiendi ſunt, quos *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo*? Hunc autem canonem convellentes & repudiantes Hæretici, hoc fundamentum (*præter quod nemo poteſt aliud ponere*) ſubvertentes, longè aliam ſibi regulam in adinventionibus ſuis adinvenerunt, aliud prorſus fundamentum poſuerunt, *erroneas* videlicet *conſequentias ſeu illationes ex Verbo ſcripto* Act. 20. 1. Cor. 3.

perperam

Digitized by Google

perperam intellectio elicitas, interpretationes proprias, & gloſſemata quædam interpolata ad Verbum Dei adulterandum.

Illud ſanè omnibus ſalutis ſuæ ſtudioſis, & veritatis amatoribus præcipuè attendendum eſt, ſcilicet Eccleſiam à temporibus Apoſtolorum ad hæc uſque tempora, propoſuiſſe Fidelibus Verbum Dei ſcriptum & traditum; verumque & germanum illius ſenſum ac intelligentiam, tanquam certiſſimam & irrefragabilem Fidei regulam. Tutiſſimâ illâ ac tritiſſimâ viâ gradiendo, quotquot unquam inter Orthodoxos emerſerunt diſceptationes, fœliciſſimè compoſuit; quotquot prodierunt Hæreſes, invictiſſimè debellavit, & inconcuſſam hactenus Fidei unitatem ac firmitatem, inter tot horrendas tempeſtates, continuâ mille ſexcentorum annorum ſeriе inviolabiliter retinuit.

Ex oppoſito autem Hæretici *Novatores*, dum auſu temerario in Scripturas Sacras involarunt, eas non ex communi Eccleſiæ ſenſu ac intelligentia, ſed ex proprio privatoque cerebro interpretati ſunt, contra illud expreſſiſ-
2. Pet. 1. ſimum: *Omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.* Inde obſtetricante erroneo intellectu, per falſas illationes *nova* quædam dogmata, tanquam ſpurios fœtus pepererunt. Et cum naturali inclinatione ferantur parentes ad genitam ex ſe prolem amandam, oſtentandam ac aliis præferendam; hinc conſequenter factum eſt, ut conceptus illos apud ſe natos, quantumvis illegitimos plus nimiò amaverint, & legitimo totius Eccleſiæ ſenſui antepoſuerint, ſeductiſque diſcipulis vel ſequacibus ſuſcipiendos, fovendos & amplexandos propoſuerint.

Hoc ipſum invictiſſimâ hâc ratione convinco.

Seligant Lutherani, Zuingliani, Calviniſtæ & quotquot ſunt adverſarum partium ſive Duces ſive Sectarii, ſeligant (inquam) propoſitiones omnes & ſingulas, quas contra Romanæ Eccleſiæ Fidem tuentur ac profitentur, evidentiſſimè patebit nullam prorſus earumdem propoſitionum extare in Scripturis; alioqui toties provocati, le-

gendam

Digitized by Google

gendam obtuliſſent, aut deſignaſſent librum Canonicum, Caput & Verſiculum, in quo apertè & manifeſtè, citra ullam *additionem, detractionem aut mutationem* legi poſſet ab iis, qui ſaltem legere ac intelligere norunt. Itaque niſi quiſpiam oculos, ſive mentis ſive corporis voluntariè velit claudere, hoc eſt, cæcitate voluntariâ aberrare, facillimè advertet nullam omnino illarum propoſitionum, quas Adverſarii contra Romanæ Eccleſiæ Fidem proponunt, extare in Scripturis Sacris. Quòd ſi nulla prorſus in Sanctis illis Codicibus conſcripta legi poteſt (quod omnibus qui legere norunt, manifeſtiſſimum eſt) undénam precor ejuſcemodi propoſitiones ſeu articuli, niſi ex privatis Novatorum cerebris, & ex officina ac incude fallibilis illorum intellectus prodierunt?

Magno illo oſtio aperto, ſuas fabricatus eſt *Lutherus* opiniones, ſuas *Zuinglius*, ſuas *Calvinus*, & è Lutheranis ſuas *Melanchton*, ſuas *Illyricus*, ſuas alii: adeóque innumera Colluvies novorum Religionis Artificum breviſſimo tempore Germaniam, mox alias Europæ partes diverſis & adverſis Fidei Confeſſionibus ſeu Profeſſionibus implevit. Cujus quidem tum inſtabilitatis, tum contrarietatis pertæſus juſtoquè pudore ſuffuſus *Henricus Chroüetius* Miniſter Ulnenſis, maluit ſcripto publico, typis *Ezechielis Boucher* Trajecti ad Moſam edito, celebrem hactenus Cõfeſſionem Gallicam negare & abnegare, quàm illius tuendæ periculũ ſubire: profeſſus apertè ſe nullam Fidei Confeſſionem, præter Scripturam Sacram agnoſcere. Sed ubi ad hanc devenitur, tunc *pro puro Dei Verbo infallibili*, non niſi *verbum hominum fallibile*, hoc eſt interpretationes, illationes & erronea ac impia gloſſemata proferuntur, quod eſt *pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro ovo porrigere ſcorpionem.*

Henricus Chroüetius Miniſter Calvinian.

Luc. 11.

Porrò perplexitatem illam, in qua verſantur & reverſantur Heterodoxi, manifeſtè arguunt ac convincunt continuæ illorum diſceptationes de rebus Fidei in quibuſvis congreſſibus & occurſibus, in hoſpitiis, in menſis,

in

in navibus, in itineribus: ita ut idiotæ & Artifices ac Mechanici, garrulæque anus, & mulieres, juvenes & adoleſcentes præſumant de profundiſſimis myſterijs diſputare, affirmare vel negare, judicium ferre, Scripturas pertractare, & eas privato ſenſu intelligere, exponere, modò ad hunc, modò ad illum errorem detorquere; totque Fidei formas fingere ac refingere, quot ſenſus vel interpretationes diverſas ſibi formaverint. Vix duos aut tres invenias, qui in omnibus & per omnia, inter ſe de Fide conſentiant & conveniant. Hinc fit ut in eadem domo Pater *Lutheraniſmum*, Mater *Calviniſmum*, Filius *Anabaptiſmum*, Filia *Arminianiſmum*, Ancilla *Gommariſmum* ſectetur: nec deſint qui nullam omninò Religionem profiteantur, *nullius addicti jurare in verba Magiſtri*. Neque mirum, cùm enim ſint alieni à Catholica, in quâ ſolâ eſt ſecuritas ac omnimoda veræ Fidei certitudo, fixaque ac inconcuſſa credendi regula, aliundè autem tot diverſas & adverſas Sectas intueantur, maximas fluctuationes ac mentis æſtus patiuntur, dum non vident ubi tutò conquieſcere, ubi pedem figere, ubi gradum ſiſtere poſſint; adeoque vel Academicorum more ex veri inveniendi deſperatione, omnem ſuſpendunt aſſenſum, vel ex Epicuri præſcripto corporeis duntaxat incumbunt.

Videtur enim Dæmon has Gentilium Philoſophorum Sectas rurſus excitaſſe, ut *Academici* ſint qui de omnibus Religionis ac Fidei myſteriis dubitant, *Peripatetici* ſint qui de omnibus diſputant & contendunt. *Stoici* ſint qui cujuſdam *fortitudinis animi* prætextu, ferè omnia reſpuunt, adeò ut nullâ re moveri, nullis motivis ſe ad credendum induci patiantur, eaque ſola æſtiment, quæ à ſemetipſis adinvenerunt. Et hi ab impietate & Atheiſmo quàm propè abſunt. Alii denique ſint *Epicurei*, qui in iis ſolummodo quæ ad voluptatem & delectationem facere poſſunt, finem ultimum conſtituunt. Ut autem eam (de qua cæperamus initio diſſerere) inſtabilitatem ac inconſtantiam proſequamur, ſufficiat Vincentii Lirinenſis verba

Gallico noſtro idiomate *Les Eſprits forts.*

Digitized by Google

verba proferre, eam enim graphicè & diſertè ante annos mille & amplius deſcripſit in hunc modum : *Et perire metuunt & redire erubeſcunt, ſaucii, ſemi-neces, ſemi-vivi : quippè qui tantam veneni hauſerint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec vivere ſinat. Heu miſeranda conditio ! Quantis illi curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur ! Nunc etenim quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur. Nunc in ſemetipſos reverſi, tanquam contrarii fluctus reliduntur. Nunc temerariâ præſumptione, ea quæ incerta videntur, approbant. Nunc irrationabili metu, etiam quæ certa ſunt, expaveſcunt : incerti quò eant, quà redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæquidem dubii & malè penduli cordis afflictio, divinæ erga eos miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcirco enim extra tutiſſimum Catholicæ Fidei portum, diverſis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis ; ut excuſſa in altum elatæ mentis vela deponant ; quæ malè novitatum ventis expanderant, ſeſeque intra fidiſſimam ſtationem placidæ ac bonæ Matris reducant & teneant, atque amaros illos turbulentoſque errorum fluctus, primitùs revomant ; ut poſſint deinceps vivæ & ſalientis aquæ fluenta potare. Dediſcant benè, quod didicerunt non benè. Ex toto Eccleſiæ dogmate, quod intellectu capi poteſt, capiant : quod non poteſt, credant.* Hæc Lirinenſis, quæ utinam novorum Dogmatum Sectatores *intelligerent*, & expenderent, ac *noviſſima providerent.*

Vincent. Lirinenſ.

Verùm quidem eſt eos graviſſimam luctam in animo pati, dum per variorum errorum ſyrtes, novarum doctrinarum vento circumferuntur : ſed longè gravior erit motus, longè atrocior tempeſtas in morte, dum cogitationibus in utramque partem colluctantibus, nutante aſſenſu dubio ac fluctuante, Diabolo autem flante, undaſque nunc attollente, nunc deprimente, non erit quò dirigatur navis, quò appellat, quibus funibus & anchoris firmetur, quo remedio vitetur naufragium & imminentis æternæ mortis præſentiſſimum exitium.

Digitized by Google

CAPVT X.

Hæreſis Fallacia.

NOn ſine cauſa metuebat Apoſtolus Corinthiis ſuis,
2.Cor.11 *quos deſponderat uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*, ne videlicet *ſicut Serpens Evam ſeduxit in aſtutia ſua, ita corrumperentur ſenſus eorum, & exciderent à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* Quod quidem ſemel Corinthiis dictum, omnibus omninò Chriſtianis dictum eſſe putandum eſt. Nam cunctis retrò ſæculis, ſed potiſſimum hiſce noviſſimis temporibus factum eſſe videmus & dolemus, ut *ſicut Serpens Evam ſeduxit in aſtutia ſua*, ita ſubintroductâ Hæreſi corrupti fuerint multorum ſenſus & *exciderint à ſimplitate Fidei* & doctrinæ, *in Chriſto*; & ab unitate *in ejus Corpore, quod eſt Eccleſia.*

Quonam autem pacto *Serpens Evam ſeduxerit in aſtutia ſua*, planum eſt ex Geneſi: ubi *Serpens callidior cunctis a-*
Gen. 3. *nimantibus terræ, dixit ad mulierem: CVR præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno Paradiſi?* Adverte Serpentis aſtutiam. Ecce Serpentinum illud CUR inſufflavit CURioſæ mulieri, ut dum præcepti rationem vel cauſam, CURioſiùs quàm par erat, vult indagare ac inſpicere: etiam præceptum ipſum non vereatur deſpicere: adeoque *excidat à ſimplicitate*, hoc eſt, ab obedientia ſimplici, quam Deo, ejuſque mandato debebat. Hujus fallacis aſtutiæ ſucceſſu elatus Serpens, cùm
Luc. 15. videret *appropinquantes ad IESVM peccatores*, & non tantummodo non dedignantem JESUM; verùm etiam benevolè *recipientem & cum ipſis manducantem*: imò cùm audiret JESUM promittentem *dare Carnem ſuam ad manducan-*
Ioan. 6. *dum, & Sanguinem ad bibendum*; ita ut *niſi manducarent & biberent, non habituri eſſent vitam*, quam primi parentes, ejuſdem Serpentis aſtutiâ faſcinati, ſibi poſteriſque ſuis amiſerant; continuò callidiſſimus hoſtis, fraudulentum illud

Digitized by Google

illud QUOMODO inſpiravit, perſuaſitque Judæis ut dicerent: QUOMODO *poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum?* Denique his temporibus, interrogatorium illud UBI, prioribus ſuis adinventionibus adjecit, quod longè antea præviderat ac præmonuerat Beatus Petrus, dum aiebat: *Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, ambulantes juxta proprias concupiſcentias, dicentes VBI eſt promiſſio, &c.?* ibid. 2. Pet. 3.

Reverà vix eſt ullus aut ulla inter Sectarios, ſed potiſſimùm inter Calviniſtas (prout experientiâ conſtat) in cujus ore non ſint ſeductoria illa adverbia, CUR, QUOMODO, UBI. Hinc prodeunt quæſtiunculæ, quæ paſſim ab idiotis ipſis ac mulierculis, novo Reformationis ſpiritu afflatis memoriter ediſcuntur, & ad nauſeam uſque ingeruntur, quales ſunt ſequentes.

Cur præcipit Eccleſia, ne Laici ſub utraque ſpecie communicent?

Cur non permittit Sacerdotibus Conjugia?

Cur prohibet legi promiſcuè à quibuſcumque Biblia?

Cur Feſtorum, Iejuniorum, annuæ Confeſſionis & Communionis obligationes inducit?

Quomodo poteſt idem Chriſti Corpus eſſe ſimul in Cælo & in Altari?

Quomodo poteſt eſſe præſens in tot diſſitis locis?

Quomodo poteſt eſſe quantum ſub modicis ſpeciebus?

Vbi Deus nos vel alios jubet eſſe barbaros, ut oremus linguâ ignotâ?

Vbi legitur quòd Sanctus Petrus fuerit aliquando Romæ?

Vbi fit mentio lymbi puerorum ſine baptiſmo decedentium?

Vbi præcipiuntur baptizari Campanæ?

Hoc poſtremùm non ita pridem Francus Apoſtata, objiciebat Hagæ Comitum apud Batavos Matronæ cuidam Leodienſi, velut horrendam baptiſmi profanationem: uſque adeò nimirùm peritus erat garrulus ille fugitivus ac deſertor, ut inter benedicendi cæremonias & baptizandi ritum diſcernere non poſſet, non ſufficeret,

non valeret. Sed de his interrogatiunculis fuſius poſt-modum agemus in Methodo Defenſiva. Interea advertendum eſt non unâ, ſed variâ multiplicique fallaciâ & aſtutiâ ſerpſiſſe ac gyraſſe tortuoſum Serpentem, ut incautiores ſeduceret & ſenſus eorum corrumperet.

Prima fuit, quòd operam ſuam ad hoc locantibus Hereſeon Architectis, Scripturæ Sacræ in vernaculum ſermonem verſæ, ſimulque additionibus, detractionibus, & ad inducendum errorem appoſitis annotationibus adulteratæ: tales demùm ingeſtæ fuerint manibus populi, qui hiſce codicibus armatus, Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, ac totius Eccleſiæ Judex conſtitutus eſt: ut nullus ſit ſive Nauta, ſive Auriga, ſive Textor, ſive Lanio, ſive Sartor, ſive Sutor vel Cerdo quiſpiam: imò nulla muliercula, nullus imberbis juvenis, qui non terat manibus Scripturam, ſeq; perfectiùs intelligere præſumat, quàm Irenæi, Hilarii, Ambroſii, Hieronymi, Chryſoſtomi, Auguſtini, Gregorii, aliique Sanctiſſimi & eruditiſſimi Patres. Verùm quemadmodum contigit *Beth-Samitis, ut ſeptuaginta viri*, è primaria videlicet Nobilitate, *& quinquaginta millia plebis*, ſeu vulgi promiſcui, *percuſſa fuerint, plagâ* utique *magnâ*, eò quòd inſpexiſſent in Arcam Domini, quod ne *Levitis* quidem licebat ſub pœna mortis, ſed ſoli *Aaron & filiis ejus*: *ita Hæretici falsâ contemplatione decepti*, ut pulchrè advertit Gregorius Magnus, *dum Arcam videre præſumerent, percuſſi ſunt. Et cùm Domini ac Redemptoris noſtri Sacramenta indignè diſcuterent, æternæ damnationis laqueis, per fallaciam erroris ſunt depreſſi.*

1 Reg. 6.

Serar. & Vatabl.

Secunda fallacia fuit, & etiamnum eſt, quòd Hæreſiarchæ Sectatoribus ſuis perſuaſerint, *Eccleſiam Romanam* (in quâ baptizati ac educati adoleverant & creverant) *eſſe puram putam Babylonem, omnium idololatriarum ac ſuperſtitionum ſentinam. A Cœtibus Papiſticis ſinceram veritatem eliminatam eſſe: Sacramenta corrupta, adulterata vel prorſus annihilata.* Quid ergo mirùm, ſi malecreduli homines, his mendaciis

Confeſſio Gallica Reform. art. 28.

mendaciis illuſi, hiſce dolis irretiti, his fraudibus circumventi, Eccleſiam abhorreſcere cœperint, & ab ea defecerint, quam tot atris coloribus depictam, & tot convitiis onuſtam ac infamatam repræſentabant hoſtes illius, nimirum Lutherus, Zuinglius, Calvinus & ejuſcemodi Novatores; ut quoſcumque poſſent, ad illius odium concitarent, & ex apoſtatarum, deſertorum ac transfugarum collectis quiſquiliis, vel influente colluvie factiones ſuas augerent. Neque enim alio prætextu, *ſe extraordinario modo à Deo ſuſcitatos eſſe*, mentiti ſunt; quàm ut *Eccleſiam interruptam, ac in ruina & deſolatione jacentem, de novo erigerent.* Ita apertè profitentur in Confeſſione Fidei Reformatæ. Confeſſ. Gallica Reform. art. 31.

Tertium fallaciæ genus (ab ipſo Sancto Doctore jam à mille & amplius annis, in Hæreticis notatum) fuit illud, *quòd non habendo quid in cauſa ſuæ diviſionis defenderent, non niſi hominum crimina colligere affectarint & ea ipſa plura falſiſſimè jactarint: ut quia divinæ Scripturæ veritatem criminari non poterant, homines per quos prædicatur, adducerent in odium, de quibus & fingere quicquid veniſſet in mentem, potuerunt.* S. Aug. epiſt. 137.

Hic eſt omnium fermè Hæreticorum genius. Hoc ad decipiendos incautiores artificium. Unde & eorum Cathedræ virulentis in Summos Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Paſtores, Sacerdotes, Clericos, Monachos convitiis, ſarcaſmis, lœdoriis, & confictis criminationibus perſonant, libríque typis editi paſſim infarciuntur. Ita nimirum impii Regis *Balac* Stratagemate abutuntur, Num. 23 qui pretio conductum *Balaam ad maledicendum Iacob, & ad deteſtandum Iſraël*, in eum adduxit locum, unde partem Iſraël videret (extrema ſcilicet Caſtrorum, in quæ egerebantur ſordes) *& totum videre non poſſet, indéque malediceret ei.* Sic Hæretici partem Catholicorum oſtentant, Aug. lib. de mor. Eccleſ. c. 34. & epiſt. 137. *quorum vitâ vituperatâ decipiant incautos. Nec enim ad aliud ſedent, vel aliud captant* (ait Auguſtinus) *niſi ut quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit,*

derit, omnes tales eſſe credant, jactent, contendant: ſed non poſſe omnes manifeſtari. Et tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata invenitur adulterata, nec projiciunt uxores, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de aliquibus qui ſanctum Nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Hæc Auguſtinus.

Quarta fallacia fuit, quòd Pſeudo-Reformatores, eorumque Aſſeclæ, plurima Catholicis impoſuerint, tanquam ſi ab illis fide divinâ crederentur. Et inde proficiſcuntur quæſtiunculæ illæ ſupra commemoratæ, quibus Sectarii ſolent Catholicos præſertim rudiores laceſſere & exagitare. Has & ſimiles furfuraceas interrogatiunculas, numero ſeptemdecim, non ita pridem, è Mola ſua Sedanienſi protulit *Petrus Molinæus*, Archi-Miniſter Calvinianus, eaſque non *in azimis ſinceritatis & veritatis, ſed in fermento malitiæ & nequitiæ* ſubactas ac maceratas, ſubdolèque incruſtatas, vulgi manibus injecit. Verùm impoſturas illas detexit, & egregiè confutavit celebris Theologus Ordinis noſtri Fratrum Minorum Recollectorum, Provinciæ Colonienſis, libro edito, ſub titulo *Compendii Controverſiarum*, cui nullus Miniſtrorum reſpondere attentavit.

1. Cor. 5.

R. P. Bernard. Vetvveis

Quinta denique *fallacia*, omnium graviſſima & perniterioſiſſima, fuit *Verbi Dei larva*, quam Novatores maiorum ſuorum more, novis dogmatibus affigere & affingere voluerunt. Unde mirum non eſt, ſi tot idiotæ, illiterati, plebei, agreſtes & rudes homines ac ſimplices: maximè autem *otioſæ, verboſæ* ac *curioſæ* mulieres, plauſibili fucatâque *Verbi Dei* oſtentatione illectæ, & *prurientes auribus Magiſtros* nactæ, *à veritate auditum averterint*, nec ſolummodò *ad fabulas*, verùm etiam ad Hæreſes *converſæ* & perverſæ fuerint. Neque enim defuerunt Hæreſiarchæ, eorumque emiſſarii, qui publicatis contra Fidem avitam Libellis, ſpecioſo Scripturæ Sacræ fuco coloratis, paſſimque per ignarum vulgus diſperſis, uſque adeò credulam imperitorum turbam dementarunt, ut falſitatem pro veritate, menda-

2. Tim. 4.

Digitized by Google

mendaciſſimorum hominum verba pro infallibilibus Dei oraculis, ac malum ipſum pro bono avidiſſimis auribus animiſque arriperent. Et quemadmodum phœnix ingeniorum Auguſtinus, non aliam ob cauſam ſe olim in *Manichæos ſuperbè delirantes* incidiſſe deplorat, niſi quia dicebant *Veritas, Veritas: & promittebant ſe terribili authoritate ſeparata, mirâ ac ſimplici ratione eos qui ſe audire vellent, introducturos ad Deum*: ita plurimi non aliam ob cauſam Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam & ſimiles ſecuti ſunt, iiſque adhæſerunt, niſi quia pleno ore jactabant, *ſe Traditionibus hominum ſeparatis, puro Dei Verbo, eos qui ſe audire vellent introducturos ad veritatem.* Aug. lib. 3. Confeſſ. c. 6. Et lib. de vtilit. cred. c. 1.

Verùm utcumque ferenda fortaſſis videretur aut potius miſeranda rudiorum ſimplicitas; ſed quo pacto excuſanda tot alioquin ingenioſorum hominum ſocordia, aut imprudentia, aut cæcitas aut inſania voluntaria, in graviſſimo ſalutis negotio; quòd nuſquam advertant, nuſquam reflectant, aut advertere vel reflectere velint, ſe *Verbo Dei* penitùs deſtitui? Neque enim unquam legere poterunt vel unicum pſeudo-Fidei ſuæ articulum in Scriptura Sacra. Unde conſequens eſt, ut repudiatâ totius Eccleſiæ antiquitate, authoritate, veritate, qualis fuit à Chriſto fundatore ad hæc uſque tempora, Fidem ſuam & ſalutem, uni Luthero, uni Zuinglio, uni Calvino committant, quibus viventibus nec ſeſtercium fortè committere aut credere voluiſſent.

CAPVT XI.

Converſionis Obices removendi.

OMnibus iis (de quibus jam egimus) neceſſariò prænotatis, ut ad Methodi Converſivæ praxim propiùs accedamus; illud etiam non videtur prætermittendum, quod quemadmodum ab agentibus naturalibus non inducuntur formæ in ſubjecta niſi remotis ac ſublatis indiſ-

poſitionibus, obicibus & impedimentis, ignis enim non calefacit vel unit lignum, niſi ſublatâ humectatione nimiâ, frigore & ejuſmodi; ita non poſſunt Catholicæ Veritates errantium animis inſeri ſeu quodammodo infundi, niſi prius removeantur Converſionis obſtacula, quæ nihil aliud ordinariè ſunt, quàm *falſa quædam præjudicia*, quibus tanquam indubitatis veritatibus mordicus adhærent Sectarii; vel quia ab ipſa pueritia hauſerunt ac imbiberunt, vel quia inter tribunitias Miniſtrorum ſuorum conciones, ita inculcata ac repetita fuerunt, ita illorum aures iis aſſueverunt, ut ad quævis oppoſita, quantumvis apertiſſima obſurdeſcant, & non facilè dediſcant & deponant, quod tam diu malè didicerunt & crediderunt.

Porrò Converſionis obices ad tria potiſſimùm Capita poſſunt revocari, primò quidem ad præjudicia quæ formantur à Sectariis de prætenſo Eccleſiæ Romanæ defectu & lapſu in Idololatriam ac ſuperſtitiones: idcirco enim plurimi his erroneis opinionibus ac temerariis judiciis præoccupati, Communioni Papiſticæ (ut vocant) rejungi aut reſociari formidant, abnuunt & perhorreſcunt, ne imaginariis & falsò apprehenſis Idololatriis ac ſuperſtitionibus communicando, polluantur, inficiantur, contaminentur. Se enim ſolos *Catharos* ſeu puros autumant (unde & quidam *Puritanorum* nomen aſſumunt) quaſi reliqui omnes immundi ſint, ipſi verò ſoli mundi; ſed Matth. 27. munditiâ illâ, quâ Pilatus Judæis inſultabat dicens, *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus, vos videritis*; vel de qua Luc. 18. gloriabatur Phariſæus, dum ſic efferebatur, *Non ſum ſicut cæteri hominum.*

Secundò revocari poſſunt ad contumelioſas ac calumnioſas informationes, quibus ſiniſtrè præoccupati, Summum Pontificem non aliter quàm *Antichriſtum & Tyrannum* habent, nec alio paſſim nomine indigetant, cæteros verò Eccleſiæ Præſules & Antiſtites propudioſis vocabulis inſectantur. Ita enim in Schola Lutherana, Zuingliana & Calviniana ſunt edocti; unde veriti

ne

ne in apertam (ut putant) tyrannidem, & Antichriſtianam ſubjectionem recidant, & libertatis reformatæ privilegiis excidant, tantopere ab Eccleſia Romana abhorreſcunt: niſi fortè ſub vitæ finem, & extremâ jam valetudine conflictati, ac lancinante conſcientiâ ſtimulati, velint ad Eccleſiam redire, quia vident nullibi ſecurum eſſe præterquam in illius ſinu vitam deponere, quam licentiùs, laxius ac ſecundùm carnem jucundiùs in prætentæ Reformatæ effræni libertate tranſegerant.

Tertiò denique reduci poſſunt Converſionis obices ad falſiſſimas & fallaciſſimas præſumptiones, quibus ſibi perſuadent Dogmata Reformata eſſe puriſſimum Dei Verbum, Papiſtica verò (ut paſſim nuncupant) non eſſe niſi mera hominum placita, inventa, figmenta.

Quod attinet ad duo priora Capita, oportuniùs & commodiùs in Methodo Defenſiva (favente Deo) diſcutientur & exponentur; hîc autem de ultimo, id eſt, de larvâ Verbi Dei, prætentis Dogmatibus Reformatis detrahendâ, adeoque de maximo & pernitioſiſſimo Converſionis obice tollendo, paulò operoſiùs tractabimus.

Cùm nullus ſit Hæreticorum, qui non illâ peſtiferâ perſuaſione decipiatur, ut putet ſe Verbo Dei puro niti, ſuamque Fidem eo ſtabiliri, & conſequenter qui non hâc illecebrâ captus, in errore perſiſtat: vel ſaltem cùm nullus ſit qui quantumvis conſcius ſit ſe puro Dei Verbo deſtitui, tamen non illud præ ſe ferat, & palam venditet, ut fucum faciat & miſeris animabus laqueum injiciat, operæ pretium eſt, imò maxima converſionis ſpes in eo conſiſtit, ut larvâ illâ detractâ, Hæreſis in ſuo nativo vultu conſpiciatur. Quod fieri poteſt, hâc invictiſſimâ ratione Adverſarios noſtros comprimendo ac revincendo.

Non eſt inter Nos & Acatholicos diſceptatio ſeu controverſia, *Vtrum credendum ſit Verbo Dei.* Lubentiſſimè enim expreſſiſſimeque fatemur, Verbo Dei firmâ & inconcuſſâ Fide aſſentiendum eſſe, omnemque intellectum captivandum & ſubmittendum eſſe infallibilibus illius

Digitized by Google

Oraculis. Sed hoc *præciſè* controvertitur : *Vtrum videlicet id quod Lutherus, Calvinus, Zuinglius, & alii prætenſi Reformatores, propoſuerunt credendum adversùs Articulos ab Eccleſia Romana creditos, ſit purum & expreſſum Dei Verbum, cui nullatenus fas eſt contradicere ac contraire : an verò ſit verbum hominum fallibile cui poteſt ſubeſſe falſum ?* Conſequenter, *Vtrum Lutheranorum, Zuinglianorum, Calviniſtarum, Anabaptiſtarum & ſimilium ſeparatio ab Eccleſia Romana, ſit propter illud ipſiſſimum Dei Verbum, an verò propter verbum hominum ?* Si propter *verbum hominum*, non poteſt eſſe dubium, quin illa ſeparatio ſit graviſſimum & maximè abominandum Schiſma longèque funeſtius, quàm olim fuerit *Contradictio Coré* Schiſmaticorum anteſignani : Atqui
Numer. 16. non *propter Verbum Dei*, ſed *propter verbum hominum* factam fuiſſe luctuoſam illam diviſionem, quâ velut hiatu quodam, tot myriades animarum abſorptæ, in infernum præcipites datæ ſunt, hâc manifeſtiſſimâ demonſtratione oſtendo.

Lutherus, Zuinglius, Calvinus & illorum Sectatores non diſceſſerunt ab Eccleſia Romana propter Articulos, in quibus ipſimet cum eadem Eccleſia conveniunt, quales ſunt de Deo uno, de Trinitate Perſonarum, de Incarnatione Verbi, &c. Ad quid enim ſepararentur propter illos Articulos, quos unà nobiſcum profitentur & amplectuntur ?

Reſtat ergo ut propter Articulos (quos contra Fidem Eccleſiæ Romanæ credendos proponunt) ſeſe ab eadem Eccleſia ſepararint, quales ſunt :

1. *Libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & Machabæorum, non ſunt Canonici ſed apocryphi.*

2. *Solus Deus eſt invocandus, nec attribuit Sanctis officium nos juvandi.*

3. *Duo ſunt tantummodo Sacramenta.*

4. *Modus recipiendi Euchariſtiam eſt per fidem.*

5. *Cœna Dominica non eſt inſtituta ad faciendam oblationem Corporis Chriſti.*

6. Peccatum

Digitized by Google

6. *Peccatum Originale eſt ſemper peccatum quoad culpam, etiam poſt Baptiſmum.*

7. *Iuſtificatio fit per ſolam fidem.*

8. *Fides neceſſariò producit bona opera.*

9. *Purgatorium eſt illuſio procedens ex officina Sathanæ.*

10. *Ex eadem officina prodierunt Vota Monáſtica.*

11. *Eccleſia eſt Cœtus prædeſtinatorum ad vitam æternam.*

12. *Omnes veri Paſtores, ubicumque fuerint, habent eandem authoritatem, & æqualem poteſtatem.*

Hi ſunt (inter cæteros) Articuli ſeu Dogmata, propter quæ prætenti Reformatores ac Reformati, ſeceſſionem ab Eccleſia Romana fecerunt. Quorum tamen nullum in Scriptura Sacra veteris aut novi Teſtamenti legi poteſt, *ſine additione, detractione, aut immutatione.*

Quàm benè providit Deus optimus, ut vix ullæ ſint inſigniores hominum nequitiæ, quæ non habeant notabilem imprudentiam adjunctam, ex qua deprehendi ac innoteſcere poſſint, adeoque faciliùs caveri. Alioqui vix eſſet *qui evaderet*, ſi fraudes & impoſturæ ſic exactis prudentiæ politicæ regulis dirigerentur, ut nullatenus detegi poſſent.

Non ignorabant Adverſarii noſtri, quantùm VERBO DEI deferant, quotquot verum Deum colunt, aut ſe colere imaginantur, aut ſaltem fingunt. Itaque cùm nova mundo dogmata obtrudere molirentur, hinc Lutherus in Saxonia, inde Zuinglius in Helvetia, & aliundè Calvinus in Gallia, hoc primum illis conſilium & mens fuit, omnia ad *Dei Verbum* revocare. Speciosus erat planèque plauſibilis titulus, quis enim Verbo Dei præſumeret contraire, niſi impius vel Atheus? Sed quia prævidebant, ſi *Verbum Dei traditum*, ſeu *non Scriptum* admitterent, illicò ſe prævaricatores futuros cauſæ ſuæ, eamque jugulaturos, idcirco neceſſe fuit *Verbum Dei* ad *ſolum Scriptum* contrahere, & *omne traditum*, ſeu *non ſcriptum Verbum* repudiare. Inde igitur effectum eſt, ut ad ſolas Scripturas convolarent & provocarent, eaſque in idioma vernaculum

Digitized by Google

verterent, & populo venditarent, totque haberent interpretes & Judices, quot Lectores.

Itaque Calviniſtæ præ reliquis Sectariis ſubtiliores & aſtutiores, hoc principium & fundamentum prætenſæ Reformationis ſtatuerunt: Scriptura Sacra (inquiunt) *eſt regula omnis veritatis, complectens quicquid neceſſarium eſt ad cultum Dei & noſtram ſalutem. Non eſt hominibus licitum imò nec Angelis ipſis, quicquam ei addere, vel demere, vel immutare.* Sed *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*, mox enim velut obliti fundamentalis illius principii, eos propoſuerunt in ſuo Catechiſmo & Confeſſione publica, Fidei non divinæ ſed Calvinianæ articulos contra Fidem Eccleſiæ Romanæ credendos, quorum ne unus quidem, *ſine additione, detractione, vel immutatione* legi poſſet in Scriptura Sacra, quam utique aſſignarunt *Regulam omnis veritatis, complectentem, quicquid neceſſarium eſt ad cultum Dei & noſtram ſalutem.*

Gallica Confeſſ. Art. 5.

Unde manifeſto Dei judicio prorſus inexcuſabiles ſunt, qui cùm norint & legere & intelligere, nolunt tamen oculis propriis experiri & videre (quod facillimè poſſent & deberent in tanti momenti negotio) utrum Articuli illi contra Fidem Eccleſiæ Romanæ crediti, & à prætenſis Reformatoribus propoſiti, legi poſſint *ſine additione, detractione vel immutatione, in Scriptura Sacra, veritatis omnis regula, complectente quicquid neceſſarium eſt ad cultum Dei & noſtram ſalutem.*

Preſſiùs urgeamus. *Articuli* (in quibus à nobis diſſident Adverſarii noſtri) *vel ſunt in Scriptura Sacra, vel non ſunt.*

Si ſunt: oſtendantur, deſignentur, legantur, ſine additione, detractione, immutatione.

Si non ſunt, quod omnibus qui legere norunt, manifeſtiſſimum eſt, cur ergo ejuſcemodi articulos pro puro Dei Verbo obtrudunt? Cùm reverà nihil aliud ſint quàm hominum verba, hoc eſt Lutheri, Zuinglii, Calvini & ſimilium additamenta, ac propriè loquendo, deliramenta.

Hinc facillimum eſt videre, Sacrilegum illud ſuperioris

ris ſæculi Schiſma, cum tanta animarum ſtrage & rerum omnium confuſione, non propter Dei ſed propter hominum verba, exortum fuiſſe. Quid igitur reſpondebunt illius Authores, Fautores, Sectatores Chriſto Domino arguenti & exprobranti: *Veſtem meam perſecutores non conciderunt, & vos ſub nomine Chriſtiano Eccleſiam meam diviſiſtis*? Quam prætendent excuſationem adversùs eum, qui adventante *hora ut tranſiret ex hoc mundo*, tantopere commendavit *Vnitatem*, & pro illa apud Patrem interpellans: *Pater Sancte* (inquit) *ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint; ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint; ut credat mundus quia tu me miſiſti. Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis & tu in me, ut ſint conſummati in unum*? Quid inſtantiùs, quid efficaciùs dici poteſt ad commendationem Unitatis, & ex conſequenti ad condemnationem & horrorem diviſionis & Schiſmatis? Unde in Epiſtola nomine Cirtenſis Concilii ad Donatiſtas, veriſſimè pronuntiatum eſt: *Quiſquis ab Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe laudabiliter vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Aug. Tract. 13 in Ioan.

Ioan. 17.

Epiſtol. Concil. Cirtenſ.

Quòd ſi fortaſſis dicant Sectarii, nihil proferri, nihil doceri, nihil prædicari à Miniſtris ſuis, niſi ex puro Dei Verbo: coacervari Scripturarum textus; cumulari teſtimoniorum congeriem, nihilque fortiùs & frequentiùs ab illis inculcari ac inclamari quàm *Verbum Domini, Verbum Domini*. Itáne deſipiunt, ut ignorent ipſiſſimum Dæmonem, dum Chriſtum Dominum tentaret in deſerto, Scripturam Sacram protuliſſe, ut majus tentationi robur accederet? *Scriptum eſt* (aiebat tentator ille) *quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Ex hoc principio præcipitium inferebat ac ſuggerebat, & more Sathanico concludebat: *Mitte te deorſum.*

Matth. 4

Pſal. 90.

Quis unquam Hæreſiarcha ad labefactandam Fidem prodiit, qui non illicò Sacrarum Scripturarum authoritate abuteretur, & eas obtorto collo in affectatæ novitatis & falſitatis patrocinium pertraheret? Ita *Arius*, ita *Pelagius*, *Macedonius*, *Neſtorius*, *Eutyches*, & quotquot olim Hæreſes excitarunt. Teſtatur Sanctus Epiphanius Marcionem *ſic univerſum Lucæ Evangelium, omneſque Pauli Epiſtolas, nefariis dogmatibus ſuis adaptaſſe, ut quiſquis legeret, illicò putaret Lucam & Paulum ſenſiſſe & dixiſſe quod nunquam ipſi cogitarant.* Infamis ac impurus Manichæus probare conabatur auditoribus ſuis, ex Verbis Domini, ſe illum ipſum eſſe paracletum Spiritum Sanctum, quem promiſerat Chriſtus Dominus. Neſtorius *Sacram Scripturam ſe primum & ſolum intellexiſſe gloriabatur, omneſque illos ignoraſſe jactitabat, quicumque ante ſe Magiſterii munere perfuncti divina tractaſſent eloquia. Vniverſos Sacerdotes, univerſos Confeſſores, univerſos Martyres, quorum alii explanaſſent Legem Dei, alii verò explanantibus conſenſiſſent aut credidiſſent, univerſam denique ſemper erraſſe aſſeverabat Eccleſiam, quæ ignaros erroneoſque Doctores & ſecuta fuiſſet & ſequeretur.*

S. Epiph.

Vincent. Lirinenſis in ſuo Monitorio.

Confer hæc cum iis quæ habet Lutherus in libro de Miſſa privata, ubi dicit, *ſe nihil morari ſi clamitent Papiſtæ, Eccleſia Eccleſia, Patres Patres; ſcimus enim* (ait) *ipſos Prophetas lapſos eſſe. Verbo Chriſti judicamus Eccleſiam, Apoſtolos, ipſos Angelos.* Et in libro adversùs Regem Angliæ: *non curo* (inquit) *ſi mille Cypriani, mille Auguſtini contra me ſtent.* Jam perſpice ſi non eodem Spiritu afflati fuerint, tam antiquiores quàm recentiores Hæreſeon Authores: ſi non eadem temeritate & calliditate ad Scripturas ſemper recurrerint, ut his tanquam velis quibuſdam vel palliis auratis lacinias ſuas detritoſque centones contegerent. Quod ante annos mille & amplius advertit, & pulcherrimè expreſſit Vincentius Lirinenſis, his verbis: *Vtuntur Hæretici divinæ Scripturæ teſtimoniis, & vehementer quidem. Nam videas eos volare per ſingula quæque Sanctæ Legis volumina, per Moyſis, per Regum Libros, per Pſalmos, per Apoſtolos,* per

Luth. lib. de Miſſa privata.

Idem lib. adversùs Regem Angl.

Vincent. Lirinenſis lib. de Profan. Novit.

per Evangeliſtas, per Prophetas. Sive enim apud ſuos, ſive apud alienos, ſive privatim, ſive publicè, ſive in ſermonibus, ſive in libris, ſive in conviviis, ſive in plateis, nihil unquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Ioviniani reliquarumque peſtium: cernes infinitam exemplorum congeriem; propè nullam omitti paginam, quæ novi aut veteris Teſtamenti ſententiis fucata non ſit & colorata. Sed tantò magis cavendi & pertimeſcendi ſunt, quantò occultiùs ſub Divinæ Legis umbraculis deliteſcunt. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur; atque idcirco eos cæleſtis eloquii velut quodam odore adſpergunt, ut ille qui humanum facilè deſpiceret errorem, divina non facilè contemnat Oracula. Itaque faciunt quod hi ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, ut incauta ætas cùm dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam his curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos, medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè, ubi ſupraſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum.

Ante Lirinenſem, hoc etiam notaverat Sanctus Ambroſius dum aiebat. *Hæretici per verba Legis Legem impugnant: proprium enim ſenſum verbis Legis adſtruunt, ut pravitatem mentis ſuæ, Legis authoritate commendent. Sciens impietas multùm valere authoritatem Legis, fallaciam ſub nomine ejus componit, ut quia res mala per ſemetipſam acceptabilis eſſe non poteſt, bono nomine commendetur. Nam cùm ſciant Hæretici magnam eſſe Sacræ Scripturæ authoritatem, ideo hâc ipſâ errores ſuos & deliramenta tegunt, ſuaque teſtimonia minus valida, Sacræ Scripturæ authoritatibus alligant.*

S. Ambr. in Epiſt. Tit. 3.

Ante Ambroſium denique, Magnus Irenæus Lugdunenſis, præclarè ſi quis alius, totum hoc artificium animadvertit & expoſuit hoc modo: *Cùm talis ſit Hæreticorum doctrina quam neque Prophetæ prædicarunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt: quam de univerſis jactant ſe plus aliis cognoviſſe, ex non ſcriptis legentes, & quod dici ſolet ex arena funiculos nectere ſtudentes, ad faciendam fidem conantur*

S. Irenæus lib. 1. c. 1. contr. Hæreſ.

tur

Digitized by Google

tur adaptare aut Parabolas Dominicas, aut Sermones Propheticos, aut dicta Apoſtolica, quò figmentum ipſorum non teſtibus carere videatur. Ordinem & ſeriem Scripturarum tranſiliunt, & quantum in ipſis eſt, membra veritatis ſolvunt. Transferunt enim & transformant, & aliud ex alio facientes, multos decipiunt per malè compoſitam dominicorum verborum adaptatorum ſapientiam. Quemadmodum ſi quis Regiæ imaginis pulchræ, ex pretioſis lapidibus fabricatæ à ſapiente Artifice, ſubjectam hominis formam ſolvat, & lapillos illos transferat & accommodet, & faciat formam canis aut vulpeculæ atque malè fabricatam: deinde præſcribat ac dicat, hanc eſſe Regis imaginem pulchram quam ſapiens Artifex fabricavit, oſtendens lapillos à primo Artifice, probè in Regis imaginem compoſitos; verùm malè à poſteriore in formam canis tranſlatos, & per lapillorum apparentiam ſeducat imperitiores, qui Regiæ formæ notionem non habent, ac perſuadeat quòd hæc putida forma ſit pulchra Regis imago: ad eundem ſanè modum etiam hi conſuunt fabulas. Deinde verba, dictiones & parabolas undequaque detrahentes, adaptare volunt fabulis ſuis eloquia Dei. Hæc Irenæus.

Quantumvis autem hæc fuerint antiquiorum Hæreticorum Stratagemata, non dedidicit tamen, ſui ſemper ſimilis genius Hæreticus, conſuetas ad fallendum artes; & qui cunctis retrò ſæculis operatus eſt in cunctis Novatoribus, etiam hiſce noviſſimis temporibus operatus eſt in noviſſimis errorum artificibus.

Rem miram narrat illuſtris Societatis Jesu Theologus, teſtis oculatus (quippe qui rei geſtæ præſens adfuit & interfuit) ſub finem præcedentis ſæculi, in Regno Petuano contigiſſe, ne ſola Europa noſtra his Sathanæ inſultibus patere videatur.

a Ioſeph. à Coſta lib. 2. de Noviſſimis c. 12. Iacobus Gualtherius in Tabula Chronograph. ad ſæculum 16. ſeu ab anno 1500 ad annũ 1600.

a *Erat in illa novi Orbis Regione celeberrimus Theologiæ Profeſſor, velut pro Oraculo habitus, qui uſque adeo dementatus fuit, ut ſibi in animum induceret, & jactaret ſe ſingulari quâdam Dei familiaritate potitum eſſe, & cum illo immediatè collocutum: oblatam ſibi ab eo unionem hypoſtaticam; ſe mundi Redemptorem conſtitutum: ſtatum univerſum Eccleſiaſticum abrogatum iri.*

iri, ſeque alias Leges faciles & claras conditurum, quibus Clericorum cœlibatum tolleret, uxorum multitudinem induceret, & confitendi neceſſitatem exploderet. Tandem à Iudicibus comprehenſus, toto quinquennio auditus fuit & examinatus, obſervatiſque pluſquam centum & decem propoſitionibus erroneis, ad diſputationem provocavit illum eundem Societatis Theologum, qui hæc memoriæ prodens, dicit ſe ſatis mirari non potuiſſe miſeri hominis libertatem ac eloquentiam. Profitebatur doctrinam ſuam non poſſe niſi Scripturâ Sacrâ & miraculis comprobari, utpote omni humanâ ratione ſuperiorem: illam ſe apertiùs & efficaciùs demonſtraſſe, quàm unquam Paulus IESVM Chriſtum eſſe verum Meſſiam probarit. Tam multa autem, tamque prolixa loca ex Pſalmis, Prophetis, Apocalypſi, aliiſque Scripturis memoriter proferebat, ut omnibus admirationem concitaret. Quæquidem loca ita allegoricè explicabat ac exponebat, & ad rem ſuam accommodabat, ut nemo eſſet, qui non vel rideret vel fleret. Ad extremum quum in diſputando biduum fruſtra conſumptum fuiſſet, ad ſupplicium ductus, in cœlum ſemper intuebatur, expectans ignem in Iudices (prout ei Dæmon falsò promiſerat) deſcenſurum. Verùm illæſis intactiſque omnibus adſtantibus, ſolus ille Pſeudo-Propheta igni addictus, in cineres redactus eſt.

Sed ut ad Europam noſtram, & ad id de quo potiſſimùm agimus, (poſt illius Hiſtoriæ non inutilem commemorationem) revertamur. Ecce Lutherani à Calviniſtis, Calviniſtæ à Lutheranis, & utrique ab Anabaptiſtis in graviſſimis Religionis Capitibus diſſident, nec unquam in unam eandemque conſonam Confeſſionis Pſeudo-Fidei formam coaleſcere potuerunt: fruſtra tentatis ad hoc tot colloquiis, totque conventiculis, ut deplorat *Irenicus Paræus.* Lutherani tamen *Verbum Dei* à parte ſua invictiſſimè ſtare gloriantur. Idem de ſe præſumunt Calviniſtæ, Lutheranoſque velut ſtolidos contemnunt. Illud ipſum *Verbum Dei,* ſe habere præ Lutheranis & Calviniſtis audaciſſimè definiunt Anabaptiſtæ.

David Paræus in ſuo Irenico.

An fortaſſe diviſum eſt *Verbum Dei*? Quomodo ergo ſtabit: cùm ſcriptum ſit, *Verbum autem Domini manet in*

 æternùm?

æternum? An diviſum eſt Verbum Veritatis, Verbum Unitatis? Abſit. Sed diviſi ſunt, & diviſionis Spiritu in fruſta diſſecti Lutherus, Calvinus & quotquot propter verbum ſuum mendax & fallax ſemetipſos ab Eccleſiæ unitate præciderunt & alios ſepararunt. Fallaciſſimâ quippe *Verbi Dei* oſtentatione ac obtentu, verbum ſuum velantes, nihil aliud quàm erroneas illationes, interpretationes, gloſſemata, æquivalentias, mera cordium ſuorum figmenta, vel damnatas olim Hæreſes Sectatoribus ſuis ſuggeſſerunt ac ingeſſerunt: ut vix poſſit dici, utrùm magis mirandum an dolendum ſit, tot cæteroquin ingenuos ac ingenioſos homines, malle unius Lutheri, aut Zuinglii, aut Calvini opinionibus cæcâ quâdam obedientiâ ſeſe addicere, quàm Eccleſiæ Catholicæ, totque celeberrimis Conciliis, Epiſcopis, Patribus ac Doctoribus in materia Religionis adhærere: quaſi hi omnes *cæci*, ſoli autem Lutherus aut Zuinglius aut Calvinus *videntes* fuerint?

CAPUT XII.

Modus agendi cum Hæreticis.

QUandoquidem Hæreſis faſcino correpti, deplorandum in modum cæcutiant, duplicem ſuggerit nobis Scriptura Sacra, curandæ cæcitatis modum. Primus eſt
1. Reg. 14. *intingendo ſummitatem virgæ in favum mellis, ut illuminentur oculi*: alter eſt *felle piſcis liniendo oculos, ut viſus recipiatur*, & hic nonniſi rariùs, & urgente neceſſitate eſt uſurpandus, *ut quando Hæretica pravitas & malitia ipſis Hæreticis, & omnibus aliis ad horrorem exponenda eſt*: vel quando ea advertitur pervicacia, de qua Sanctus Doctor aiebat: *Puto quòd ipſe Diabolus, ſi toties vinceretur, non eſſet tam impudens ut in ea cauſa perſiſteret*: vel quando talis deprehenditur indoles eorum quibuſcum agitur, vel criſis morbi tanta, ut applicanda ſint paulò ſeveriora remedia, aut lancinandum

Tob. 11.

August. epiſt. 167.

cinandum ulcus profundius, nec ipſis diſſimulandum malum, in quo de morte æterna agitur; ne fortè crudeli miſericordiâ ad eorum perditionem conniveatur.

Primus autem modus frequentiùs ac crebriùs eſt adhibendus; adeoque *ſummitas virgæ*, correctivæ vel inſtructivæ, intingenda eſt in favum *mellis*, & quantâ fieri poterit lenitate, cæcutientium oculis apponenda; ut poſſint aliquando fortaſſis dicere, *virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*: ne vel ſeveriùs vel aſperiùs tangendo, ad iracundiam provocentur, ad quam ſuapte naturâ, vel urgente morbo procliviores ſunt, qui cæcitate laborant. Et quamvis omnes *circa Fidem naufragantes*, pro mali ac periculi magnitudine, magnâ quâdam commiſeratione digni ſint, illi tamen qui materialiter duntaxat Hæretici ſunt, id eſt, qui melioris inſtructionis ſeu informationis defectu, ab Orthodoxâ Fide aberrant, præ cæteris grandi charitate ſuſcipiendi, grandi affectu inſtruendi, grandi lenitate curandi ſunt. Hos enim alloquebatur mitiſſimus Auguſtinus, dum aiebat, *Illi in vos ſæviant; qui neſciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè caveantur errores: ego verò ſævire in vos omnino non poſſum.* Nihilominùs tantæ vir lenitatis, non abſtinuit à gravioribus quandoque invectivis, in ipſas Hæreſes & Schiſmata, & in Authores vel pertinaciores fautores aut defenſores, quales fuerunt *Fauſtus*, *Petilianus, Creſconius, Gaudentius*, *Pelagius*, *Celeſtius, Iulianus* & ſimiles, ut patet Libros illius polemicos legenti. Hoc autem faciebat exemplo Apoſtoli, qui *obſecrabat quidem per miſericordiam Dei*, qui monebat *præoccupatos aliquo delicto inſtruendos eſſe in ſpiritu lenitatis*; attamen repletus Spiritu Sancto, publicè confundebat *Elymam Magum* & increpabat *tanquam plenum omni dolo & fallaciâ, Filium Diaboli, inimicum omnis juſtitiæ, ſubvertentem vias Domini rectas*: unde & illum excæcavit ad tempus. Imò Chriſtus ipſe, manſuetiſſimus Agnus, qui dicebat, *diſcite à me quia mitis ſum*, qui peccatores tantâ manſuetudine *recipiebat, & manducabat cum illis*;

Pſal. 22. 1. Tim. Aug. cont. Epiſt. fundam. Rom. 12. Gal. 6. Act. 13. Matt. 11 Luc. 15.

illis; nihilominùs Scribas & Phariſæos, alioſque Verbi ſui obtrectatores, ac Fidei Adverſarios obſtinatiores, ſolebat acerbiùs perſtringere, ut ex Evangeliis manifeſtum eſt.

Verùm licèt materialiter errantes (de quibus ſupra egimus) longè faciliùs converti poſſint, & ad veritatis agnitionem reduci, quàm formaliter Hæretici, & potiſſimùm Apoſtatæ, qui *peccant in Spiritum Sanctum*, *dum agnitam impugnant* veritatem, ut proinde non tam *Rationibus* adversùs ipſos, quàm *Orationibus* pro ipſis ſatagendum ſit; nullius tamen cura eſt abjicienda, nullius deſperanda correctio. Fortaſſis enim *Dominus aperiet illis oculos, ut rectè videant, & pluet mitigationes in cor*, ut depoſitâ quâ tument animoſitate, ſenſim emolleſcant, & convertantur ac ſalvi fiant. *Nam in eo quo malus eſt quiſpiam, utrum uſ-*
August. in Pſal. 54. *que in finem perſeveraturus ſit, ignoramus. Diabolus & Angeli ejus in Scripturis Sanctis manifeſtati ſunt nobis, quòd ad ignem æternum ſint deſtinati. Ipſorum tantùm deſperanda eſt correctio, contra quos habemus occultam luctam, ad quam nos armat Apoſtolus dicens*, Non eſt nobis colluctatio adversùs
Epheſ. 6. carnem & ſanguinem, *id eſt, non adversùs homines quos videtis*; ſed adversùs Principes & Poteſtates, adversùs Rectores mundi & tenebrarum harum.

Porrò vel cum Hæreticis agitur *palam* ſeu in aliquorum præſentia, vel *privatim* ſeu ſemotis arbitris.

Si *privatim*, tunc conſultius eſt omnem quoad fieri poteſt, modeſtiam, manſuetudinem & charitatem adhibere, ut illorum intellectus ſuaviter *captivetur in obſequium Fidei*, & animus plagis errorum ſaucius, non objurgationis vel exprobrationis amarioris felle irritetur, adeoque in odium & averſionem medici prorumpat; ſed benignæ
Luc. 10. charitatis oleo, & ſalutaris ac efficacis veritatis vino curetur. Ita ut miſericordis Samaritani exemplo, & adſit *oleum liniens*, & non deſit *vinum* efficaciter penetrans & ſalubriter ſanans.

Quòd ſi *palam* agendum ſit cum quibuſcumque Hæreticis, non eſt quidem prætermittenda debita moderatio; ſummo-

ſummopere tamen cavendum eſt, ne remiſſiùs (ſub modeſtiæ prætextu) procedendo, Fides ipſa detrimentum patiatur, ſubſitque periculum ſcandali, ſi vera Religio, iis qui præſentes adſunt, videatur ſufficientibus fundamentis deſtitui, etiam ad revincendos & confundendos pervicaciores illius Adverſarios.

De cætero, nihil aliud exigitur à fideli Miniſtro ac operario, quàm ſincera intentio, conatus, labor ac diligentia ad ſuſceptum opus ex charitate peragendum; non verò effectus, id eſt, converſio ipſa. *Abundantiùs omnibus laboravi* (inquiebat Apoſtolus) non utique plus omnibus converti. Quemadmodùm ſatis eſt militibus nihil omiſiſſe eorum, quæ ad expugnationem & deditionem obſeſſi loci faciebant, eſto deditio non ſequatur. Satis eſt Medico adhibuiſſe pharmaca neceſſaria, quantumvis non obtingat optata ſanitas. Satis eſt agricolæ fundum coluiſſe, aptaſſe, ſeminaſſe, noxias ſuccreſcentes herbas eradicaſſe; ut enim deſideratus fructus obveniat, pendet à Cæli Soliſque influentiis, à pluviis oportunis, & ejuſcemodi cauſis: Ita ſufficit Chriſti Domini ſervis, ex officio ſinceriſſimæ charitatis providere ac exhibere quicquid oportunius videbitur ad ſalutem & converſionem errantium, quæ præſtitis omnibus humanitùs poſſibilibus, ita pendet à ſubſidio gratiæ divinitùs ſubminiſtrandæ, ut ſine illa, *nec qui plantat ſit aliquid, nec qui rigat.* Unde non infrequenter contingit, ut miræ eruditionis Theologus, acutiſſimis, ſubtiliſſimis, & fundatiſſimis ratiocinationibus ac argumentis nihil promoveat: alius verò inferioris doctrinæ, inferioris eloquentiæ, inferioris capacitatis, errantem convertat. Nec alia ſubeſt ratio, niſi quia *non illum, ſed hunc elegit* Dominus, tanquam efficacis gratiæ ſuæ inſtrumentum, ad hujus vel illius converſionem.

1\. Cor. 15.

Si forſitan quæras cur ita fiat? Ecce reſpondet Apoſtolus: *quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non*

1\. Cor. 1.

ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret; ***ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus***, ut non glorietur Sapientia humana in *perſuaſibilibus verbis*, non glorietur Dialectica in ſubtilitatibus & argutiis, non glorietur Rhetorica in lenociniis & phaleris flexanimi ſermonis.

Adde efficaciam gratiæ non conſiſtere in aliqua vi, aut perfectione ullius cauſæ ſecundæ, ſive ſit Apoſtolus, ſive Angelus, qui loquatur, exhortetur, moneat, increpet, promittat, terreat, aut aliquid ejuſcemodi operetur: ſed principaliùs in quadam ſubordinatione cujuſcumque cauſæ creatæ ad abſolutam Dei voluntatem, ejuſque propoſitum: ſive (ut more Scholaſtico loquar) in elevatione cujuſcumque inſtrumenti (ex ſe aliàs inepti) ab illa voluntate abſoluta ſeu propoſito Dei, qui utitur quidem hâc vel illâ causâ ſecundâ, pro ſuo beneplacito; poſſet tamen independenter ab ea illuminare intellectum, & inclinare ſeu flectere voluntatem creatam ad ſibi liberè, & citra ullam violentiam vel coactionem conſentiendum.
Rom. 8. Nam *Voluntati Dei quis reſiſtit?* Et ***cor Regis in manu Domini,***
Proverb. 21. ***quocumque voluerit, inclinabit illud*:** & ***omnia cooperantur in bonum iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti.*** Nec
Rom. 8. mirum, quandoquidem nulla creatura habeat majorem vim in voluntatem creatam, quàm ipſamet voluntas: & omnis vis cauſarum ſecundarum ad inclinandum ſit inferior viribus voluntatis ad continendum conſenſum vel etiam ad reſiſtendum inclinationi quarumcumque & quantumcumque inclinantium cauſarum. Sola autem Voluntas Divina, & vis illius inclinandi eſt infinita, & ad hoc ut infallibiliter moveat uſque ad conſenſum, non eget ullo inſtrumento ſubordinato; quod tamen ſi ei placuerit adhibere (prout ordinariè facit) non aliunde habet efficaciam, quàm ex eo quod ſubſtet abſolutæ Dei Voluntati, & ab ea elevetur ad operandum effectum à Deo volitum. Unde ut hoc nobis innoteſcat, utitur quandoque iis motivis aut mediis quæ ex ſeſe vel nihil vel parum conducunt ad finem intentum; imò quæ aliàs videntur

magis

Digitized by Google

magis obeſſe quàm prodeſſe. Rem exemplo confirmat *Auguſtinus*, dum narrat Matri ſuæ Monicæ, adhuc juvenculæ *ſubrepſiſſe vitium vinolentiæ. Sed unde* (inquit) *Domine Deus, unde curaſti? unde ſanaſti? Nonne protuliſti durum & acutum ex altera anima convitium, tanquam medicinale ferrum ex occultis proviſionibus tuis, & unico ictu putredinem illam præcidiſti? Ancilla enim litigans cum ea, objecit hoc crimen amariſſimâ inſultatione, vocans MERI-BIBULAM. Quo illa ſtimulo percuſſa reſpexit fœditatem ſuam, confeſtimque damnavit atque exuit. Et tu Domine ad uſus tuos contorquens profunda torrentis, etiam de alterius animæ inſaniâ ſanaſti alteram, ne quiſquam cùm hoc adverterit, potentiæ ſuæ tribuat ſi verbo ejus alius corrigitur, quem vis corrigi.* Hæc Auguſtinus. Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 8.

Eadem etiam de cauſa dicebat Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis, quos ad omnium converſionem & ſalutem emittebat: *Vos non me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis & fructum faciatis, & fructus veſter maneat.* Ne autem *fructum illum*, ſeu efficaciam ſibi arrogarent, anteà præmonendo caverat, dicens: *Sine me nihil poteſtis facere.* Joan. 15.

Itaque humilis famulus Chriſti Jesu, ſuæ primùm, deinde aliorum incumbens converſioni, non ſibi tribuat, non efferatur, non glorietur, non infletur de ſucceſſu, de multitudine eorum quos ad meliorem frugem reduxerit, de converſione infidelium aut peccatorum: ſed potius humilietur ſub potenti manu Dei, de dignatione illius qui vile inſtrumentum ad aliorum profectum dignatus eſt aſſumere.

Nec aliunde turbetur vel angatur, ſi res pro voto non ſucceſſerit. Meminerit enim præclari illius moniti Auguſtiniani: *Excepto quod ſcimus nobis miſericorditer agendum eſſe, quicquid cum hominibus agimus, ex officio ſinceriſſimæ charitatis: hoc ergo excepto, incertum eſt quid utilius agamus, & quid oportunius aut intermittamus, aut omninò omittamus: quia enim merita hominum pro quibus agimus, qualia ſint apud Deum, non novimus; quid eis ad tempus expediat, aut nullâ aut tenuiſſimâ conjecturâ ſuſpicamur potius, quàm comprehendimus.* Aug. libro de Catech. rudibus c. 14.

Quapropter res quidem agendas pro noſtro captu ordinare debemus, quas eo modo quo ſtatuimus ſi peragere potuerimus; non ideò gaudeamus quia nobis, ſed quia Deo ſic eas agi placuit. Si autem aliqua inciderit neceſſitas, quâ noſter ille ordo turbetur, flectamur facilè ne frangamur; ut quem Deus noſtro præpoſuit ordini, ipſe ſit noſter. Æquius eſt enim ut nos ejus, quàm ut ille noſtram voluntatem ſequatur; quia & ordo agendarum rerum, quem noſtro arbitrio tenere volumus, ille utique approbandus eſt, ubi potiora præcedunt. Cur ergo nos dolemus homines à Domino Deo, tantò utique potiore præcedi, ut eoipſo quo noſtrum amamus ordinem, inordinati eſſe cupiamus? Nemo melius ordinat quid agat, niſi qui paratior eſt non agere quod divinâ poteſtate prohibetur, quàm cupidior agere quod humanâ cogitatione meditatur, quia multæ
Prov. 14. cogitationes ſunt in corde viri, conſilium autem Domini manet in æternùm. *Si verò ex aliquo ſcandalo perturbatus animus, non valet edere ſerenum jucundumque ſermonem, tantam charitatem oportet eſſe in eos, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, volens eos pretio Sanguinis ſui ab errorum morte redimere, ut hoc ipſum quod nobis triſtibus nuntiatur, præſto eſſe aliquem qui deſideret fieri Chriſtianus, ad conſolationem reſolutionemque triſtitiæ valere debeat. Si autem de aliquo errato noſtro vel peccato, nos mæſtitudo comprehendit, non tantùm meminerimus ſacrificium eſſe Deo ſpiritum contribulatum: ſed etiam illud,* ſicut aqua ignem, ſic eleëmoſyna extinguit peccatum. *Sicut ergo ſi periclitaremur incendio, ad aquam utique curreremus, quâ poſſet extingui, & gauderemus ſi quis eam de proximo afferret: ita ſi de noſtro foco aliqua peccati flamma ſurrexerit, & propterea conturbamur: datâ occaſione miſericordiſſimi operis, tanquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud quod exarſerat, opprimatur.*

CAPUT

CAPVT XIII.

S. *Auguſtinus exemplar Converſionis errantium.*

QUod olim de ſemetipſo dicebat Apoſtolus: *ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primò oſtenderet Chriſtus IESVS omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam:* hoc Auguſtino veriſſimè poteſt adaptari. Quemadmodùm enim PAULUS antea quidem *blaſphemus* & *perſecutor* & *contumelioſus*; poſtea verò *Vas electionis*, gratiæ (quam conſecutus fuerat) ac miſericordiæ præ cæteris omnibus factus eſt prædicator, & converſionis ad Chriſtum JESUM cunctis Judæis exemplar clariſſimum ac notiſſimum; *ut aliquo modo eos ad æmulandum provocaret, & ſalvos faceret aliquos ex illis:* Ita etiam AUGUSTINUS antea errans ac Manichæus, & eo ipſo *contumelioſus & blaſphemus*; poſtmodùm verò converſus, gratiam quam in ſe primò expertus fuerat, omnibus errantibus ſed potiſſimùm Hæreticis ſic prædicavit, *ut ad æmulandum provocaret*; ſic omnibus aliis commendavit & expoſuit, ut nemo poſt Apoſtolum fideliùs, puriùs, & expreſſiùs docuerit.

1. Tim. 1.

ibid.

Act. 9.

Rom. 11.

Sint alii Mellifluì, Seraphici, Angelici, Subtiles, Illuminati, Plani, Acuti vel profundi Doctores: Sed AUGUSTINUS tantò cæteris eminentior, quantò vicinior PAULO, & poſt correctum errorem, converſione, doctrinâ, ſapientiâ, zelo animarum, charitate & frequentioribus gratiæ præconiis, eidem Apoſtolo ſimilior ac conjunctior.

Nota eſt PAULI converſatio *in Iudaiſmo ſupra multos ipſius coætaneos*: nota etiam Converſio tum ex Actibus Apoſtolorum, tum ex ejuſdem converſi propria confeſſione. Sed non ignota AUGUSTINI converſatio in Manichæiſmo, & ab illo ad Catholiciſmum Converſio. Non ignota, inquam, quia manifeſtè expreſſa in variis

Galat. 1.

Act. 9.

 Operibus,

Operibus, potiſſimè tamen in libris Confeſſionum; ubi omnibus attentè legentibus planè mirandum apparet, tantam humilitatis profunditatem, tam raro exemplo conjungi potuiſſe cum tanta doctrinæ eminentia, quæ procul dubio inflatura erat ſi charitas ei defuiſſet.

Itaque ſuas agnovit Paulus infirmitates, ſuas agnovit & Auguſtinus, ſua ulcera, ſuas miſerias. Uterque prædicavit gratiam medicinalem; neuter Medico ingratus, neuter deſes ad rependendum debitum & ſuccurrendum errantibus; quia uterque memor ex quàm profunda abyſſo (opitulantis gratiæ beneficio) fuerit eductus.

1. Tim. 1. *Fidelis Sermo* (exclamat PAULUS) *& omni acceptione dignus, quòd Chriſtus IESVS venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur & ego non uror? Optabam ego ipſe eſſe Anathema à Chriſto pro fratribus meis.*

Aliundè AUGUSTINUS libris tredecim publicè editis, & quidem ſuperſtes ac vivens confeſſus eſt omnes defectus ſuos ab ipſa pueritia ad graviorem ætatem, & cunctis legentibus in hodiernum uſque diem manifeſtavit errata vitæ ſuæ; non alio ſanè fine, *quàm ut ii qui ſecuti fuerint errantem, provocentur ad imitandum pœnitentem.* Sive ut ipſemet ait, *Confeſſiones præteritorum malorum meorum,* ô Domine Deus meus, *excitant cor ne dormiat in deſperatione, & dicat* NON POSSVM; *ſed evigilet in amore miſericordiæ tuæ.*

Aug. lib. 10. Confeſſ. cap. 3.

Porrò quibus gradibus *deductus fuerit in profunda inferi*, ut ipſe loquitur, hoc eſt, in abyſſum Manichæiſmi, varioſque errores: & quibus etiam gradibus eductus, omnibus errantibus propalat verbis propriis, prout ſequenti Capite oſtenſum imus.

CAPUT

CAPUT XIV.

Series Converſionis S. Auguſtini ex ejus verbis contexta.

GRatiæ tuæ deputo (Domine Deus meus) *& miſericordiæ tuæ, quòd peccata mea tanquam glaciem ſolviſti. Gratiæ tuæ deputo & quæcumque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Omnia mihi dimiſſa fateor, & quæ meâ ſponte feci mala, & quæ* TE DUCE *non feci.* S. Aug. lib. 2. Confeſſ. cap. 7.

Veni Carthaginem, & circumſtrepebat me undique ſartago flagitioſorū amorum. Nondum *amabam & amari amabam, & ſecretiori indigentiâ oderam me minùs indigentem. Anima mea ulceroſa projiciebat ſe forâs, ſcalpi avida contactu ſenſibilium. Venam amicitiæ coinquinabam ſordibus concupiſcentiæ, candoremq́; ejus obnubilabam tartareâ libidine; & tamen fœdus atque inhoneſtus, elegans & urbanus eſſe geſtiebam abundanti vanitate. Rui etiam in amorem quo cupiebam capi.* Deus meus, miſericordia mea, *quanto felle mihi ſuavitatem illam, & quàm bonus adſperſiſti!* *Rapiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearum & fomitibus ignis mei.* Lib. 3. Confeſſ. cap. 1.

Quid eſt quod homo ibi vult dolere? Quid eſt niſi miſerabilis inſania? An cùm miſerum eſſe nemini libeat, libet tamen eſſe miſericordem? Et hoc de illa vena amicitiæ eſt; ſed quò vadit? quò fluit? ut quid decurrit in torrentem picis ebullientis æſtus immanes tetrarum libidinum in quos ipſa mutatur? Tunc in theatris congaudebam amantibus, quum ſeſe fruebantur per flagitia. Quum autem ſeſe amittebant, quaſi miſericors contriſtabar, & utrumque tamen delectabat me. Nunc *autem magis miſeror gaudentem in flagitio, & hæc certè verior miſericordia. Spectacula illa fuerunt mihi quaſi ungues ſcalpentium, quos fervidus tumor, & tabes & ſanies horrida conſequebatur.* Cap. 2.

Circumvolabat ſuper me fidelis à longè miſericordia tua, Domine. *Et auſus ſum etiam in celebritate Solennitatum tuarum,* Cap. 3.

rum, intra parietes Eccleſiæ tuæ concupiſcere, & agere negotium procurandi fructus mortis. Vnde me verberaſti gravibus pœnis; ſed nihil ad culpam meam.

Habebant ſtudia, quæ honeſta vocabantur, ductum ſuum intuentem fora litigioſa, ut excellerem in eis; hoc laudabilior quò fraudulentior. Et major jam eram in Schola Rhetorum, & gaudebam ſuperbè, & tumebam typho; quanquam longè ſedatior inter quos vivebam pudore impudenti, quia talis non eram. Abhorrebam ab everſionibus, quibus protervè inſectabantur aliorum verecundiam, quam perturbarent gratìs illudendo, atque inde paſcendo malevolas lætitias ſuas. Nihil eſt illo actu ſimilius actibus dæmoniorum.

Cap. 4. *Diſcendi ordine perveneram in librum cujuſdam Ciceronis, cujus linguam omnes ferè mirantur; pectus non ita. Liber ille exhortationem continet ad Philoſophiam, & vocatur* Hortenſius. *Mutavit affectum meum, & ad teipſum (Domine) mutavit preces meas, & vota ac deſideria mea fecit alia. Quum agerem annum ætatis meæ undevigeſimum, jam defuncto Patre ante biennium, quomodò ardebam, Deus meus, quomodò ardebam evolare à terrenis ad te? Et neſciebam quid ageres mecum. Apud te eſt enim SAPIENTIA, quò me accendebant illæ Literæ. Hoc ſolo delectabar in illa exhortatione* Ciceronis, *quòd non illam aut illam Sectam, ſed ipſam (quæcumque eſſet) Sapientiam ut diligerem, excitabar ſermone iſto, & accendebar & ardebam. Sed hoc ſolo in me tanta flagrantia refrigebat, quòd nomen CHRISTI non erat ibi. Quoniam hoc nomen, in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat & altè retinebat. Et quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quantumvis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.*

Cap. 5. *Inſtitui animum intendere in Scripturas Sanctas, ut viderem quales eſſent. Et ecce video rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris; ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam & velatam myſteriis. Et non eram ego talis, ut intrare in eam poſſem, & inclinare cervicem ad ejus greſſus. Sed viſa eſt mihi indigna quàm Tullianæ dignitati compararem.*

Cap. 6. *Incidi itaque in homines ſuperbè delirantes, in quorum ore*

laquei

Digitized by Google

laquei Diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui, & Domini IESV Chriſti, & Paracleti Conſolatoris noſtri Spiritus Sancti: & dicebant VERITAS, VERITAS, & nuſquam erat in eis. O VERITAS, VERITAS, quàm intimè etiam tunc medullæ animi mei ſuſpirabant tibi! Vbi ergo mihi tunc eras, & quàm longè? Et longè peregrinabar abs te, exclu- Luc. 15. *ſus &* à ſiliquis porcorum, quos de ſiliquis paſcebam. *Væ, væ quibus gradibus deductus ſum in profunda inferi! quippe laborans & æſtuans inopia veri, quum te Deus meus non ſecundùm intellectum mentis, ſed ſecundùm ſenſum carnis quærerem, offendi in illam mulierem dicentem:* panes occultos libenter Proverb. edite, & aquam dulcem furtivam bibite, *quæ me ſeduxit.* 9.

Non aliam ob cauſam in tales homines incidi, niſi quòd ſe di- S. Aug. lib. de utilit. credendi cap. 1. *cebant terribili authoritate ſeparatâ, mirâ & ſimplici ratione eos qui ſe audire vellent, introducturos ad Deum. Quid enim me aliud cogebat annos ferè novem, illos ſequi ac diligenter audire? Sed & ipſos animadvertebam plus in refellendis aliis diſertos ac copioſos eſſe, quàm in ſuis probandis firmos & certos. Nobis faciebant quod inſidioſi aucupes ſolent, qui virgatos ſurculos propè aquam defigunt, ut ſitientes aves decipiant. Obruunt enim & quoquomodo cooperiunt alias quæ circa ſunt aquas; vel inde etiam formidoloſis molitionibus deterrent, ut in eorum dolos, non electione ſed inopiâ decidatur.*

Neſciens irridebam ſervos & P*rophetas tuos, ſenſim atque* S. Aug. lib. 3. Confeſſ. cap. 10. *paulatim perductus ad eas nugas, ut crederē ficum plorare quum decerpitur. Et credidi miſer magis miſericordiam præſtandam fructibus terræ, quàm hominibus propter quos naſcerentur.*

Exaudiſti Matrem meam, Domine Deus, *nec deſpexiſti la-* Cap. 11. *crymas ejus. Nam unde illud ſomnium quo eam ipſam conſolatus es? Vidit enim ſtantem ſe in quadam regula lignea, & advenientem ad ſe juvenem ſplendidum: juſſiſſeq́; illum ut attenderet & videret; ubi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod ipſa ubi attendit, vidit me juxta ſe in eadem regula ſtantem. Vnde hoc, niſi quia erant aures tuæ ad cor ejus? O tu bone Omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrûm, tanquam ſolum cures; & ſic omnes, tanquam ſingulos! Vnde illud etiam, quòd quum mihi*

narraſſet

Digitized by Google

narraſſet ipſum viſum, & ego ad id trahere conarer, ut illa potiùs non deſperaret ſe futuram eſſe quod eram: continuò ſine aliqua dubitatione: NON, *inquit;* NON *enim mihi dictum eſt:* Ubi ille, ibi & tu; *Sed* ubi tu, ibi & ille. *Confiteor tibi Domine, ampliùs me iſto per Matrem vigilantem reſponſo tuo commotum fuiſſe, quàm ipſo ſomnio.*

Cap. 12. *Quum illa fœmina rogaſſet quemdam Epiſcopum, ut dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala ac docere bona: noluit ille; prudenter ſanè, quantùm ſenſi poſtea. Reſpondit enim me adhuc eſſe indocilem.* Sed ſine illum (inquit) ibi, & tantùm roga pro eo Dominum. Ipſe legendo reperiet, quis ille ſit error, & quanta impietas. *Simul etiam narravit ſe quoque parvulum à ſeducta matre ſua datum fuiſſe Manichæis; ſibique apparuiſſe, nullo contra diſputante & convincente, quàm eſſet illa Secta fugienda, atque ita fugiſſe. Quæ quum dixiſſet, atque illa nollet acquieſcere ſed inſtaret magis, deprecando & ubertim flendo:* Vade (*inquit*) à me, ita vivas: fieri enim non poteſt, ut Filius iſtarum lacrymarum pereat. *Quod ita illa ſe accepiſſe, inter colloquia ſua mecum ſæpè recordabatur, ac ſi de Cælo ſonuiſſet.*

S. Aug. lib. 4. Confeſſ. cap. 1. Cap. 2. *Per idem tempus ab undevigeſimo anno ætatis meæ ad duodetriceſimum, ſeducebamur & ſeducebamus. Quid enim ſum ego mihi ſine te, niſi dux in præceps? Docebam in illis annis artem Rhetoricam, & victorioſam loquacitatem victus cupiditate vendebam.*

Cap. 3. Nota de illis hic agi, qui *Aſtrologi Iudiciarii* paſſim nuncupantur. *Planetarios (quos Mathematicos vocant) conſulere non deſiſtebam, quòd quaſi nullum eſſet eis Sacrificium, & nullæ preces ad aliquem Spiritum. Hos tamen vera & Chriſtiana pietas conſequenter repellit & damnat. Erat eo tempore vir ſagax, qui Proconſul è manu ſua Coronam Agoniſticam impoſuerat non ſano capiti meo. Vbi cognovit ex colloquio meo, Libris Genethliacorum eſſe me deditum, benignè ac paternè monuit ut eos abjicerem, neque curam & operam rebus utilioribus neceſſariam, illi vanitati fruſtra impenderem. Tunc autem nec ipſe, nec chariſſimus meus Nebridius, adoleſcens valdè bonus & valdè cautus, irridens totum illud divinationis genus, perſuadere mihi potuerunt, ut hæc abjicerem.*

Digitized by Google

In illis annis, quo primo tempore in Municipio quo natus ſum, docere cæperam, comparaveram amicum ſocietate ſtudiorum nimis charum. Mecum puer creverat, & pariter in ſcholam iveramus pariterque luſeramus. A Fide vera deflexeram eum in ſuperſtitioſas fabellas & pernitioſas, propter quas plangebat me Mater mea. Et ecce tu (Domine) *imminens dorſo fugitivorum tuorum, abſtuliſti hominem de hac vita. Quum laboraret ille febribus, jacuit diu ſine ſenſu in ſudore lethali. Et quum deſperaretur, baptizatus eſt neſciens; non curante me, & præſumente id retinere potiùs animam ejus quod à me acceperat, quàm quod in neſcientis corpore fiebat. Longè autem aliter erat, nam recreatus eſt & ſalvus factus. Statimque ut primùm cum eo loqui potui, tentavi apud illum irridere, tanquam & illo irriſuro mecum Baptiſmum, quem acceperat mente atque ſenſu abſentiſſimus; ſed tamen ſe jam accepiſſe didicerat. At ille ita me exhorruit ut inimicum; admonuitque admirabili & repentinâ libertate, ut ſi amicus eſſe vellem, talia ſibi dicere deſinerem. Ego autem ſtupefactus atque turbatus diſtuli omnes motus meos, donec ille convaleſceret. Sed abreptus dementiæ meæ, ut apud te* (Domine) *ſervaretur conſolationi meæ, poſt paucos dies me abſente repetitur febribus & defungitur. Quo dolore contenebratum eſt cor meum! Quicquid adſpiciebam, mors erat. Solus fletus erat dulcis mihi, & ſucceſſerat amico in deliciis animi mei.* Cap. 4.

Miſer eſt omnis animus vinctus amicitiâ rerum mortalium & dilaniatur quum eas amittit. Beatus *qui amat te* (Domine) *& amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes chari ſunt in illo, qui non amittitur. Te nemo amittit,* Domine, *niſi qui dimittit: & qui dimittit quònam it, aut quò fugit; niſi à te placido ad te iratum?* Cap. 6. & 9.

Deus virtutum converte nos, nam quaquàverſum ſe vertit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te. Noli eſſe vana anima mea, ut quid perverſa ſequeris carnem tuam? Ipſa te ſequatur converſa. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum, retorque amorem, ne in his quæ tibi placent, tu ei diſpliceas. Si animæ placent, in Deo amentur, & rape ad eum quas potes, & dic eis: HVNC AMEMVS, HVNC AMEMVS. Cap. 10. 11. & 12

Digitized by Google

AMEMUS. Ipſe fecit hæc & non eſt longè. Non enim fecit & abiit; ſed ex illo in illo ſunt. Ecce ibi eſt ubi ſapit veritas. Intimus cordi eſt, ſed cor receſſit ab eo. Redite ergo prævaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos.

Cap. 16. *Quid mihi proderat quòd annos natus ferè viginti, quum in manus meas veniſſent Ariſtotelis Categoriæ, legi eas ſolus & intellexi? Quas quum contuliſſem cum eis qui ſe dicebant vix illas ſub Magiſtris eruditiſſimis intellexiſſe, nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quàm ego ſolus apud meipſum legens cognoveram. Et quid mihi proderat quòd omnes libros Artium quas Liberales vocant, per memetipſum legi & intellexi? Neſciebam unde eſſet quicquid ibi verum & certum eſſet: dorſum enim habebam ad lumen, & faciem ad ea quæ illuminantur. Itaque mihi non ad*
Luc. 15. *uſum, ſed ad perniciem magis valebat*, quia tam bonam partem ſubſtantiæ meæ ſatagebam habere in poteſtate mea. *Non ſentiebam illas Artes etiam à ſtudioſis & ingenioſis difficillimè intelligi; niſi quum eis conarer eaſdem exponere: & erat ille excellentiſſimus in eis, qui me exponentem non tardiùs aſſequeretur.*

Sed quid mihi hoc proderat putanti, quòd tu Deus meus Veritas, Corpus eſſes lucidum & immenſum; & ego fruſtum de illo corpore? Quid ergo mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo humani magiſterii adminiculo tot nodoſiſſimi Libri enodati? Aut quid tantùm oberat parvulis tuis (Domine) *longè tardius ingenium; quum à te longè non recederent, ut in nido Eccleſiæ tuæ tuti plumeſcerent, & alas charitatis, alimento ſanæ Fidei nutrirent?*

S. Aug. lib. 5. Confeſſ. cap. 1. & 2. *Accipe Sacrificium Confeſſionum mearum* (Domine) *te laudet anima mea ut amet te; & confiteatur tibi miſerationes tuas ut laudet te. Non ceſſat nec tacet laudes tuas univerſa creatura tua; ut exurgat in te à laſſitudine anima noſtra, innitens iis quæ feciſti, & tranſiens ad te qui feciſti. Eant & fugiant à te inquieti & iniqui, & tu vides eos. Fugerunt ut non viderent te videntem ſe, atque excæcati in te offenderent. Convertantur ergo & quærant te. Ecce ibi es in corde confitentium tibi & projicientium ſe in te, & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles; ſed tu facilis terges lacrymas eorum.*

Digitized by Google

Proloquar in conſpectu Dei mei annum illum undetriceſimum ætatis meæ. Iam venerat Carthaginem quidam Manichæorum Epiſcopus, Fauſtus nomine, magnus laqueus Diaboli. Fama de illo mihi prælocuta erat, quòd eſſet honeſtarum doctrinarum omnium peritiſſimus. Infœlix homo qui ſcit illa omnia, te autem (Domine Deus) *neſcit. Beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò & te & illa novit, non propter illa beatior; ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te, ſicut Deum glorificat. Per annos fermè ipſos novem, nimis extento deſiderio expectabam iſtum Fauſtum: cæteri enim illum mihi promittebant. Ergo ubi venit, expertus ſum hominem gratum & jucundum verbis. Sed quid ad meam ſitim, pretioſorum poculorum decentiſſimus miniſtrator? Expertus ſum hominem expertem liberalium diſciplinarum, præterquam Grammaticæ, atque ejus ipſius uſitato modo. Et quia legerat aliquas Tullianas Orationes, & pauciſſimos Senecæ libros, & nonnulla Poëtarum & ſuæ Sectæ, & aderat quotidiana ſermocinandi exercitatio, inde ſuppetebat eloquium, quod fiebat acceptius magiſque ſeductorium moderamine ingenii. Cor habebat etſi non rectum ad Deum, non tamen nimis incautum ad ſeipſum. Non uſquequaque erat imperitus imperitiæ ſuæ, & noluit ſe temerè diſputando coarctari, unde nec exitus ei ullus, nec facilis eſſet reditus. Ita ille Fauſtus qui multis laqueus mortis extitit, meum quo captus eram, jam relaxare cœperat, nec volens nec ſciens. Manus enim tuæ* (Domine Deus) *in abdito Providentiæ tuæ non deſerebant animam meam, & de ſanguine cordis matris meæ, per lacrymas ejus diebus ac noctibus, pro me ſacrificabatur tibi.* Cap. 3. & ſeqq.

Egiſti mecum, ut mihi perſuaderetur Romam pergere. Sed quare hinc abirem & illuc irem, tu ſciebas, Deus, nec indicabas mihi, nec Matri, quæ me profectum atrociter planxit, & uſque ad mare ſecuta eſt: ſed feſelli eam, & mentitus ſum Matri, & tali Matri, & evaſi. Vix ei perſuaſi, ut in loco qui proximus noſtræ navi erat Memoria Beati Cypriani, maneret eâ nocte, ſed ego clanculò profectus ſum. Illa autem remanſit orando & flendo. Sed tu (Domine) *altè conſulens & exaudiens cardinem deſiderii ejus, non curaſti quod tunc petebat, ut in me faceres*

Digitized by Google

quod ſemper petebat. Neſciebat illa, ideò flebat, cum gemitu quærens quod cum gemitu pepererat. Et ecce Romæ *excipior flagello ægritudinis corporalis, & ibam ad inferos.* Et Mater *hoc neſciebat, & tamen orabat pro me abſens: tu autem ubique præſens exaudiebas eam. An verò tu Deus ſperneres cor contritum & humiliatum Viduæ caſtæ ac ſobriæ, frequentantis eleëmoſynas, obſequentis ac ſervientis Sanctis tuis, nullum diem prætermittentis Oblationem ad Altare tuum, bis in die manè & veſperè ad Eccleſiam tuam ſine ulla intermiſſione venientis; ut te audiret in tuis ſermonibus, & tu illam in ſuis orationibus?*

Recreaſti ergo me ab illa ægritudine, & ſalvum feciſti filium Ancillæ tuæ.

Poſteaquam miſſum eſt Mediolano Romam ad Præfectum *Vrbis, ut illi Civitati, Rhetoricæ Magiſter provideretur, ego ipſe ambivi per eoſdem ipſos Manichæos (quibus ut carerem ibam, ſed utrique neſciebamus) ut dictione propoſitâ me probatum,* Præfectus *tunc Symmachus mitteret.*

Veni Mediolanum ad Ambroſium: ad eum autem ducebar abs te neſciens, ut per eum ad te (Domine) *ſciens ducerer. Suſcepit me paternè homo ille Dei, & eum amari, primò quidem non tanquam Doctorem veri, ſed tanquam benignum in me. Studiosè audiebam diſputantem in populo, non intentione quâ debui. Rerum incurioſus & contemptor, delectabar ſuavitate ſermonis, quanquam eruditioris, minùs tam hilareſcentis atque mulcentis, quàm Fauſti* Manichæi, *quòd attinet ad dicendi modum: cæterùm rerum ipſarum nulla comparatio. Veniebant in animum meum ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiam quæ negligebam, & gradatim quidem. Ita enim Catholica non mihi victa videbatur, ut nondum etiam victrix appareret. Itaque Academicorum more dubitans de omnibus, ſtatui tamdiu eſſe Catechumenus in Catholica Eccleſia, mihi à parentibus commendatâ, donec aliquid certi eluceret.*

lib. 6. cap. 1. *Iam venerat ad me Mater, pietate fortis, terrâ mariq́ue me ſequens, & in periculis omnibus ſecura; nam & per marina diſcrimina ipſos* Nautas *conſolabatur. Et invenit me periclitantem quidem graviter deſperatione indagandæ veritatis; ſed tamen ei*

quum

Digitized by Google

quum indicaſſem, non me quidem jam eſſe Manichæum, ſed neque Catholicum Chriſtianum; non quaſi inopinatum aliquid audierit, exiliit lætitiâ. Imò quia & certa erat quòd reſtabat te daturum, Domine, *qui totum promiſeras, placidiſſimè & pectore pleno fiduciæ reſpondit mihi :* Credere ſe in Chriſtum quòd priuſquam de hac vita migraret, me viſura eſſet fidelem Catholicum.

Et hoc quidem mihi : tibi autem, Fons miſericordiarum, *offerebat preces & lacrymas denſiores, ut accelerares adjutorium tuum, & ſtudioſius ad Eccleſiam tuam currerem, ac in Ambroſii ora ſuſpenderer. Diligebat autem illum Virum ſicut Angelum Dei, quòd per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem fuiſſe perductum.*

Ipſum AMBROSIVM fœlicem quemdam hominem ſecundum ſæculum opinabar, quem ſic tantæ Poteſtates honorarent. Cap. 3. *Cœlibatus tantùm ejus mihi laborioſus videbatur. Quid autem ille ſpei gereret, & adverſus ipſius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet : quàm ſapida gaudia de Pane cœleſti ruminaret, nec conjicere poteram, nec ille ſciebat æſtus meos. Non enim quærere poteram quod volebam, ſicut volebam; ſecludentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotioſorum hominum, quorum infirmitatibus ſerviebat. Cum quibus quando non erat (quòd per exiguum temporis erat) aut corpus cibo reficiebat, aut lectione animum. Sed quum legebat, oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur; vox autem & lingua quieſcebant ſæpè quum adeſſemus : non enim vetabatur quiſquam ingredi, aut ei venientem nuntiari mos erat. Sed certè nulla mihi dabatur copia ſciſcitandi quæ cupiebam, de tam ſancto Oraculo pectore illius, niſi quum aliquid eſſet breviter audiendum. Æſtus autem illi mei, otioſum eum valde cui refunderentur, requirebant; nec unquam inveniebant. Et eum quidem in populo, omni die Dominico audiebam. Vbi verò etiam comperi* ad imaginem tuam hominem à te factum, *Domine,* non ſic intelligi, ut humani corporis formâ te terminatum crederent; *gaudens erubui, non me tot annos adverſus Catholicam Fidem; ſed contra carnalium cogitationum figmenta latraſſe.*

Cap. 4. *Itaque confundebar, & convertebar, & gaudebam quòd Ecclesia tua non saperet infantiles nugas. Dicentem Ambroſium lætus audiebam. Tenebam cor meum ab omni aſſenſione, timens præcipitium, & ſuſpendio magis necabar. Volebam eorum quæ non viderem ita me certum fieri, ut quòd ſeptem & tria ſint decem. Sicut malum Medicum expertus, etiam bono timet ſe committere; ita erat valetudo animæ meæ.*

Cap 5. & 6. *Paulatim tu Domine manu mitiſſimâ pertractabas & componebas cor meum. Inhiabam honoribus, lucris, conjugio; & tu irridebas. Patiebar in iis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tantò magis, quantò minùs ſinebas mihi dulceſcere quòd non eras tu. Quum pararem recitare Imperatori laudes, tranſiens per quemdam vicum Mediolanenſem, animadverti pauperem mendicum jam credo ſaturum, jocantem atque lætantem: & ingemui, & locutus ſum cum amicis (qui mecum erant) multos dolores inſaniarum noſtrarum. Nimirùm quippe ille fœlicior erat, non tantùm quòd hilaritate perfundebatur, quum ego curis eviſcerarer; verùm etiam quòd ille benè optando acquiſierat vinum, ego autem mentiendo quærebam typhum.*

Cap. 7. 8. 9. & 10. *Congemiſcebamus qui ſimul amicè vivebamus, & maximè ac familiariſſimè cum Alipio ac Nebridio colloquebar. Quorum Alipius ex eodem quo ego Municipio, parentibus primatibus, diligebat me multùm & ego illum. Tu Domine qui præſides gubernaculis omnium quæ creaſti, non eum oblitus eras futurum inter filios tuos Antiſtitem Sacramenti tui: & ut apertè tibi tribueretur ejus correctio, per me quidem ſed neſcientem operatus es illam. Et audire me rursùm incipiens, mecum ſuperſtitione involutus eſt, amans in Manichæis oſtentationem continentiæ, quam veram & germanam putabat. Romam præceſſerat ut jus diſceret, & ibi gladiatorii ſpectaculi hiatu abreptus eſt. Dicebat amicis importunè urgentibus:* adero itaque abſens, ſic & vos & illa *ſpectacula* ſuperabo. *Spectavit, clamavit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, quâ ſtimularetur redire, non tantùm cum illis à quibus priùs abſtractus eſt, ſed etiam præ illis & alios trahens. Et inde tamen manu validiſſimâ & miſericordiſſimâ eruiſti eum tu* Domine, *& docuiſti non ſui habere, ſed tui fiduciam.*

Digitized by Google

tiam. Quum adhuc ſtuderet apud Carthaginem, ſcriſti eum comprehendi ab Æditubs Fori tanquam furem, ut ille Vir tantus futurus (videlicet Epiſcopus) *jam inciperet diſcere, quàm non facilè in cognoſcendis cauſis, homo ab homine damnandus eſſet temerariâ credulitate. Hunc ego Romæ inveneram & adhæſit mihi fortiſſimo vinculo, mecumque Mediolanum profectus eſt, ut nec me deſereret, & de jure quod didicerat, aliquid ageret, ſecundùm votum parentum magis quàm ſuum. Nebridius autem, qui relictâ Patriâ vicinâ Carthagini, relicto rure Paterno optimo, relictâ domo, & non ſecuturâ Matre, nullam aliam ob cauſam Mediolanum venerat, niſi ut mecum viveret in flagrantiſſimo ſtudio Veritatis atque Sapientiæ, pariter ſuſpirabat pariterque ſtuctuabat. Et erant ora trium egentium, inopiam ſuam ſibimet invicem anhelantium.*

Ecce jam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto hæſitans, dum dico: Cras inveniam, figam pedes meos in eo gradu in quo puer à parentibus poſitus ſum, donec inveniatur perſpicua veritas. Sed ubi quæretur? Quando quæretur? Non vacat Ambroſio: non vacat legere, & ubi ipſos Codices quæremus? Deputentur tempora. Diſtribuantur horæ pro ſalute animæ. Magna ſpes oborta eſt, non docet Catholica Fides quod putabamus; nefas habent Docti ejus credere Deum figurâ humani corporis terminatum, Antemeridianas horas Diſcipuli occupant; cæteris quid facimus? Sed quando ſalutamus amicos majores: quando præparamus quod emant Scholaſtici: quando reparamus noſmetipſos? Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania. Conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis. Sed expecta, jucunda ſunt etiam iſta, Multi magni Viri Sapientiæ ſtudio cum conjugibus dediti fuerunt. *Quum hæc dicebam & alternabant venti, differebam de die in diem. Putabam me miſerum fore nimis, ſi fœminæ privarer amplexibus. Propriarum virium exiſtimabam eſſe continentiam, quarum mihi non eram conſcius: quum tam ſtultus eſſem ut neſcirem,* neminem poſſe eſſe continentem niſi Deus dederit. *Utique dares Domine, ſi gemitu interno* Cap. 11. & 12. Sap. 8.

 pulſarem

pulſarem aures tuas, & fide ſolidâ in te jactarem curam meam.

Cap. 14. 15. & 16. *Multi ſimul amici agitaveramus animo, & deteſtantes humanæ vitæ turbulentas moleſtias penè jam firmaveramus, ut remoti à turbis otioſè viveremus: id otium ſic moliti, ut ſi quid habere poſſemus, conferremus in medium. Quum videremur eſſe poſſe decem fermè homines in eadem ſocietate, eſſentque (inter nos) prædivites; Romanianus maximè communiceps noſter, qui maximè inſtabat huic rei: placuerat nobis ut bini tanquam annui Magiſtratus omnia neceſſaria curarent, cæteris quietis. Sed poſteaquam cœpit cogitari, utrùm hoc MVLIERCVLÆ SINERENT, quas & alii noſtrûm jam habebant, & nos habere volebamus: totum illud placitum quod benè formabamus, diſſiluit è manibus, atque confractum & abjectum eſt. Ex quo conſilio deridebas noſtra* (Domine Deus) *& tua præparabas?*

Interea peccata mea multiplicabantur, & avulsâ à latere meo cum qua cubare ſolitus eram, cor conciſum & vulneratum mihi erat & trahebat ſanguinem. Et illa in Aphricam redierat vovens tibi DEVS, alium ſe virum neſcituram, relicto apud me naturali ex illa filio meo. Ego in illo puero Adeòdato præter delictum nihil habebam. Horrori mihi erat illud ingenium. Et quis præter te, Domine, *talium Artifex? Citò de terra abſtuliſti vitam ejus, & nunc ſecurior eum recordor. At ego infœlix nec fœminæ imitator, dilationis impatiens procuravi aliam, quâ tanquam ſuſtentaretur morbus animæ meæ. Nec ſanabatur vulnus illud quod prioris præciſione factum fuerat; ſed poſt fervorem doloremque acerrimum putreſcebat, & quaſi frigidiùs ſed deſperatiùs dolebat.*

Tibi laus, tibi gloria (Fons miſericordiarum) *ego fiebam miſerior & tu propinquior. Nec me revocabat à profundiore carnalium voluptatum gurgite, niſi mortis & futuri judicii tui metus, qui per varias quidem opiniones nunquam tamen receſſit de pectore meo. Et diſputabam cum amicis meis Alipio &* Nebridio *Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo meo, niſi ego illa credidiſſem. O tortuoſas vias! Væ animæ audaci, quæ ſperavit ſi à te receſſiſſet ſe aliquid melius habituram. Verſa & reverſa in tergum & in latera & in ventrem, dura ſunt omnia, & tu ſolus requies noſtra.*

Digitized by Google

Iam Mathematicorum fallaces divinationes & impia delira-menta rejeceram. Tu, Deus meus, *procuraſti pervicaciæ meæ (quâ obluctatus ſum Vindiciano & Nebridio) hominem amicum. Is ergo nomine FIRMINVS, mihi narravit Patrem ſuum fuiſſe librorum talium curioſiſſimum, & habuiſſe amicum æquè illa ſectantem: ita ut brutorum quoque animalium obſervarent momenta naſcentium. Itaque dicebat ſe audiſſe à Patre ſuo, quòd quum prægnans eſſet ejuſdem Firmini Mater, etiam illius paterni amici famula quædam pariter utero grandeſcebat: atque ita factum eſſe, ut quum iſte Conjugis, ille autem Ancillæ dies & horas numeraret, enixæ eſſent ambæ ſimul. Et tamen FIRMINVS amplo apud ſuos loco natus augebatur divitiis, ſublimabatur honoribus: SERVVS autem ille conditionis jugo nullatenus relaxato ſerviebat. His itaque auditis & creditis, omnis illa reluctatio mea reſoluta concidit. Hinc etiam intendi conſiderationem meam in eos qui gemini naſcuntur ut ESAV & IACOB,* Geneſis capite 25. S. Aug. lib. 7. Confeſſ. cap. 6.

Sæpè intuens, quantùm poteram, mentem humanam tam vivacem, tam ſagacem, tam perſpicacem; non putabam latere veritatem, niſi quòd in ea quærendi modus lateret; eundemque ipſum modum ab aliqua divina authoritate eſſe ſumendum. Reſtabat quærere quænam illa eſſet authoritas; quum in tantis diſſenſionibus ſe quiſque illam traditurum eſſe polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis ſylva, cui demum inſeri multùm pigebat, atque inter hæc ſine ulla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Diſſuebam me tamen magis magiſque ab iſtis, quos jam deſerere propoſueram. Reſtabat autem aliud nihil in tantis periculis, quàm ut divinam Providentiam lacrymoſis & miſerabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id ſedulò faciebam, & jam ferè me commoverant nonnullæ diſputationes Mediolanenſis Epiſcopi. Decreveram tamdiu eſſe Catechumenus in Eccleſia, cui traditus à Parentibus eram, donec aut invenirem quod vellem, aut mihi perſuaderem non eſſe quærendum. Oportuniſſimum ergo me ac valde docilem tunc invenire poſſet, ſi fuiſſet qui potuiſſet docere. S. Aug. lib. de utilit. cred. cap. 8.

Dirupiſti Domine vincula mea. *Placebat via ipſa Salvator,* S. Aug. lib. 8. Confeſſ. cap. 1.

vator, ſed ire per ejus anguſtias adhuc pigebat. Et immiſiſti in mentem meam pergere ad SIMPLICIANVM: audiveram enim quòd à juventute ſua devotiſſimè tibi viveret. Iam verò tunc ſenuerat; & multa expertus, multa edoctus mihi videbatur: & verè ſic erat. Vnde mihi ut proferret volabam, conferenti ſecum æſtus meos, quis eſſet aptus modus ſic affecto (ut ego eram) ad ambulandum in via tua.

Perrexi ergo ad SIMPLICIANVM, in accipienda gratia tua Patrem Epiſcopi AMBROSII; & quem verè ut Patrem diligebat. Narravi ei circuitus erroris mei. Vbi autem commemoravi legiſſe me quoſdam libros, quos VICTORINVS in Latinam linguam tranſtuliſſet, gratulatus eſt mihi quòd non in aliorum ſcripta incidiſſem. Deinde ut me exhortaretur ad humilitatem Chriſti, VICTORINVM ipſum recordatus eſt; quemadmodum ille doctiſſimus non erubuerit eſſe puer Chriſti tui, & infans fontis tui. Legebat Sanctam Scripturam, & dicebat SIMPLICIANO, non palam ſed ſecretiùs: Noveris me jam eſſe Chriſtianum. *Et ille reſpondebat:* Non credam niſi in Eccleſia te videro. *Ipſe autem,* Ergone parietes faciunt Chriſtianum? *Amicos enim ſuos verebatur offendere. Sed poſteaquam legendo & inhiando hauſit firmitatem, timuitque negari à Chriſto, depuduit vanitati & erubuit veritati; ſubitòque ait SIMPLICIANO:* Eamus in Eccleſiam, volo fieri Chriſtianus. *At* SIMPLICIANUS *non capiens ſe præ lætitiâ perrexit cum eo, mirante ROMA, gaudente ECCLESIA. Ad horam profitendæ Fidei, oblatum dicebat eſſe Victorino ut ſecretiùs redderet: illum autem maluiſſe publicè profiteri.*

Cap. 3. & 4. *Deus bone quid agitur in homine, ut plùs gaudeat de ſalute deſperatæ animæ? Etenim tu quoque* plùs gaudes de uno pœnitente, quàm de nonaginta novem juſtis. *Gaudes quippè in nobis, & in Angelis tuis ſanctâ charitate Sanctis; nam tu ſemper IDEM ES. Quando cum multis gaudetur, in ſingulis uberius eſt gaudium; quia fervefaciunt & inflammant ſe alter ex altero. Deinde multis noti, multis ſunt authoritati ad ſalutem; & ideò multùm de illis, quia non de ſolis lætantur. Abſit autem* ut præ pauperibus accipiantur perſonæ divitum,

aut

aut præ ignobilibus Nobiles; *ipſe enim* minimus Apoſtolorum tuorum *ex SAVLO PAVLVS vocari amavit, ob tam magnum inſigne victoriæ* in SERGII PAULI PROCONSULIS Converſione. *Plùs enim hoſtis vincitur in eo quem plùs tenet, & de quo plures tenet.*

Vbi mihi iſta narravit SIMPLICIANVS, exarſi ad imitandum. Addidit quòd Iuliani temporibus lege datâ prohibiti ſunt Chriſtiani docere. Quam Legem ille amplexus, loquacem Scholam deſerere maluit, quàm verbum tuum. Cui rei ego ſuſpirabam, ligatus non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi cathenam fecerat & conſtrinxerat me. Quippe ex perverſâ voluntate facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: dum autem conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis ſibimet innexis (unde & cathenam appellavi) tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Cogitationes quibus meditabar in te (Domine) *ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati altitudine ſoporis remerguntur. Certum habebam longè eſſe melius me dedere tuæ charitati, quàm cedere meæ cupiditati; ſed illud placebat & vincebat; hoc libebat & vinciebat. Non erat quod reſponderem veritate convictus, niſi tantùm verba lenta & ſomnolenta.* Modò, ecce modò; ſine paululùm. *Sed* modò & modò *non habebant* modum. *Lex peccati eſt violentia conſuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito quo volens in eam illabitur.* Cap. 5.

Quotidie ſuſpirabam tibi (Deus meus) *& frequentabam Eccleſiam tuam quantùm vacabat.*

Die quodam (non recolo cauſam quâ erat abſens Nebridius) *ecce ad nos domum venit, ad me ſcilicet & Alipium, Poticianus quidam Civis noſter in quantum Apher, præclarè in Palatio militans. Et conſedimus ut colloqueremur: & fortè ſupra menſam luſoriam quæ ante nos erat, attendit Codicem, tulit, aperuit, invenit Apoſtolum* Paulum. *Tum verò arridens meque intuens, gratulatoriè miratus eſt; Chriſtianus quippe &*

Fidelis erat, & ſæpè tibi Deo noſtro proſternebatur in Eccleſia crebris & diuturnis orationibus. Cui ego quum indicaſſem illis me Scripturis curam maximam impendere; ortus eſt ſermo (ipſo narrante) de Antonio Ægiptio Monacho. Omnes mirabamur, & nos quia tam magna erant, & ille quia inaudita nobis erant. Inde ſermo ejus devolutus eſt ad Monaſteriorum greges: & erat Monaſterium Mediolani plenum bonis Fratribus extra Vrbis mœnia, ſub Ambroſio Nutritore, & non noveramus. Incidit ut diceret ſe & tres alios contubernales ſuos apud Treviros (quum Imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo detineretur) exiſſe ambulatum in hortos muris contiguos: atque illic ut fortè combinati ſpaciabantur, duos eorum irruiſſe in quamdam caſam, ubi habitabant ſervi Dei, ſpiritu pauperes: & inveniſſe ibi Codicem, in quo ſcripta erat vita Antonii: quam legere cæpit unus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, relictâ militiâ ſæculari. Tunc ſubitò repletus amore ſancto ait ſocio: Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus pervenire? Majórne eſſe poterit ſpes noſtra in Palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Quamdiu autem iſtud erit? Amicus Dei ſi voluero, ecce nunc fio. *Et diſcrevit decrevitque meliora: jamque tuus* (Domine Deus) *ait amico ſuo*: Ego jam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui; & ex HOC, ex HAC hora, in HOC loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli adverſari. *Reſpondit ille adhærere ſe ſocio. Poticianus autem & alius nihilò mutati à priſtinis fleverunt ſe (ut dicebat) atque illis piè congratulati ſunt, & commendaverunt ſe orationibus eorum, & trahentes cor in terra abierunt in Palatium. Illi autem affigentes cor Cœlo, manſerunt in caſa: & ambo habebant ſponſas, quæ poſtquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipſæ virginitatem Deo.*

Narrabat hæc Poticianus. Tu autem Domine inter verba ejus retorquebas me ad meipſum; ut viderem quàm turpis eſſem, quàm diſtortus, quàm ſordidus & ulceroſus. Videbam & horrebam,

Digitized by Google

bam, & quò à me fugerem, non erat. In exordio ipſius Adoleſcentiæ meæ etiam petieram à te caſtitatem, & dixeram : Da mihi, ſed noli modò. *Timebam enim ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ. Malebam eam expleri quàm extingui. Terminato autem ſermone & causâ quâ venerat, abiit* Poticianus; *& ego ad me* converſus, *quibus ſententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut ſequeretur me conantem ire poſt te? Invado Alipium & exclamo :* Quid patimur? Quid eſt hoc? Quid audiſti? Surgunt indocti & Cælum rapiunt; & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur, in carne & ſanguine. An quia præceſſerunt, pudet ſequi? Et non pudet non ſaltem ſequi? *Ego fremebam ſpiritu, indignans quòd non irem in placitum & pactum tecum Deus meus. Nam non ſolùm ire, ſed etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quàm VELLE ire : ſed VELLE fortiter & integrè; non ſemi-ſauciam hàc atque hàc verſare & jactare voluntatem, parte aſſurgente cum alia parte cadente luctantem.*

Vnde hoc monſtrum? Imperat animus corpori & paretur ei : imperat animus ſibi & reſiſtitur. Sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Non utique plena imperat; ideo non eſt quod imperat : nam ſi plena eſſet, nec imperaret ut eſſet, quia jam eſſet. Non igitur monſtrum eſt, partim VELLE, partim NOLLE : ſed ægritudo animi qui non totus aſſurgit, veritate ſublevatus ſed conſuetudine prægravatus. Et ideò ſunt duæ voluntates; quia una earum tota non eſt, & hoc adeſt uni, quod deeſt alteri.

EGO *eram qui volebam,* EGO *qui nolebam,* EGO, EGO *eram. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam. Sic ægrotabam, & excruciabar accuſans memetipſum ſolitò acerbiùs, ac volvens & verſans me in vinculo meo; donec abrumperetur totum quo jam exiguo tenebar.*

Dicebam apud me intùs : Ecce Modò fiat: Modò fiat; *& cum verbo jam ibam in placitum : punctumque ipſum temporis quo alius futurus eram, quantò propiùs admovebatur tantò ampliorem incutiebat horrorem. Non tamen recutiebat me retrò, nec avertebat; ſed ſuſpendebat. Retinebant me* nugæ nugarum,

&

Digitized by Google

Fidelis erat, & ſæpè tibi Deo noſtro proſternebatur in Eccleſia crebris & diuturnis orationibus. Cui ego quum indicaſſem illius me Scripturis curam maximam impendere; ortus eſt ſermo (ipſo narrante) de Antonio Ægiptio Monacho. Omnes mirabamur, & nos quia tam magna erant, & ille quia inaudita nobis erant. Inde ſermo ejus devolutus eſt ad Monaſteriorum greges: & erat Monaſterium Mediolani plenum bonis Fratribus extra Vrbis mœnia, ſub Ambroſio Nutritore, *& non noveramus. Incidit ut diceret ſe & tres alios contubernales ſuos apud Treviros (quum Imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo detineretur) exiſſe ambulatum in hortos muris contiguos: atque illic ut fortè combinati ſpaciabantur, duos eorum irruiſſe in quamdam caſam, ubi habitabant ſervi Dei, ſpiritu pauperes: & inveniſſe ibi Codicem, in quo ſcripta erat vita Antonii: quam legere cæpit unus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, relictâ militiâ ſæculari. Tunc ſubitò repletus amore ſancto* ait ſocio: Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus pervenire? Majórne eſſe poterit ſpes noſtra in Palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Quamdiu autem iſtud erit? Amicus Dei ſi voluero, ecce nunc fio. *Et diſcrevit decrevitque meliora: jamque tuus* (Domine Deus) *ait amico ſuo:* Ego jam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui; & ex HOC, ex HAC hora, in HOC loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli adverſari. *Reſpondit ille adhærere ſe ſocio. Poticianus autem & alius nihilò mutati à priſtinis fleverunt ſe (ut dicebat) atque illis piè congratulati ſunt, & commendaverunt ſe orationibus eorum, & trahentes cor in terra abierunt in Palatium. Illi autem affigentes cor Cælo, manſerunt in caſa: & ambo habebant ſponſas, quæ poſtquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipſæ virginitatem Deo.*

Narrabat hæc Poticianus. Tu autem Domine inter verba ejus retorquebas me ad meipſum; ut viderem quàm turpis eſſem, quàm diſtortus, quàm ſordidus & ulceroſus. Videbam & horrebam,

Digitized by Google

bam, & quò à me fugerem, non erat. In exordio ipſius Adoleſcentiæ meæ etiam petieram à te caſtitatem, & dixeram : Da mihi, ſed noli modò. *Timebam enim ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ. Malebam eam expleri quàm extingui. Terminato autem ſermone & causâ quâ venerat, abiit* Poticianus; *& ego ad me* converſus, *quibus ſententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut ſequeretur me conantem ire poſt te? Invado Alipium & exclamo:* Quid patimur? Quid eſt hoc? Quid audiſti? Surgunt indocti & Cælum rapiunt; & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur, in carne & ſanguine. An quia præceſſerunt, pudet ſequi? Et non pudet non ſaltem ſequi? *Ego fremebam ſpiritu, indignans quòd non irem in placitum & pactum tecum Deus meus. Nam non ſolùm ire, ſed etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quàm VELLE ire: ſed VELLE fortiter & integrè; non ſemi-ſauciam hàc atque hàc verſare & jactare voluntatem, parte aſſurgente cum alia parte cadente luctantem.*

Vnde hoc monſtrum? Imperat animus corpori & paretur ei: imperat animus ſibi & reſiſtitur. Sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Non utique plena imperat; ideo non eſt quod imperat: nam ſi plena eſſet, nec imperaret ut eſſet, quia jam eſſet. Non igitur monſtrum eſt, partim VELLE, partim NOLLE: *ſed ægritudo animi qui non totus aſſurgit, veritate ſublevatus ſed conſuetudine prægravatus. Et ideò ſunt duæ voluntates; quia una earum tota non eſt, & hoc adeſt uni, quod deeſt alteri.*

EGO *eram qui volebam,* EGO *qui nolebam,* EGO, EGO *eram. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam. Sic ægrotabam, & excruciabar accuſans memetipſum ſolitò acerbiùs, ac volvens & verſans me in vinculo meo; donec abrumperetur totum quo jam exiguo tenebar.*

Dicebam apud me intùs: Ecce Modò fiat: Modò fiat; *& cum verbo jam ibam in placitum: punctumque ipſum temporis quo alius futurus eram, quantò propiùs admovebatur tantò ampliorem incutiebat horrorem. Non tamen recutiebat me retrò, nec avertebat; ſed ſuſpendebat. Retinebant me* nugæ nugarum,

&

& vanitates vanitatum, *antiquæ amicæ meæ. Succutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant:* Dimittiſne nos AUGUSTINE? *Et audiebam eas jam longè minùs quàm dimidius, veluti à dorſo meo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes ut reſpicerem. Aperiebatur autem ab eâ parte quâ intenderam faciem meam, caſta dignitas Continentiæ, ſerenè & honeſtè blandiens ut venirem, extendens ad me pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ. Et in omnibus his ipſa Continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de te marito Domine. Et irridebat me irriſione exhortatoriâ, quaſi diceret:* Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An in ſemetipſis poſſunt? Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas & non ſtas? Projice te ſecurus in eum: noli metuere; non ſe ſubſtrahet ut cadas. Obſurdeſce adversùs immunda illa membra tua.

Vbi à fundo arcano alta conſideratio contraxit & congeſſit totam miſeriam meam in conſpectum cordis mei, oborta eſt procella ingens, ferens ſecum ingentem imbrem lacrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus, ſurrexi ab Alipio. Solitudo mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur. Ergo ſub quadam fici arbore ſtravi me, neſcio quomodò, & dimiſi habenas lacrymis: Uſquequò Domine? Quamdiu, quamdiu CRAS & CRAS? Quare non MODO? Quare non HAC HORA finis turpitudinis meæ?

Et ecce audio vocem de viciniâ domo, cum cantu dicentis & crebrò repetentis, quaſi pueri an puellæ, neſcio: TOLLE, LEGE: TOLLE, LEGE. *Statimque cogitare cœpi, utrùmnam ſolerent pueri in aliquo genere ludi, cantitare tale aliquid? Nec occurrebat omnino audiſſe me uſpiam.*

Repreſſo impetu lacrymarum ſurrexi, nihil aliud interpretans mihi juberi divinitùs, niſi ut aperirem Codicem & legerem quod primum Caput inveniſſem. Audieram enim de ANTONIO, *quòd ex Evangelicâ lectione cui fortè ſupervenerat, admonitus fuiſſet tanquam ſibi diceretur quod legebatur:* Si vis eſſe perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me; *talique Oraculo confeſtim ad te* (Domine) *eſſe*

converſum,

converſum. Arripui, aperui, legi in ſilentio Caput, quò primùm conjecti ſunt oculi mei : nimirum ad Romanos cap. 13. Non in commeſſationibus & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione : ſed induite Dominum Jesum Chriſtum; & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis.

Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujuſce ſententiæ, quaſi luce ſerenitatis infuſâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.

Alipius petiit videre quid legiſſem. Oſtendi ei & attendit quid ſequeretur, ſequebatur verò : Infirmum autem in Fide aſſumite. *Quod ille ad ſe retulit, mihique aperuit, & tali admonitione firmatus eſt.*

Inde ad Matrem ingredimur & indicamus. Gaudet, exultat, triumphat, & benedicit tibi Deus, qui potens es facere ultra quàm petimus aut intelligimus. *Convertiſti enim ita me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſæculi hujus : ſtans in ea Regula Fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras. Et convertiſti luctum ejus in gaudium multò uberiùs quàm voluerat.*

De quo imo altoque ſecreto evocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem cervicem leni jugo tuo CHRISTE JESU ? *Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum ? Ejiciebas enim eas à me, & intrabas pro eis, omni ſuavitate dulcior. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi atque ſcalpendi ſcabiem libidinum.*

Placuit mihi in conſpectu tuo non tumultuosè abripere me, ſed leniter ſubſtrahere miniſterium linguæ meæ nundinis loquacitatis. Et oportunè jam pauciſſimi dies ſupererant ad vindemiales ferias. Sagittaveras cor meum charitate tua, & geſtabam verba tua transfixa viſceribus, & exempla ſervorum tuorum. Sed quia etiam laudatores utique haberet votum & propoſitum meum, jactantiæ ſimile videbatur non operiri tam proximum feriatum tempus.

Macerabatur anxietate Verecundus de illo noſtro bono, quòd propter

Digitized by Google

propter vincula ſua deſeri ſe noſtro conſortio videbat nondum Chriſtianus. Nec Chriſtianum eſſe alio ſe modo velle dicebat, quàm illo quo non poterat. Benignè ſanè obtulit ut quamdiu ibi eſſemus, in rure ipſius eſſemus. Retribues illi Domine, quia quum Romæ jam eſſemus, Chriſtianus & fidelis factus ex hac vita migravit. Reddes Verecundo pro rure illo ejus Caſſiſiaco (ubi ab æſtu ſæculi requievimus in te) amœnitatem ſempiternè virentis Paradiſi tui. Nebridius autem collætabatur, quem non multò poſt converſionem noſtram, ipſum etiam Fidelem Catholicum, caſtitate perfectâ atque continentiâ tibi ſervientem in Aphrica apud ſuos; quum tota domus ejus per eum Chriſtiana facta eſſet, carne ſolviſti. Et nunc ille vivit in ſinu Abraham (quicquid illud eſt quod illo ſignificatur ſinu) ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus: nam quis alius tali animæ locus? Ibi vivit unde me multa interrogabat homuncionem inexpertũ. Jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit quantùm poteſt ſapientiam, pro aviditate ſuâ ſine fine fœlix. Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea ut obliviſcatur mei, quum tu Domine quem potat ille, ſis memor noſtri.

Quas tibi Deus meus voces dedi, dum legerem Pſalmos David, Cantica fidelia, & ſonos pietatis excludentes turgidum ſpiritum, rudis in germano amore tuo, Catechumenus in Villa cum Catechumeno Alipio feriatus: Matre adhærente nobis, virili fide, anili ſecuritate, maternâ charitate, Chriſtianâ pietate? Renuntiavi peractis vindemialibus, ut Scholaſticis ſuis Mediolanenſes venditorem verborum alium providerent. Et inſinuavi per Literas Antiſtiti tuo, Viro Sancto, Ambroſio, priſtinos errores meos, & præſens votum meum; ut moneret quid potiſſimùm mihi de libris tuis legendum eſſet, quò percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem.

Inde ubi tempus advênit quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus. Placuit & Alipio renaſci in te mecum, fortiſſimo domitori corporis, uſque ad Italicum Solum glaciale nudo pede obterendum, inſolito auſu. Adjunximus etiam nobis puerum Adeodatum ex me genitum carnaliter de peccato meo. Et baptizati ſumus. Quantùm flevi in Hymnis & Canti-

Digitized by Google

cis tuis, ſuave-ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur Veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis. Conſociaſti nobis & Evodium juvenem ex noſtro Municipio, qui prior nobis ad te converſus eſt & baptizatus, ac relictâ militiâ ſæculari accinctus eſt in tuâ. Simul eramus, ſimul habitabamus placito ſancto; quærebamus quiſnam locus nos utiliùs haberet ſervientes tibi: pariter remeabamus in Aphricam, & quum apud Oſtia Tyberina eſſemus, Mater defuncta eſt.

CAPVT XV.

Quid reflectendum ſit circa hanc Seriem Converſionis, & quis fructus inde colligendus?

QUod poſtea circa Paulum attendebat Sanctus Doctor Auguſtinus, nimirùm *ſine ullis meritis bonis; imò cum multis meritis malis eum conſecutum eſſe gratiam Dei reddentis bona pro malis*; idipſum circa eundem Auguſtinum & obſervare & reflectere poſſumus S. Aug. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 6.

Primò quidem ſub initium adoleſcentiæ *circumſtrepebat eum undique ſartago flagitioſorum amorum*, & quamvis *fœdus & inhoneſtus, elegans tamen & Vrbanus eſſe geſtiebat abundanti vanitate. Rapiebant eum ſpectacula theatrica, quaſi ungues ſcalpentium, quos fervidus tumor & tabes, & ſanies horrida conſequebatur.* Hinc *auſus fuit* adoleſcens Auguſtinus *in celebritate Solennitatum intra parietes Eccleſiæ concupiſcere, & agere negotium procurandi fructus mortis.*

Quàm multi non ſolummodò Nobilium, ſed & plebeiorum ditiorum Filii (ne quid de filiabus dicam) vix dum pueritiæ annos emenſi, in illam *flagitioſorum amorum ſartaginem* incidunt, & ſub *elegantiæ* ac *urbanitatis*, ſeu civilitatis ementito colore vel prætextu *fœditates* ac *inhoneſtates* palliant, & clanculùm ac ſecretiùs operantur, cum graviſſimo plerumque familiarum dedecore & infamia. Tantùmque abeſt ut parentes aut ii quorum intereſt,

glifcenti

gliſcenti concupiſcentiæ incendio obviam eant, eique invaleſcenti materiem præripere conentur; ut potiùs (quod vel maximè dolendum) eandem ipſam materiem ſubminiſtrent, & prout vulgò dicitur, *igni oleum ſuperaddant*: dum laſcivas picturas parietibus Domeſticis appendunt, dum obſcœnos libros lectitari permittunt, dum ſuos ſuáſve ad *Comœdiarum ſpectacula* dimittunt, vel ab iis non arcent: denique dum negligunt illi ætati ea ſubſtrahere, ex quibus *fervidus tumor*, & *tabes* & *ſanies horrida conſequitur*, teſte Auguſtino ejuſcemodi malis olim obnoxio.

Neque deſunt qui *in celebritate Solemnitatum intra parietes Eccleſiæ concupiſcere audeant, & agere negotium procurandi fructus mortis*: dum in hoc aut illud Templum, ad hoc aut illud Sacrum, ad hanc vel illam concionem pergunt, aut etiam ſibi mutuò condicunt; ut videant & videantur, ut verbis aut oculis aut nutibus colloquantur, ut ament & amentur, ut concupiſcant & concupiſcantur. Unde mirum non eſt, ſi Deus eiuſcemodi ſacrilelegas domus ſuæ profanationes juſtiſſimè vindicans, quandoque *verberet gravibus pœnis* tales impuritatum nundinatores, qui domum Dei (*quæ eſt domus Orationis*) *faciunt ſpeluncam* luxurioſorum.

Secundò *habebat* Auguſtinus *ductum ſuum intuentem fora litigioſa, ut excelleret in eis, hòc laudabilior quò fraudulentior. Et jam maior gaudebat ſuperbè, & tumebat typho: inſtituerat que animum intendere in Scripturas Sacras: ſed non erat talis ut intrare poſſet in rem ipſam, non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam & velatam myſteriis. Non erat ergo talis* (*eo tempore*) Auguſtinus *ut ſuperbam cervicem inclinaret* ad Sacræ Scripturæ *greſſus. Hinc incidit in homines ſuperbè delirantes, in quorum ore laquei Diaboli, & dicebant* Veritas, Veritas; *& nuſquam erat in eis* Veritas.

S. Aug. lib. 1. ad Simpli- Non improbat, multò minùs damnat Sanctus Doctor laudabiliſſimum Iuriſ-Prudentiæ ſtudium: Nam ... ibi in *ipſis legibus humanis terreniſque contractibus, ſupernæ juſtitiæ*

quad..

quadam veſtigia, vel imaginem negotiis hominum de faſtigio ſummæ æquitatis impreſſam agnoſcit: ſine qua in ipſum cubile ac penetrale ſanctiſſimum atque caſtiſſimum Spiritalium præceptorum nunquam ſuſpiceret atque inhiaret noſtræ infirmitatis intentio. Sed in ſemetipſo redarguit Auguſtinus pravam ſuperbamque animi præſumptionem & perverſum finem, quo *excellere* volebat *in foris litigioſis, eò laudabilior quò fraudulentior*, videlicet ad forenſium contentionum funes longiùs ducendos & producendos, ad palliandas iniquitates, ad ſupprimendam vel interpolandam veritatem, ad falſitates adinveniendas, ad mendacia conſuenda, ad obrependum vel ſubrependum Judicibus: denique ad favendum & patrocinandum injuſtitiæ potiùs, quàm juſtitiæ & æquitati; dum nocentes vel potentiores vel ditiores defenduntur: Viduæ autem & pupilli, egenique & puſilli opprimuntur.

Humillimè fatetur Auguſtinus, ſe *ſuperbum & typho tumidum animum intendiſſe in Scripturas Sacras, poſt Rhetorum Scholam.* Is fuit olim Hæreticorum Manichæorum (ut alibi monet ipſemet Sanctiſſimus Doctor) idemque nunc eſt novorum Sectariorum nimirùm *Lutheranorum, Calviniſtarum, Anabaptiſtarum* & aliorum genius, ut non ſolùm *poſt Rhetorum Scholam*; verùm etiam poſt tantillam legendi peritiam, *in Libros Sanctos divinarumque rerum plenos, ſine duce irruant; & de his ſine præceptore audeant ferre ſententiam.*

S. Aug. lib. de utilit. creden. cap. 7.

Adverte & reflecte (*benevole Lector*) ex triplici potiſſimùm genere hominum fuiſſe coacervatam, conflatam & confectam univerſam Hæreticorum Maſſam. Primi generis fuerunt ipſi Hæreſeon Authores, Capita & Duces, ad quos confluxit perditorum, fœdifragorum, apoſtatarum, excucullatorum, ſacrilegorum, reorum & ejuſcemodi purgamentorum Eccleſiæ colluvies. Secundi generis fuerunt qui à talibus Sathanæ inſtrumentis decepti, inducti & ſeducti, ab Eccleſia defecerunt; eique bellum indixerunt & intulerunt eo maximè fine, ut ex ejus ſpo-

liis diteſcerent. Et hi ubi jam nihil ampliùs occupandum vident, faciliori negotio ad ejuſdem Eccleſiæ gremium redirent, ſi reſtitutionis obligatio eis remitteretur ac condonaretur. Quod fortè ſatiùs foret ad reducendas & revendicandas animas, adeóque ad majus bonum ſpiritale, ſpretâ & abjectâ temporalium rerum curâ. Tertii denique generis fuerunt, qui præſumptuosâ quâdam animi libidine in Scripturas Sacras involarunt, & repudiato totius antiquitatis ſenſu ac Eccleſiæ conſenſu, eas ex proprio judicio & privato ſenſu intelligere voluerunt, facti ſibimetipſis & Magiſtri ſimul & diſcipuli. Hi ſunt quos Auguſtinus *ſuperbè delirantes* appellat, & *in quorum ore laqueos Diaboli* eſſe affirmat, *ac viſcum confectum commixtione* verborum Scripturæ: qui dicunt *Verbum Dei, Verbum Dei; Scriptura, Scriptura; Veritas, Veritas;* & nuſquam in eis eſt Verbum Dei, nuſquam Scriptura pura & incorrupta, nuſquam Veritas.

Tertiò agnoſcit Auguſtinus ſe *per tempus* juventutis *ſeductum & ſeductorem fuiſſe;* utpotè qui *ſine Deo, & ſibimetipſi & aliis non eſſet niſi dux in præceps. Planetarios (quos Mathematicos vocant) conſulere non deſiſtebat. Nec ei proderat ingenium per omnes doctrinas agile: imò non ad uſum, ſed ad perniciem magis valebat.*

Perpendant & ſeriò expendant quicumque excellentioribus talentis ſeu donis à Supremo Domino & Diſpenſatore Deo vel dotati vel ditati, ea conterunt deteruntque indigniſſimè: aut quod longè pejus eſt, iis ad aliorum ſeductionem & perniciem abutuntur.

Gallico noſtro idiomate *des faiſeurs d'Horoſcope.*

Videant & advertant quicumque *Planetarios*, Genethliacos, Aſtrologos (ut vocant) judiciarios, reverà autem Divinatores & conjectores, ac interdum Magos adeò curioſè conſulunt, eorumque dictis & reſponſis velut oraculis quibuſdam Fidem adhibent. Audiant Auguſtinum ab illa ſuperſtitiosâ vanitate correctum, dedocentem quod olim malo facto ſuo malè docuerat, & poſteà meliora docentem, dum ait: *Motum ſiderum notare quum quiſque*

quiſque naſcitur; & ex ea notatione velle naſcentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error & magna dementia eſt. Fieri poteſt ut aliqui gemini tam ſequaciter fundantur ex utero, ut intervallum temporis inter eos nullum poſſit apprehendi. Etſi concedam minimam diſtantiam multùm valere; tamen in conſtellationibus à Mathematico inveniri non poteſt. Quare iſtæ quoque opiniones, quibuſdam rerum ſignis humanâ præſumptione inſtitutis, ad quaſi quadam cum Dæmonibus pacta & eventa referendæ ſunt. Hinc fit ut occulto quodam judicio divino, cupidi malarum rerum homines TRADANTVR ILLVDENDI ET DECIPIENDI PRO MERITIS VOLVNTATVM SVARVM. *Omnes igitur artes hujuſmodi, vel nugatoriæ vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtiferâ Societate Hominum & Dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitùs ſunt repudianda & fugienda Chriſtiano,* juxta illud Apoſtoli: Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum *Hoc de omnibus ſignis imaginariis ſentiendum eſt, quæ non ſunt divinitùs ad dilectionem Dei & proximi tanquam publicè conſtituta: ſed per privatas appetitiones rerum temporalium, corda diſſipant miſerorum. In omnibus ergo iſtis doctrinis ſocietas Dæmonum formidanda atque devitanda eſt. Sicut autem de ſtellis, ſic etiam de quibuſdam inſolitis, multi multa humanis ſuperſtitionibus quaſi regulariter conjecta, literis mandaverunt. Quæ omnia tantùm valent, quantùm præſumptione animorum, quaſi communi quâdam linguâ cum Dæmonibus fœderata ſunt, & omnia plena peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſollicitudinis & mortiferæ ſervitutis. Sicut autem omnes ſignificationes humanæ, pro ſuæ cujuſque ſocietatis conſenſione animos movent: nec ideò conſenſerunt in eas homines, quia jam valebant ad ſignificationem; ſed ideò valent quia conſenſerunt in eas: ſic etiam illa ſigna quibus pernitioſa Dæmonum ſocietas comparatur, pro cujuſque obſervationibus valent.*

S. Aug. lib. 2. de Doct. Chriſtia. cap. 21. 22. 23. & 24.

1. Cor. 10

Quartò, *Studioſè* quidem Auguſtinus *audiebat Ambroſium diſputantem in populo;* ſed non audiebat *intentione quâ debebat*, utpotè *rerum incurioſus & contemptor*, ſoliqúe *ſuavitati ſermonis* intentus. Interea *inhiabat honoribus, lucris,*

conjugio, & patiebatur in cupiditatibus illis amariſſimas difficultates. Dum in *eodem luto* ſemper *hæſitaret*, ſuboriebantur boni quandoque motus & bona melioris vitæ propoſita; ſed *alternabant venti* (ut ipſemet ait) *& differebat de die in diem. Putabat ſe miſerum fore nimis, ſi fœmina privaretur amplexibus.*

Unde *multiplicabantur* ipſius peccata: nihilque commotus concubinæ *voto* & *regreſſu in Aphricam*; imò *nec fœminæ imitator* (ut ipſe plangit) *procuravit aliam, quâ tanquam ſuſtentaretur morbus* concupiſcentiæ.

Hic velut in ſpeculo ſemetipſos intueantur, qui conciones non eâ quâ par eſt *intentione audiunt*, nimirùm *incurioſi & contemptores rerum*, ſolamque *ſermonis hilareſcentis atque mulcentis ſuavitatem* captantes. Adeoque, nec mirum videri debet, ſi ex tot tamque frequentibus prædicationibus pauciſſimi proficiant, quandoquidem plurimi & plurimæ (juniores præſertim) non alio animo ad eas accedant, quàm ut inde *folia floreſque*, non autem *fructus* decerpant.

Reflecte etiam (*benevole Lector*) quàm multi ſint inter Chriſtiani nominis profeſſores, qui *lucris honoribuſque inhiant, & patiuntur in cupiditatibus illis amariſſimas difficultates. In eodem ferè ſemper luto hæſitant, alternantibus* modò bonarum inſpirationum motuumque internorum, modò etiam tentationum & paſſionum *ventis. Putant ſe nimis miſeros fore, ſi fœmineis privarentur amplexibus*: & tamen *daret Deus continentiam* (ut agnoſcit Auguſtinus) *ſi gemitu interno pulſarent aures ejus, & fide ſolidâ jactarent in ipſum curam ſuam.*

Placebat (inquit) *via, ipſe Salvator*; *ſed ire per ejus anguſtias adhuc pigebat*: ita multis hodie via illa adhuc placet, placito quodam inefficaci, ſeu ſterili ac inani velleitate; *ſed per ejuſdem viæ anguſtias ire piget*; quia nimirum malunt
Matth. cap. 7. *cum multis ingredi latam portam & ſpacioſam viam quæ ducit ad perditionem*, quàm *cum paucis intrare anguſtam portam & arctam viam quæ ducit ad vitam.*

Inſuper

Digitized by Google

Inſuper reflecte *benignitatem & gratiam Salvatoris noſtri Dei apparuiſſe* in AUGUSTINO, *non ex operibus juſtitiæ quæ fecerat ipſe* (qui etiam gratuitum facinus ſe amaſſe fatetur) *ſed ſecundùm miſericordiam magnam, quâ ſalvus factus eſt de profundis inferi* (ut loquitur ipſemet) & de Manichæiſmi hiatu. Tit. 3.

Ex hactenùs dictis jam ſatis elucet (ut puto) *quibus gradibus deductus ſit Auguſtinus* in illa eadem *inferi profunda*, quæ commemoravit. Nunc autem videndum eſt *quibus* etiam *gradibus* (opitulantis gratiæ beneficio) eductus fuerit, & *quàm fidelis à longè miſericordia circumvolarit ſuper eum*; deinde propiùs accedens, & *fugitivi ſui dorſo imminens*, expanderit alas ſuas, ac tandem mitiſſimè ſub *eaſdem ipſas alas eum congregarit*. Matth. 23.

Hoc imprimis advertendum eſt, quòd *in ipſo lacte Matris nomen Chriſti piè biberat*, & *altè retinebat. Et quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quantumvis literatum & expolitum & veridicum, non totum rapiebat* Auguſtinum. Tanti nimirum refert benè à teneris aſſueſcere; dediſcit enim animus ſerò quod primò didicit, & *quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diù. Magni* ad ſalutem momenti erit, ſi Chriſtianæ Matres ſuaviſſimum JESU Chriſti, ſi dulciſſimum Virginis Mariæ, ſi piiſſima alia ejuſcemodi nomina teneríoribus parvulorum ſuorum auribus inſufflaverint, *ut eliquetur veritas in cor, & ex ea aſtuet affectus pietatis*. Narrant contigiſſe Leodii, ut puer longiuſculè à domo paterna per plateas ludibundus abſcederet: & dum redire vellet, quò & quâ reverteretur, vicorum multiplicitate confuſus non inveniret. Itaque ubertim flere cæpit, quumque ab obviis vel aliis commiſerantibus rogaretur, ut undenam eſſet, quibus ex ædibus, ex qua urbis parte vel platea, ediceret; nihil deſignare valebat. Tandem petiit aliquis: *qui vocatur Pater tuus*? *Dæmon graſſans*, reſpondit parvulus. *Et Mater tua*? *Damnata Venefica*, inquit. At tu quid nominis habes? Ego (ait) vocor *Micro-Dæmon*. Ita nimirùm inter continuas Patris ac Matris rixas, mutuaque

Gallicè *Diable regnant: Damnée Sorciere: Petit Diable.*

que convitia (quibus & ſeſe invicem & parvulum iſtum quotidiè inſectabantur) ejuſdem pavuli aures hiſce peſſimis vocabulis aſſueverant, ut nullo alio nomine vel ſe vel parentes deſignare poſſet, quàm eo quod toties inclamari ac ingeminari inter domeſticos parietes audierat.

Sed ut ad noſtrum revertamur AUGUSTINUM, hoc etiam erat miſerantis gratiæ non contemnendum beneficium, *quòd eum à profundiore peccatorum gurgite, revocaret mortis ac futuri judicii metus, qui per varias opiniones nunquam receſſerat de pectore ejus.* Alioquin *Epicurus palmam accepturus erat in animo ipſius.* Hoc ergo fræno cohibita eſt Auguſtini juventus ne in vitiorum voragines præceps corrueret. Adde conſuetum fuiſſe *pati in cupiditatibus amariſſimas difficultates, Deo* per gratiam ſuam *tantò magis propitio, quantò minùs ſineret ei dulceſcere quod non erat ipſe Deus.*

Rurſus undénam fiebat, ut Auguſtini *pervicaciæ procuraretur amicus, nomine FIRMINUS*, quo dehortante *à ſectandis Mathematicorum fallacibus divinationibus, impia illa deliramenta rejiceret*? Undénam procedebat, *ut ad Ambroſium duceretur neſciens,* quò per eum *ſciens duceretur ad Deum*? Quis *immiſit in mentem* Auguſtini, *ut pergeret ad Simplicianum*? Quis Poticiano ſuggeſſit, ut ea narraret quæ ſupra commemorata ſunt, indeque ille tantopere accenderetur? Reſpondeat ipſemet Auguſtinus pro ſe, & ediſſerat: *Tu*
Lib. 7. Confeſſ. *Domine* (inquit) *foviſti caput neſcientis, clauſiſti oculos meos ne* ampliùs *viderent vanitatem. Conſopita eſt inſania mea, & evigilavi in te. Rapiebar ad te decôre tuo; moxque diripiebar*
Rom. 1. *abs te pondere meo.* Tum vèrò inviſibilia tua, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpexi: *ſed aciem figere non valui, & repercuſſâ infirmitate meâ redditus ſum ſolitis. Non ferebam mecum niſi amantem memoriam, & deſiderantem quaſi olfacta, quæ comedere non poſſem. Quærebam viam comparandi roboris, quod eſſet idoneum ad quærendum te, nec inveniebam donec amplecterer Mediatorem Dei & hominum, CHRISTUM IESUM,*
Ioan. 14. *dicentem,* Ego ſum Via, Veritas & Vita. *Lectis Platonico-*

Digitized by Google

rum libris garriebam quaſi peritus, & niſi in CHRISTO *Salvatore noſtro viam tuam quærerem, non peritus ſed periturus eſſem. Iam enim cæperam velle videri ſapiens: inſuper inflabar ſcientiâ. Vbi enim erat illa ædificans Charitas à fundamento humilitatis, quod eſt* CHRISTUS JESUS ? *Aut quando & quomodò libri Platonici me docerent eam? Itaque avidiſſimè arripui venerabilem ſtylum Spiritus tui; præ cæteris autem Apoſtolum Paulum, & perierunt quæſtiones, & apparuit mihi una facies eloquiorum caſtorum, & exultare cum tremore didici. Aliud eſt de Sylveſtri cacumine videre Patriam pacis, & iter ad eam non invenire, fruſtraque conari per invia, circumobſidentibus ac inſidiantibus fugitivis deſertoribus: Et aliud tenere viam illuc ducentem, curâ Cæleſtis Imperatoris munitam. Hæc mihi inviſcerabantur miris modis, quum minimum Apoſtolorum legerem.* Hæc Auguſtinus, & hi gradus quibus à profundis inferi eductus eſt.

Sed quid inde tandem effectum eſt? Non ſilet infirmus ſanatus, cæcus illuminatus, claudus curatus, leproſus mundatus, mortuus ſuſcitatus. Imò clamat quantùm poteſt: *Diruptiſti Domine vincula mea. Ita me convertiſti ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſæculi hujus; ſtans in ea regula Fidei, in qua me futurum, ante tot annos revelaveras Matri meæ: cujus luctum convertiſti in gaudium multò uberius quàm volebat. De imo altoque ſecreto evocaſti in momento liberum Arbitrium meum, quò ſubderem cervicem leni jugo tuo* CHRISTE IESV. *Suave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum. Ejeciſti enim eas à me, & intraſti pro eis omni voluptate dulcior.*

Reflecte Chriſtiane Lector, & agnoſce triumphum Gratiæ Medicinalis tum in PAULO, tum in AUGUSTINO, quorum utrique *Dominus Deus bonus tribuit operis juſti &* CERTAM SCIENTIAM, *&* VICTRICEM DELECTATIONEM, *ut ambo cognoſcerent non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem quâ illuminatæ ſunt tenebræ eorum, & ſuavitatem quâ dedit fructum ſuum terra eorum.* Adde, *ut ambo vellent, & tantùm vellent, tantoque ardore diligerent, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincerent.* S. Aug. lib. 2. de pecc. merit. c. 29. Lib. de corrept. & grat. cap. 11.

 Si

Lib. 1. ad Simplician. Quæſt. 2.

Si *cauſam* vel operoſiùs rimari, vel profundiùs ſcrutari lubet, ecce idem ipſe occurrit Auguſtinus, & curioſitatem omnē (ne dicam præſumptionem) retundit, quum ait: *Sit hoc fixum atque immobile in mente ſobria, pietate atque ſtabili Fide, quòd nulla eſt iniquitas apud Deum. Atque ita tenaciſſimè firmiſſimèque credatur, idipſum quod* Deus cujus vult, miſeretur; & quem vult, obdurat; *hoc eſt*, cujus vult, miſeretur; & cujus non vult non miſeretur, *eſſe alicujus occultæ atque ab humano modulo inveſtigabilis æquitatis. Quæ & in ipſis rebus humanis terreniſque contractibus animadvertenda eſt; in quibus niſi ſupernæ juſtitiæ quædam impreſſa veſtigia teneremus, nunquam in ipſum cubile ac penetrale ſanctiſſimum atque caſtiſſimum ſpiritalium præceptorum, noſtræ infirmitatis ſuſpiceret atque inhiaret intentio. Quis non videat iniquitatis argui neminem poſſe, qui quod ſibi debetur exegerit; nec eum certè qui quod ei debetur, donare voluerit? Hoc autem non eſt in eorum qui debitores ſunt; ſed in ejus cui debetur, arbitrio. Hæc imago, vel ut ſupra dixi, veſtigium, negotiis hominum de faſtigio ſummæ æquitatis impreſſum eſt. Sunt igitur omnes homines VNA QVÆDAM MASSA PECCATI, ſupplicium debens divinæ ſummæq; juſtitiæ, quod ſive exigatur, ſive donetur, nulla eſt iniquitas. A quibus verò exigendum, & quibus donandum ſit, ſuperbè judicant debitores. Conqueritur autem Deus juſtè de peccatoribus, tanquam de his, quos peccare ipſe non cogit. Illud tantummodò inconcuſſâ fide teneatur, quòd non ſit iniquitas apud Deum: qui ſive donet ſive exigat debitum; nec ille à quo exigit rectè poteſt de iniquitate ejus conqueri: nec ille cui donat, debet de ſuis meritis gloriari.*

S. Aug. l. 1. de ordine Provid. c. 10.

Ne quis autem *paucis donari* arbitretur, *divinum* (inquit) *auxilium latiùs quàm nonnulli opinantur, officium clementiæ ſuæ per univerſos populos agit.*

Lib. 10. Conf.

Denique ſi roges quis fructus colligi poſſit ex his Beati Auguſtini Confeſſionibus? Reſpondet ipſe breviter his verbis: *Quo fructu quæſo* Domine Deus, *etiam hominibus confiteor coram te? An congratulari mihi cupiunt & orare pro me? Indicabo me talibus: reſpirent in bonis meis; ſuſpirent*

in

Digitized by Google

in malis meis. Profecerint ei pericula mea, cui nunc ſervit libe-ratio mea.

CAPVT XVI.

Prima praxis cooperandi errantium Converſioni hæc eſt, ut ipſi pro ſe orent.

COnnexui tibi (*benevole Lector*) longiuſculam cathenam, ex humillimi, ſanctiſſimi ac ſapientiſſimi AUGUSTINI Confeſſionibus. De verbis illius annulos confeci, ut iis prætermiſſis quæ ad aliam ſpectabant materiam, eundem AUGUSTINUM variis erroribus circumſeptum & ſeductum; ſed poſtmodùm auxiliantis & liberantis gratiæ beneficio ſanum ſalvumque, mentis tuæ oculis exhiberem.

Ex his quæ paulò fuſiùs poſita ſunt, nonnulla ad praxim ſalubriter cooperandi errantium converſioni magis accommoda ſeligamus. Et primò quidem occurrit AUGUSTINUS ipſe, exemploque ſuo præit, dum ait: *Reſtabat aliud nihil in tantis periculis meis, quàm ut divinam Providentiam lacrymoſis & miſerabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id ſedulò faciebam.* Quibus verbis quid aliud docet Sanctus Doctor, niſi ſe in illis graviſſimis Manichæiſmi periculis, ad orationis remedium confugiſſe? S. Aug. lib. de utilit. creden. c. 8.

Reverà *habitantibus in regione umbræ mortis, ambulantibus in tenebris, fluctuantibus* ac *vacillantibus ad omnem doctrinæ ventum, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*, adeoque graviſſimè periclitantibus, nihil magis conducit ac expedit, quàm ut olim errabundi Auguſtini exemplo, *divinam Providentiam lacrymoſis & miſerabilibus vocibus, ut opem ferat, ſedulò deprecentur.* Ad hoc enim tenentur & obligantur arctiſſimâ charitatis lege ad ſemetipſos, & qui *odientibus benefacere, pro perſequentibus & calumniantibus orare, miſericordes erga proximos* eſſe ju- Iſai. 9. Epheſ. 4. Matth. 5.

 bentur,

bentur, multò magis ſibi ipſis benefacere, pro ſe orare, & animarum ſuarum miſereri debent.

S. Aug. lib. 3. de lib. Arbit. c. 19. Audiant AUGUSTINUM ſaluberrimè monentem, *rectam* fortaſſis nonnullorum *querelam* fore, *ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: quum verò ubique ſit præſens, qui multis modis aversum vocet, conantem adjuvet,* EXAUDIAT DEPRECANTEM; *non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras, & volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt: nulli enim hominum ablatum eſt ſcire utiliter quærere.* Lib. 1. Retract. c. 15. Alibi autem innuit *voluntatem etiam ſub dominante cupiditate hoc valere, ut ſi fortè pia eſt,* ORET *auxilium.* Fatetur tamen ſub initium Converſionis ſuæ *ſe penè quotidianis fletibus Deum rogaſſe, ut ſanarentur vulnera & miſeriæ ſuæ; ſed indigniorem qui tam citò ſanaretur quàm vellet ſæpè convicisse ſemetipſum.*

Hinc ediſcant errantes, & ad veritatem melioremque frugem convertendi, quid pro ſeipſis exemplo TANTI CONVERSI (quantus eſt Auguſtinus) præſtare debeant: quantùm orare, quantis & quàm quotidianis fletibus Deum rogare ut acceleret adjutorium. Quæſt. 2. ad Simplicianū. *Sed non ſit oratio ipſa tepida, vel potiùs frigida & penè nulla: imò omnino interdum ita nulla, ut neque hoc cum dolore advertatur; quia ſi vel hoc doletur, jam oratur.*

Denique idem Auguſtinus ad hoc ipſum cohortans amicum ſuum *Honoratum*, Manichæorum laqueis adhuc Aug. de util. cred. c. 18. irretitum, eumque commonefaciens, ſic ait: *Deum cujus unius & bonitate facti ſumus, & juſtitiâ pœnas luimus, & clementiâ liberamur,* ORARE NON CESSES. *Ita tibi neque præcepta & diſputationes Doctiſſimorum & verè Chriſtianorum, neque libri, neque ſerenæ ipſæ cogitationes defuerint, quibus facilè quod quæris, invenias. Nam iſtos verboſos & miſeros Manichæos, quid enim mitius dixerim?* Adde novos prætentos Doctores, & verbi non tam divini quàm divinatorii Miniſtros, *penitùs deſere; qui ſæpè auditores erigunt ad credendum: ſed ea docent excitatos, ut vel dormire ſemper ſatius ſit.*

ſit, quàm illo modo evigilare. De lethargicis enim phreneticos faciunt; inter quos morbos quum ſit uterque plerumque mortiferus, hoc tamen intereſt quòd lethargici ſine aliena vexatione moriuntur; Phreneticus autem multis, & iis potiſſimùm qui ſubvenire volunt, metuendus eſt. Hæc Auguſtinus.

CAPVT XVII.

Secunda praxis cooperandi errantium Converſioni in eo ſita eſt, ut alii pro ipſis orent.

QUiſquis Seriem Converſionis Sancti Auguſtini ſupra poſitam attenderit, facilè intelliget piiſſimæ Matris Monicæ orationes continuas pro filio ſuo, lacrymas, jejunia & eleëmoſynas, efficaciſſimam fuiſſe praxim ad cooperandum tanti viri Converſioni, eundemque Eccleſiæ Chriſti pariendum.

His etenim armis prævaluit fortis mulier adversùs inveteratum Filii errorem, & omnium ingeniorum Coriphæum in Fidei obſequium tandem captivavit. Verè parens & dupliciter parens, quæ ſuis obſecrationibus & fletibus, rurſus Chriſto Domino & ejus Eccleſiæ peperit, quem antea ſuis preſſuris & doloribus mundo pepererat. Unde *imminente die reſolutionis ſuæ, Fili (inquiebat) quantùm ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Vnum erat propter quod, aliquantulùm immorari cupiebam; ut te Chriſtianum Catholicum viderem, priuſquam morerer. Cumulatiùs mihi hoc Deus meus præſtitit.* Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 10.

An verò non præſtitiſſet miſericordiſſimus Deus, vel ſprevilſſet *fidele pectus Ancillæ ſuæ, Viduæ caſtæ & ſobriæ, quæ frequentabat eleëmoſynas; quæ obſequebatur & ſerviebat Sanctis; quæ nulla die prætermittebat ablationem ad Altare; quæ ad pretii noſtri Sacramentum ligaverat animam ſuam vinculo Fidei, unde ſciebat diſpenſari victimam ſanctam, quâ deletum eſt Chyrographum, quod erat contrarium nobis: quæ bis in die, manè & veſperè ad Eccleſiam ſine intermiſſione veniebat; quæ* Lib. 3. c. 9 Lib. 9. c. 13. Coloſſ. 2.

Pſal. 50.
Aug. lib. 3. Confeſſ. c. 12.

de ſanguine cordis ſui per lacrymas diebus & noctibus ſacrificabat pro filio, ac multos annos ſleverat, ut oculis Dei viveret, offerebatque preces ut accelraret Deus adjutorium ſuum? Abſit ut hæc deſpiceret ille, qui *cor contritum & humiliatum non deſpicit, & exaudit clamantes ad ſe quotidie.* Hinc quum piiſſima illa Mater apud quemdam Epiſcopum Catholicum urgeret, *ut dignaretur colloqui cum Auguſtino ſuo, & refellere errores illius, & dedocere ipſum mala, ac docere bona. Noluit ille, prudenter ſanè, reſpondit enim eum adhuc eſſe indocilem. Sed ſine* (inquit) *illum, & tantùm roga pro eo Dominum. Et quum illa nollet acquieſcere: ſed inſtaret magis, deprecando & ubertim flendo: Vade* (ait Epiſcopus) *ita vivas, fieri enim non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat. Quod* Monica *ita accepit, ac ſi de Cælo ſonuiſſet.*

Aug. lib. de Nat. & grat. c. 12.
Lib. de corr. & grat.
Iacob. 5.

Saluberrimæ illius praxis, ſalubriter memor Auguſtinus, præſertim circa *Hæreticos ſuperbos* quales erant Pelagiani præ reliquis: *Cum iſtis* (inquit) *non tam diſputationibus, quàm orationibus pro eis agendum eſt.* Et alibi: *adhibenda eſt ex charitate correctio, & pro illis (quibus adhibetur) orandum.* Rectè prorsùs, quid enim frequentiùs & urgentiùs inculcat Scriptura? *Orate pro invicem* (ait Jacobus Apoſtolus) *ut ſalvemini, multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Et ut oſtenderet pro quibus potiſſimùm vellet à Fidelibus orari, illicò ſubdidit; *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Pro his ergo præcipuè orandum monet Apoſtolus, *qui erraverunt à veritate, ut convertantur ab errore viæ ſuæ, & ſerventur animæ eorum à morte.* In eundem finem, quum prædixiſſet S. Judas Apoſtolus in Epiſtola ſua Catholica, *venturos in noviſſimo tempore illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus, qui ſegregant ſemetipſos,* id eſt ſeparant ab unitate Eccleſiæ; demùm alloquens Fideles: *Vos autem chariſſimi* (inquit) *ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ noſtræ Fidei, in Spiritu Sancto ORANTES, vos in dilectione*

Iud. Ep. Cathol.

lectione Dei ſervate. Illos verò ſalvate de igne rapientes. Quaſi diceret, *ad hoc in Spiritu Sancto orate; ut & vos in dilectione Dei ſervemini*; & illi *ſegregati*, *ac ambulantes in impietatibus*, ſalventur per orationes veſtras, *erepti de igne* qui paratus eſt eis, niſi reſipiſcant & convertantur ab illis impietatibus, & à *ſegregatione* in qua perierunt Coré, Dathan & Abiron.

Similiter Paulus Apoſtolus rogat *fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes pro omnibus hominibus*, moxque addit rationem, dum ait: *Hoc enim bonum eſt & acceptum, coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2.

Denique hujuſce praxis orandi, exemplum præclariſſimum præbuit, ipſe *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus IESVS; qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Heb. 5.

Itaque quotquot in Eccleſia Dei à *laborioſis Marthæ ſollicitudinibus*, hoc eſt, ab activæ vitæ moleſtis occupationibus abſtracti, *& optimam Mariæ partem* ſortiti, vel orationis quietem & dulcedinem in Sacerdotum Congregationibus, vel in Monaſteriorum angulis vel alibi deguſtantes, *ponunt os ſpiritale ad fontem vivum, bibuntque quantùm poſſunt pro aviditate ſua fælices*, non ſic *ab ubertate illa inebrientur*, ut proximorum ſuorum obliviſcantur, quos Hæreſis laqueis ſuis irretitos in abyſſum pertrahit. *Preces ergo ſupplicationeſque offerant ad eum, qui poteſt ſalvos facere à morte.* Orent ex intimis præcordiis, ut errantibus lumen veritatis, quo poſſint in viam redire juſtitiæ, oſtendatur. *Et ſi grandi ſunt charitate, pro ipſis fleant ad Patrem omnium Fratrum Chriſti. Quis ſcit ſi fortè donet eos Dominus* jejuniis, lacrymis & orationibus Fidelium ſuorum, quos exaudit pro reverentia, pro affectu, pro miſericordia, ſed potiſſimùm *pro Fide illa quæ impetrat, quod poſtulat.* Aug. lib. 9. Confeſſ. cap. 3. Heb. 5. Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 12.

Multi ſunt etiamnùm, ſicut & Auguſtini temporibus, qui amore vitæ contemplativæ, *videntur res humanas pluſ-* Aug. lib. de mor. Ecc c. 3.

quam

quam oporteret, deſeruiſſe: ſed non intelligimus quantùm eorum
Eccli. 44. *animus in orationibus proſit*. Plurimi ſunt *miſericordiæ viri, quorum pietates non deſunt*, qui ab hominum conſpectu remoti, in humilitate Deo famulantes & pro errantium Converſione ſuſpirantes, æſtuantes, magnaque charitate ſuccenſi,
Pſal. 141. *effundunt in conſpectu Domini orationem ſuam*. Multæ etiam fœminæ, in Fide ſtabiles, in opere efficaces, intra Monaſteriorum ſepta, vel in propriis domibus Deo ſollicitè caſteque ſervientes, hanc eandem Converſionem aſſiduis precibus implorant. Quis neſcit ejuſmodi virorum ac mulierum multitudinem per Eccleſiam diffundi? Nec tamen otioſè, ut nonnullis politicis videtur, quia Moyſis exemplo *levant manus ſuas* ad Dominum
Exod. 17. Deum Iſraël, *dum Ioſué & electi viri egrediuntur contra*
Aug. lib. de vera Relig. c. 6. *Amalec. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns*: quum enim puras manus & oculos levant ad eum, *unde venit auxilium*, tunc *vincit Iſraël*, tunc ſuperat Eccleſia, & prævalet Veritas: tunc *fugatur Amalec*, extirpantur errores ac Hæreſes, *& deletur memoria Amalecitarum ſub Cælo.*

CAPUT XVIII.

Tertia praxis cooperandi errantium Converſioni, in hoc conſiſtit, UT PROCURETUR IPSIS BONUS PRÆCEPTOR Catholicæ Chriſtianitatis.

Ejuſcemodi praxi uſam fuiſſe piiſſimam *Monicam*, B. Auguſtini Matrem, ex ſupra dictis manifeſtum eſt.
S. Aug. lib. 3. Confeſſ. cap. 11. Lib. 6. cap. 1. & 2. Ea enim de cauſa enixiſſimè *Catholicum Epiſcopum rogavit, ut dignaretur cum eodem Auguſtino colloqui, errores ejus refellere, mala dedocere, bona docere*. Eo etiam fine *preces & lacrymas denſiores fundebat, ut filius ad Eccleſiam ſtudioſiùs curreret, & in Ambroſii ora ſuſpenderetur*.

Optimæ Parentis Filius optimus Auguſtinus, quod

Digitized by Google

efficax in ſemetipſo expertus fuerat remedium, aliis etiam adhibuit: more fideliorum Medicorum, qui pharmaca in ſeipſis morbo laborantibus explorata priùs ac probata, tùm demùm aliis ſimili correptis infirmitate longè tutiùs ac ſecuriùs applicant vel præſcribunt. Ita Auguſtinus mortifero Hæreſis veneno olim infectus, quod ſibi noverat profuiſſe alexipharmacum, illud idem jam Dei gratiâ ſanatus ac liberatus, aliis eadem lue periclitantibus propinabat. Unde *Honorato* Manichæorum contagie laboranti ſcribens, *Si quid te* (ait) *vel ratio vel oratio noſtra commovit, & ſi veram, ut credo, tui curam geris, velim me audias: & BONIS PRÆCEPTORIBUS CATHOLICÆ CHRISTIANITATIS TE PIA FIDE, ALACRI SPE, ET SIMPLICI CHARITATE COMMITTAS.* S. Aug. lib. de utilit. creden. ad Honorat.

Vide Lector & attende, ex ſententia Magni Eccleſiæ Magiſtri eſſe errantibus neceſſarium *bonum Præceptorem Catholicæ Chriſtianitatis*, ut convertantur & ſalvi fiant: eſſe neceſſariam *Fidei pietatem*, ut piè credant: eſſe neceſſariam *Spei alacritatem*, ut promptè evigilent: eſſe neceſſariam *charitatis ſimplicitatem* ac humilitatem, ut ſuperbiæ tumorem elidant, & *prava ſint eis in directa, ac aſpera in vias planas.* Iſaiæ 40. Etenim tam neceſſarius eſt errantibus in Fide *bonus Præceptor Catholicæ Chriſtianitatis*, quàm monitor fidelis deviantibus à recta ſemita: nam quò longiùs progreſſi fuerint, eò multipliciùs ac periculoſiùs aberrabunt, & difficiliùs ad verum iter revocabuntur; *quum parvus error in principio, maximus evadat in fine.*

Sic contigit *Luthero*, qui primò circa *Indulgentias* hallucinatus à veritatis norma deflexit, nec ibi ſiſtens, ſed longiùs provectus, ita circa & ultra cæteros Fidei Articulos erroneè pervagatus eſt, ut vix ullus ſit in quo ab avita ſuſceptaque Fide non exciderit. Florim. Remond in lib. de ortu hæreſ.

A *Luthero* Germano Patre progeniti, & ex illius ſchola prodeuntes *Zuinglius* & *Calvinus*, hic *Gallus*, ille *Helvetius*, in longè deteriores Hæreſes; ſed maximè circa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum & Sacrificium proruperunt.

Digitized by Google

ruperunt. Mox è Calvini diſciplina proſiliens *Michaël Servetus Hiſpanus* in impiiſſimos Arii furores tandem præceps abiit. Alii ulteriùs illati, ut *Bernardinus Okinus Italus* & ſimiles, vel ad Mahumetiſmum, vel ad Atheiſmum defecerunt. Elatiores quippe ſunt Hæreſiarcharum diſcipuli, quàm ut Magiſtris ſuis per omnia velint obtemperare. Cupiunt enim & ipſi ſibi *nomen facere in terra*, ac *abducere diſcipulos poſt ſe.* Unde ſtatim à *Luthero* Patriarcha diſſenſerunt & ſeceſſerunt *Carolſtadius, OEcolampadius, Oziander, Zuinglius*, aliique illius Auditores. Rursùs ab his quanta diſceſſio facta fuerit, manifeſtiſſimo indicio ſunt tot diverſæ & adverſæ Sectæ, in varia fruſta diſſectæ, quarum nullus adhuc finis; quandoquidem nova ſemper monſtra progignantur; ut patet in *lymphaticis illis Tremulis* Britannis recens exortis, quos *Quakerios* promiſcuum vulgus appellat.

Adversùs præſentiſſimum illud deviandi à Fide periculum, in quo tot infœlices animæ *perierunt, dum nimis amarent periculum*, novoſque Evangelii novi præcones curioſiùs audirent; planè neceſſarius erat *bonus Præceptor Catholicæ Chriſtianitatis*, ſeu ut ibidem explicat Auguſtinus, *aliquis PIUS ſimul & DOCTUS; cujus & præceptis meliores & doctrinâ peritiores fierent. Quòd ſi facilè non reperiebatur, ſi cum labore veſtigabatur, ſi deerat in terra quam incolebant; quænam causa coëgiſſet utiliùs peregrinari? Quid tale fecerunt* Lutherani, Zuingliani, Calviniani? *Et tamen Religionem ſanctiſſimam, cujus opinio totum jam terrarum orbem occupaverat, miſerrimi pueri pro ſuo arbitrio judicioque condemnarunt.* Aug. lib. de utilit. credendi cap. 7.

Neque tamen eis defuit Providentia Dei, quæ *præſidet rebus humanis, & maximè rebus Religionis.* Summi etenim Pontifices quibus in Petri perſona *commiſſæ ſunt Oves paſcendæ*, ſtatim ac pullulare cæperunt Hæreſes, ad eas reſecandas; imò & evellendas ac extirpandas, pro Paſtoralis officii ſollicitudine, ſarculum admoverunt, *laborarunt, miniſterium ſuum impleverunt, exhortati ſunt in doctrina ſana, arguerunt, obſecrarunt.* Deinde *vaniloquos, inobedientes, ſeductores* Aug. ibid. Ioan. 21. 2. Tim. 4. Tit. 1.

ductores & ſubverſores increparunt. Denique Synodum indixerunt & Tridentinam urbem deſignarunt, ad quam convenirent Seniores, Eccleſiæ Antiſtites & Apoſtolorum Succeſſores. Cumque *collecti eſſent in unum, & magna conquiſitio fieret*, juxta exemplum ab ipſiſmet Apoſtolis præmonſtratum: tandem quid *SPIRITVI SANCTO ET IPSIS VIDERETVR*, apertiſſimè pronuntiatum eſt adversùs eos, *qui ex nobis exeuntes turbaverant & everterant animas.* Act. 15.

Omnes quidem *obedientiæ Filii* acquieverunt, & *gaviſi ſunt ſuper conſolatione illâ*: Sed *Filii Belial converſi ſunt in arcum pravum*, & *ſicut aſpides ſurdæ obturarunt aures ſuas. Noluerunt intelligere, ut benè agerent*: Proindeque in ejuſcemodi refractarios quadrat, quod olim dixit Auguſtinus, nimirùm *in Religione nihil iniquius fieri poſſe, quàm ut Dei Antiſtites hominibus non fictum animum pollicentibus credant: Et homines eis præcipientibus nolint credere; ſed velint circuire quà tutiſſimùm eſt ingredi, ſibique eſſe authores periculi, & cæteris temeritatis exemplum.* S. Aug. lib. de utilit. cred. ad Honorat

Verumtamen quia multi non tam pravitate affectus, quàm illuſione quadam intellectus *errant in agro, & quærunt ubi paſcantur greges Iſraël*, ejuſmodi errantibus ſaluberrimum foret *invenire VIRVM, qui indicaret eis.* Sed hîc oritur rursùs difficillima quæſtio. Si quis enim *Pontificius* (uti vocant Sectarii) bonum præceptorem Catholico-Romanæ Chriſtianitatis, Lutherano cuipiam, vel Zuingliano vel Calviniano procurare velit, hi illicò *exceptiones declinatorias* opponent, & Sectæ ſuæ miniſtros præferent ac eligent; contra quos tamen Pontificii ſeu Catholici ſuas etiam *exceptiones peremptorias*, & quidem longè juſtiori titulo ac potiori jure fundatas accumulabunt. Geneſ. 37.

Quid igitur in hac perplexitate & contentione, imò (ut Auguſtini verbis utar) *in hac immani difficultate* agendum reſtat, niſi ut ex ejuſdem Sancti Magiſtri conſilio, quæratur *PIVS ET DOCTVS SIMVL*, qui *CONSENTIENTIBVS* tam Pontificiis quam eorum Adverſariis, non

Digitized by Google

ſolummodò *dicatur*; verùm etiam *ſit reipſa talis*? Si enim tam his quàm illis *CONSENTIENTIBVS* talis & tantus ſit *Catholicæ Chriſtianitatis præceptor*, ut & *illius præceptis meliores, & doctrinâ peritiores fiant*, omni profectò exceptione major eſt, quiſquis ille eſt: & neutra pars habet, quod legitimè contra illum vel excipiat vel opponat.

Sed quis ille tandem *pius & doctus & bonus Catholicæ Chriſtianitatis Præceptor*, conſentientibus tam Pontificiis quàm eorum Adverſariis, niſi AUGUSTINUS? At mortuus eſt (inquies) adiri nequit, conſuli non poteſt. Imò verò & adiri, & conſuli & audiri poteſt: nam meliore ſui parte in libris & ſcriptis ſuperſtes vivit, loquitur, docet, & tanquam controverſiarum noſtrarum æquiſſimus ac ſinceriſſimus arbiter illic eſt conſulendus. Audiatur ergo dum pronuntiat Fidei dogmata, quæ tunc ab Eccleſiâ (utique moribus & Religione florentiſſimâ) credebantur. Sit *ille pius & doctus ſimul Catholicæ Chriſtianitatis Præceptor*, cujus adhuc viventis ea fuit laus apud Principes Sæculares, *ut in aliis Sacerdotibus toleraretur inſcitia; at quum ad Antiſtitem veniretur Auguſtinum, Legi deeſſet quicquid ab eo contingeret ignorari.*

Voluſian. Epiſt. ad Auguſt.

Quanti Auguſtinum faciant Pontificii, vel à Summo eoque laudatiſſimo Pontifice hodierno, Alexandro VII. edilcant Adverſarii noſtri. Is ſiquidem datis ſeptimâ Auguſti 1660. literis ad Decanum & alios Theologicæ Facultatis Magiſtros & Regentes Lovanii, hortatur eos, *ut præclariſſimi Eccleſiæ Catholicæ Doctoris Auguſtini, inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, ac impensè revereri velint. Cujus profectò* (ait Pontifex) *Sancti viri penes Catholicos univerſos ingens & omnem laudem ſupergreſſurum nomen, novi præconii commendatione planè non eget.*

Alexan. VII. Pontifex.

Quàm etiam debeat idem Auguſtinus ab Adverſariis noſtris æſtimari, inde colligendum eſt, quòd *Philippus Melancthon*, fidiſſimus Lutheri Achates, *Auguſtini doctrinam Eccleſiæ neceſſariam eſſe* pronuntiarit. Sed multò luculentiùs *Calvinus*: hic enim *optimum ex tota antiquitate,* &

Philipp. Melanct. declamat. de S. Aug. ad VVitember.

& fideliſſimum teſtem agnoſcit. Et alibi *VNVM AVGVSTINVM ſufficere poſſe aſſerit. Ex illo igitur ſumant lectores* (ait) *ſi quid de ſenſu Antiquitatis habere certi voluerint.* Fiat planè, fiat. EX UNO Auguſtino *deſumamus ſi quid certi habere voluerimus*, conſentiente Calvino: tunc enim illius (quam nunc profitentur Pontificii) Fidei conſenſus cum *antiquitatis ſenſu* manifeſtiſſimè conſpicietur. Tunc novantium novitas ac novella falſitas, & ab *antiquitatis* ſenſu diſſenſus, meridianâ luce clariùs innoteſcet. Calvin. lib. 3. Inſtit. c. 3. & lib. 4. cap. 14.

CAPVT XIX.

S. Auguſtinus Catholicæ Chriſtianitatis Præceptor optimus.

QUum Sanctus Doctor videret *Iulianum Pelagianum à veritate deſertum, ad maledica eſſe converſum, & inſano convitio turbulentum; introduxit eum ſedandum, non in alicujus Philoſophi auditorium; ſed in pacificum honorandumq; Conventum Sanctorum Patrum, qui in Eccleſia Catholica doctrinæ ſtudiis claruerant. Obſecro te Iuliane* (inquiebat Auguſtinus) *aſpice illos quodammodò aſpicientes te, & manſuetè ac leniter dicentes tibi: Itáne nos Manichæi ſumus? Et te regeneravit Eccleſia, quid ei quæris inferre quod in ea non inveniſti, quando in ejus membra veniſti? Imò quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepiſti?* Hæc Auguſtinus. Auguſt. lib. 1. contr. Iulian.

Eo ferè modo quum cernerem Adverſarios noſtros, potiſſimè tamen Calvini Sectatores, *veritatis inopiâ cauſam relinquere*, & *quæ poſſunt maledicta in Eccleſiam jactare*, eos *introducendos* putavi *non in alicujus Philoſophi Auditorium, ſed in pacificum honorandumque* Beati Auguſtini conſeſſum: ipſe enim *in Eccleſia Catholica*, ſi quis alius, non ſolummodò *doctrinæ*, verùm etiam pietatis *ſtudiis claruit*. Ipſe eſt *quem nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit; ſed tantæ olim fuiſſe ſcientiæ meminit Cæleſtinus, ut inter Magiſtros optimos etiam* ab ejuſdem Cæleſtini *prædeceſſoribus ſemper haberetur.* Aug. cont. liter. Petil. c. 3. Cæleſtin. Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ.

haberetur. Ipſe eſt ex Calvini ſententia, *optimus & fideliſſimus teſtis*: ipſe *VNVS ſufficere poteſt, ut ex illo deſumamus, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi voluerimus*. Itaque ſedeat AUGUSTINUS & doceat ut *Magiſter*, loquatur & fidem faciat ut teſtis *optimus & fideliſſimus*. Nos verò ſepoſitâ partium animoſitate, eâ quâ par eſt attentione ac reverentiâ, illius *Oracula* audiamus, ſuſcipiamus & ſuſpiciamus.

SESSIO I.

De Scripturis Sacris.

ORACULA AUGUSTINIANA De Canone Scripturarum.

S. Aug. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 8.

TOtus Canon Scripturarum his libris continetur, quinque Moÿſis, id eſt, *Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; uno libro Ieſu Nave, uno Iudicum, uno libello qui appellatur Ruth: deinde quatuor Regnorum & duobus Paralippomenon: ſunt Iob, & Tobias, & Eſther, & Iudith, & Machabaeorum libri duo, & Eſdræ duo: deinde Prophetæ, in quibus David liber unus Pſalmorum, & Salomonis tres, Proverbiorum, Canticorum & Eccleſiaſtes. Illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt.*

Reliqui ſunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati ſunt, quorum nomina ſunt hæc, Oſee Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor ſunt Prophetæ maiorum voluminum, Iſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris veteris Teſtamenti terminatur authoritas: novi autem, *quatuor libris Evangelii, ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, ſecundùm Ioannem: quatuordecim Epiſtolis Pauli Apoſtoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes duabus,*

ad Coloſſenſes, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri duabus, tribus Ioannis, unâ Iudæ & unâ Iacobi, Actuum Apoſtolorum libro uno, & Apocalypſis Ioannis libro uno.

De libris poſuimus, quos & Iudæi Canonicos habent; ſed non ſunt omittendi & hi, quos quidem ante Salvatoris adventum conſtat eſſe conſcriptos; ſed eos non receptos à Iudæis, RECIPIT tamen ejuſdem Salvatoris ECCLESIA. In his ſunt duo, SAPIENTIA & ECCLESIASTICVS. S. Aug. libro de Speculo.

LIBER SAPIENTIÆ *meruit in Eccleſia Chriſti de gradu Lectorum, tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis Epiſcopis, uſque ad extremos Laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione divinæ authoritatis audiri. Oportet ut librum iſtum Sapientiæ omnibus Tractatoribus anteponant* (Maſſilienſes) *quoniam ſibi eum antepoſuerunt, etiam temporibus Apoſtolorum proximi, egregii Tractatores, qui eum teſtem adhibentes; nihil ſe adhibere niſi divinum teſtimonium crediderunt.* S. Aug. libro de prædeſt. Sanctorũ capite 14

Sunt & Machabæorum libri, quos non Iudæi, ſed Eccleſia pro CANONICIS habet. S. Aug. lib. 18. de Civit. Dei c. 36.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA libros *Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum* pro *Canonicis* recipit cum Auguſtino; qui etiam *Prophetiam Baruch* ſub *Hieremiæ nomine* comprehendit: quum enim citaſſet illud quod habetur ejuſdem Baruch tertio Capite, *Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus*, ſubdidit Auguſtinus: *hoc teſtimonium quidam non Hieremiæ, ſed Scribæ ejus attribuunt, qui vocabatur BARVCH, ſed Hieremiæ celebratius habetur.* S. Aug. lib. 18. de Civit cap. 33.

Prætenta REFORMATA rejicit præmemoratos libros inter APOCRYPHOS, contra *Auguſtinum, optimum ex tota antiquitate, & fideliſſimum TESTEM.*

ORACULA AUGUSTINIANA
De modo diſcernendi Scripturas Canonicas ab Apocryphis.

S. Aug. libr. 13. contra Fauſtum cap. 9

LIteræ CANONICÆ *ſunt, quas recepit & tenet Eccleſia toto orbe diffuſa, quæ per illas eſt etiam prophetata, & quemadmodùm promiſſa, ſic reddita.*

S. Aug. libro 33. contra Fauſtum cap. 6.

De quo libro certum erit cujus ſit, ſi literæ quas Apoſtolorum dicit & tenet Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tantâ eminentiâ declarata, utrùm Apoſtolorum ſint, incertum eſt? Multi multa de literis Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem authoritate Canonicâ, ſed aliquo adjuvandi ſtudio, ſive diſcendi. Unde conſtat quid cujus ſit; niſi quia iis temporibus quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit atque edidit, & inde in alios atque alios, continuatâ notitiâ latiùſque firmatâ ad poſteros, etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt? Quæ quum ita ſint, quis tandem tanto furore cæcatur, niſi Dæmoniorum mendaciloquorum malitiâ atque fallaciâ ſubverſus ſit, qui dicat hoc mereri non potuiſſe Eccleſiam Apoſtolorum, tam fidam, tam numeroſam Fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent; quum eorum Cathedras uſque ad præſentes Epiſcopos, certiſſimâ ſucceſſione ſervarint?

S. Aug. contra Epiſtol. Fundamenti cap. 5. & 9.

Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas. Scripturam mihi Catholica commendat authoritas. Si Scripturis credendum eſt, cur non his potiùs credam, quæ robuſtiſſimâ authoritate fundatæ ſunt: quæ cum ipſo Evangelio innoteſcere populis, & commendari poſteris, prædicarique meruerunt?

REFLEXIO.

Aug. ſupra.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino eas agnoſcit Scripturas Canonicas, *quas recepit & tenet Eccleſia toto orbe diffuſa.*

Confeſſ. Fidei Reform. artic. 4.

Prætenta REFORMATA profitetur *ſe agnoſcere & diſcernere Libros Canonicos ab aliis, non tam ex communi concordia & conſenſu Eccleſiæ; quàm ex teſtimonio & interiori perſuaſione Spiritus*

Digitized by Google

Spiritus Sancti. Sed quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat, aut in animum inducat, *Spiritus Sancti teſtimonium perſuaſionemque defuiſſe* B. Auguſtino & aliis quadraginta tribus Sanctis Epiſcopis in Concilio Carthaginenſi tertio: *Defuiſſe* tot Patribus tam Græcis quàm Latinis in Synodo Florentina; nunc verò *adeſſe* cuivis Sartori, Sutori, Textori, Aurigæ, Nautæ, & ejuſmodi Calviniano, qui Scripturas lectitare, illaſque ex hoc *privato teſtimonio ac interiori perſuaſione* diſcernere præſumit?

ORACULA AUGUSTINIANA
De Scripturæ Sacræ difficultate & obſcuritate.

M*Vltis & multiplicibus obſcuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui TEMERE' legunt Scripturas, aliud pro alio ſentientes: quibuſdam autem locis quid vel falsò ſuſpicentur, non inveniunt: ita OBSCVRE' quædam dicta denſiſſimam CALIGINEM obducunt. Quod totum proviſum divinitùs eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum, cui facilè veſtigata plerumque vileſcunt.* S. Aug. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 6.

Nullâ imbutus poëticâ diſciplinâ (ô Honorate) *Terentianum Maurum ſine Magiſtro attingere non auderes. Aſper, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poëta poſſit intelligi. Tu in eos libros qui quoquo modo ſe habeant, Sancti tamen, divinarumque rerum pleni, propè totius generis humani confeſſione diffamantur, ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam? Quæreres aliquem pium ſimul & doctum, vel qui talis eſſe multis conſentientibus diceretur, cujus & præceptis melior & doctrinâ peritior fieres. Non facilè reperiebatur,* inquies. *Cum labore veſtigaretur. Deerat in illa terra quam incolebas. Quæ cauſa utiliùs cogeret peregrinari?* S. Aug. libro de Vtilitate credendi ad Honorat. c. 7.

Omnes Hæretici qui Scripturas in authoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, quum ſuos potiùs ſectentur errores: ac per hoc non quòd eas contemnant; ſed quòd eas non intelligunt, Hæretici ſunt. Neque enim *natæ ſunt Hæreſes, & quædam dogmata* S. Aug. epiſtol. 222. ad Conſent.

S. Aug. *dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in profundum*
Tract. *præcipitantia, niſi dum Scripturæ BONÆ intelliguntur NON*
18 in BENE; *& quod in eis NON BENE intelligitur, etiam TE-*
Evang. *MERE & AUDACTER aſſeritur.*
Ioan.

REFLEXIO.

2. Pet. 3. *Eccleſia ROMANA* cum Beato Petro agnoſcit in Scripturis *eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant ad ſuam ipſorum perditionem.* Agnoſcit cum Pau-
1. Cor. 12 lo *diviſiones gratiarum diviſiones miniſtrationum* & *diviſiones operationum: alii quidem dari ſermonem Sapientiæ; alii ſermonem Scientiæ; alii Prophetiam; alii genera linguarum; alii interpretationem Sermonum.* Agnoſcit cum Auguſtino in
Aug. ſupra. Scripturis *obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducere; non eſſe temerè legendum, nec ſine duce irruendum, nec ſine præceptore ferendam ſententiam.*

Prætenſa REFORMATA ſuis omnibus promiſcuè ac paſſim ſine ullo delectu ingerit Biblia vernacula, velut *intellectu facillima.* Hinc inter Calvinianos quotquot legere norunt, lectores ſunt, & *omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Doctores, omnes Interpretes:* etiam artifices & opifices, imò deliræ anus & garrulæ mulieres, contra Apoſtolorum monita & Auguſtini ſaluberrimam veriſſimamque ſententiam. Et hinc tanta Sectarum errorumque multiplicitas & diverſitas.

SESSIO II.

De Traditionibus.

ORACULA AUGUSTINIANA.

S. Aug. lib. 5. de Baptiſ. cap. 26. QUòd nos admonet (Cyprianus) *ut ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam TRADITIONEM; & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt & ſine dubitatione faciendum.*

Saluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, quam credo

ex

Digitized by Google

ex Apoſtolica TRADITIONE *venientem: ſicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſterorum; & tamen quia cuſtodiuntur per Vniverſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis* TRADITA *& commendata* CREDVNTVR. Ibidem lib. 3. cap. 7.

Conſuetudo quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum TRADITIONE *exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa quæ univerſa tenet Eccleſia; & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Ibid. lib. 1. cap. 23.

Conſuetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda; nec omninò CREDENDA, *niſi Apoſtolica eſſet* TRADITIO. S. Aug. de Geneſ. ad lit. lib. 10. c. 23.

Illa quæ non ſcripta, ſed TRADITA *cuſtodimus, quæquidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quòd Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cælum, & Adventus Spiritus Sancti de Cælo, anniverſaria ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſa quacumque ſe diffundit Eccleſia.* S. Aug. epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 1.

Liquidò apparet quando primùm acceperunt diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt Vniverſæ Eccleſiæ, quòd à jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per Vniverſum Orbem mos iſte ſervatur. Neque quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati Fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent: aut (ſi ut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat) menſis ſuis iſtud miſcere. Namque Salvator quò vehementiùs commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur; ut Apoſtolis (per quos Eccleſias diſpoſiturus erat) ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variaſſet. Quum verò ait Apoſtolus de hoc Sacramento loquens; Ibidem cap. 6.

Digitized by Google

quens: propter quod Fratres, cum convenitis ad manducandum invicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis: *Statim ſubtexuit*, cætera autem quum venero, ordinabo. *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quòd nulla morum diverſitate variaretur.*

1. Cor. 11.

S. Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 1.

In Machabaeorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omninò legeretur; non tamen parva eſt univerſa Eccleſia, quæ in hac CONSUETUDINE claret authoritas; ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.

REFLEXIO.

2. Theſſ. 2.

Aug. ſupra.

Eccleſia ROMANA edocta ab Apoſtolo, *ſtat & tenet* TRADITIONES, *quas didicit, ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam.* Monita ab Auguſtiſſimo Doctore ſuo Auguſtino, *ad fontem recurrit, id eſt, ad Apoſtolicam Traditionem, & inde canalem dirigit.*

Prætenta REFORMATA TRADITIONES *ore verboq;* improbans ac repudians; *facto ipſo* probat, amplectitur, ſequitur: dum *Scripturam Sacram admittit*: dum *parvulos baptizat*: dum *pro Sabbatho Iudäico diem Dominicum, & feſta Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes* ac alia ejuſcemodi obſervat, quæ non niſi TRADITIONE nituntur.

SESSIO III.

De Eccleſia.

ORACULA AUGUSTINIANA
De Eccleſiæ indefectibilitate.

S. Aug. Pſal. cōt. partem Donati.

S*Citis Catholica quid ſit? Ipſa eſt Petra quam non vincunt ſuperbæ infernorum portæ.*

Forte?

Digitized by Google

Fortè iſta Civitas quæ mundum tenuit, aliquando everte-tur? Abſit. Deus fundavit eam in æternum. *Si ergo eam* Deus fundavit in æternum, *quid times ne cadat firmamen-tum?* In Pſal. 47.

Exiſtunt qui dicant, illa Eccleſia quæ fuit omnium gentium jam non eſt: periit. Hoc dicunt qui in illa non ſunt. O impu-dentem vocem! Illa non eſt, quia tu in ea non es? Vide ne tu ideo non ſis; nam illa erit etſi tu non ſis. Hanc vocem abomina-bilem & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale con-ditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernitioſam prævidit Spiritus Dei. Quoniam quidam dicturi erant contra, FVIT & NON EST: exiguitatem (*inquit* Eccleſia) dierum meo-rum annuntia mihi. *Quid eſt quod neſcio qui, recedentes à me, murmurant contra me? Quid eſt quod perditi me periiſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia FVI & NON SVM:* annuntia mihi exiguitatem dierum meorum. *Non à te quæ-ro dies illos æternos. Illi ſine fine ſunt, ubi ero: Non ipſos quæro. Temporales quæro: temporales dies mihi annuntia.* Exiguita-tem dierum meorum, *non æternitatem dierum meorum* an-nuntia mihi, *propter illos qui dicunt, FVIT & jam NON EST: propter illos qui dicunt, impletæ ſunt Scripturæ, credide-runt omnes gentes, ſed APOSTATAVIT ET PERIIT ECCLE-SIA de omnibus gentibus. Quid eſt hoc*, exiguitatem die-rum meorum annuntia mihi? *Et annuntiavit, nec vacua fuit vox iſta. Quis annuntiavit niſi ipſa vita? Quomodò an-nuntiavit?* Ecce ego vobiſcum ſum, uſque ad conſum-mationem ſæculi. In Pſal. 101. Matth. 28.

Firmavit terram, *intelligo Eccleſiam. Quæ eſt firmitas ejus ſuper quam fundata eſt, niſi fundamentum ejus? An incongruè intelligimus firmitatem ſuper quam fundata eſt terra, funda-mentum ubi conſtituta eſt Eccleſia? Quid eſt illud fundamentum?* Fundamentum (*inquit*) nemo poteſt ponere, præterquam quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTUS JESUS. *Ibi ergo firmati ſumus. Meritò quia ibi firmati,* non inclinabi-mur in ſæculum ſæculi; *nihil enim firmius iſto fundamento.* S. Aug. in Pſalm. 103. Concion. 1. 1. Cor. 3.

Infirmus

Infirmus tu eras, ſed firmum fundamentum te portat. In te firmus eſſe non poteras, firmus eris ſemper, ſi ab illo firmo fundamento non recedas. Non inclinabitur in ſæculum ſæculi.

1. Tim. 3. *Ipſa eſt prædeſtinata* Columna & Firmamentum Veritatis.

S. Aug. lib. 20. de Civit. cap. 8. Apocal. 20.

Erit Eccleſia illo tempore etiam quo ſolvendus eſt Diabolus, ſicut ex quo eſt inſtituta, hic fuit & erit omni tempore: in ſuis utique qui ſuccedunt naſcendo morientibus. Nam paulò poſt dicit, quòd ſolutus Diabolus ſeductas gentes attrahet in bellum adversùs eam. *Quod nunc propterea commemorandum putavi, ne quis exiſtimet eo ipſo parvo tempore quo ſolvetur Diabolus, in hac terra Eccleſiam non futuram. Non itaque per totum hoc tempus ita Diabolus alligatur, ut ejus hæc ipſa ſit alligatio,* NON SEDVCERE ECCLESIAM; *quandoquidem illam nec ſolutus utique ſeducturus eſt. Nam profectò ſi ei* ALLIGARI, *eſt non poſſe* SEDVCERE, *ſeu non permitti; quid erit* SOLVI, *niſi poſſe* SEDVCERE *ſeu permitti? Quod abſit ut fiat: ſed alligatio Diaboli eſt non permitti exercere totam tentationem quam poteſt, vel vi vel dolo ad ſeducendos homines. Tunc autem ſolvetur, quando & breve tempus erit. In eorum ſanè qui tunc futuri ſunt Sanctorum atque Fidelium comparatione, quid ſumus: quandoquidem ad illos probandos tantus ſolvetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus? Credendum eſt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam, illo tempore defuturos.*

S. Aug. lib. 3. cont. lit. Petil. cap. 7.

Sæpè dixi, & vehementer inculco, qualeſcumque nos ſimus, SECVRI *eſtis, qui Deum Patrem & ejus Eccleſiam Matrem habetis.*

Ibid. cap. 11.

Mihi ſat eſt ad rem quam nunc ago, quòd qualiſcumque in eaſim; tamen Eccleſia pro qua loquor, invicta eſt.

Lib. 1. cap. 26.

Hæreditas Chriſti in omnibus gentibus conſtituta, adversùs omnes exhæredatas Hæreſes tuta eſt.

Epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 19.

Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat: & tamen quæ ſunt CONTRA FIDEM VEL BONAM VITAM, *nec approbat, nec tacet, nec facit.*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA credit Chriſto dicenti: *Super hanc*

Petram

Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Credit eidem affirmanti: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Credit Apoſtolo aſſerenti *Eccleſiam Dei vivi eſſe columnam & firmamentum veritatis.* Adhæret Auguſtino docenti *Eccleſiam non apoſtataſſe, non periiſſe, non fore evertendam nec ſeducendam, illo etiam tempore quo ſolvetur Diabolus: invictam eſſe, tutam eſſe, ſecuros eſſe qui eam habent Matrem, quum nec approbet, nec taceat, nec faciat, quæ ſunt contra Fidem vel bonam vitam.*

Matt.16. Matt.28 1.Tim.3. Aug. ſupra.

Prætenta REFORMATA Sectatoribus ſuis credendum proponit, *oportuiſſe quandoque, imò tempore* (nimirùm Lutheri, Zuinglii, Calvini & aliorum) *quo Eccleſiæ ſtatus erat interruptus, ut Deus aliquos extraordinario modo ſuſcitaret, ad erigendam de novo Eccleſiam, quæ jacebat in ruina & deſolatione.*

Confeſſ. Fidei Reform. art. 31.

Addit à *Diabolo diſſipatam fuiſſe Eccleſiam, editam horrendam ſtragem, ipſamque Eccleſiam EX TOTO fuiſſe CORRVPTAM.*

Præfat. Catech. Reform. anno 1631. Amſtelodam.

Hinc *Ioannes Hamerſtedius* ejuſdem prætentæ Reformatæ Miniſter Trajecti, publicè aſſeruit *hoc eſſe doctrinæ Reformatæ Caput, hanc Hypotheſin ad demonſtrationem Antichriſti, hoc fundamentum ſui è nobis exitus.*

Ioannes Hamerſted. libello contra Patrem d'Aſtroy edito.

Vide Lector, & perpende, quibus ſit potiùs credendum, utrùm Chriſto Domino, Paulo Apoſtolo, & Auguſtino *quem Illuſtriſſimum Doctorum quinta Synodus conſecravit*; an verò Calvino novo Reformationis novæ Architecto, & Hamerſtedio novello juvenculoque Miniſtro? Quorum vox (teſte Auguſtino ſupra laudato) *abominabilis & deteſtabilis eſt, præſumptionis & falſitatis plena, nulla veritate ſuffulta, nullâ ſapientiâ illuminata, nullo ſale condita, vana, temeraria, præceps, pernitioſa.*

ORACULA

Digitized by Google

Infirmus tu eras, ſed firmum fundamentum te portat. In te firmus eſſe non poteras, firmus eris ſemper, ſi ab illo firmo fundamento non recedas. Non inclinabitur in ſæculum ſæculi.

1. Tim. 3. *Ipſa eſt prædeſtinata* Columna & Firmamentum Veritatis.

S. Aug. lib. 20. de Civit. cap. 8. Apocal. 20.

Erit Eccleſia illo tempore etiam quo ſolvendus eſt Diabolus, ſicut ex quo eſt inſtituta, hîc fuit & erit omni tempore: in ſuis utique qui ſuccedunt naſcendo morientibus. Nam paulò poſt dicit, quòd ſolutus Diabolus ſeductas gentes attrahet in bellum adversùs eam. *Quod nunc propterea commemorandum putavi, ne quis exiſtimet eo ipſo parvo tempore quo ſolvetur Diabolus, in hac terra Eccleſiam non futuram. Non itaque per totum hoc tempus ita Diabolus alligatur, ut ejus hæc ipſa ſit alligatio,* NON SEDUCERE ECCLESIAM; *quandoquidem illam nec ſolutus utique ſeducturus eſt. Nam profectò ſi ei* ALLIGARI, *eſt non poſſe* SEDUCERE, *ſeu non permitti; quid erit* SOLVI, *niſi poſſe* SEDUCERE *ſeu permitti? Quod abſit ut fiat: ſed alligatio Diaboli eſt non permitti exercere totam tentationem quam poteſt, vel vi vel dolo ad ſeducendos homines. Tunc autem ſolvetur, quando & breve tempus erit. In eorum ſanè qui tunc futuri ſunt Sanctorum atque Fidelium comparatione, quid ſumus: quandoquidem ad illos probandos tantus ſolvetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus? Credendum eſt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam, illo tempore defuturos.*

S. Aug. lib. 3. cont. lit. Petil. cap. 7.

Sæpè dixi, & vehementer inculco, qualeſcumque nos ſimus, SECURI *eſtis, qui Deum Patrem & ejus Eccleſiam Matrem habetis.*

Ibid. cap. 11.

Mihi ſat eſt ad rem quam nunc ago, quòd qualiſcumque in ea ſim; tamen Eccleſia pro qua loquor, invicta eſt.

Lib. 1. cap. 26.

Hæreditas Chriſti in omnibus gentibus conſtituta, adversùs omnes exhæredatas Hæreſes tuta eſt.

Epiſt. 118 ad Ianuar. cap. 19.

Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat: & tamen quæ ſunt CONTRA FIDEM VEL BONAM VITAM, *nec approbat, nec tacet, nec facit.*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA credit Chriſto dicenti: *Super hanc*

Petram

Digitized by Google

Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Credit eidem affirmanti : *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Credit Apoſtolo aſſerenti *Eccleſiam Dei vivi eſſe columnam & firmamentum veritatis.* Adhæret Auguſtino docenti *Eccleſiam non apoſtataſſe; non periiſſe, non fore evertendam nec ſeducendam, illo etiam tempore quo ſolvetur Diabolus : invictam eſſe, tutam eſſe, ſecuros eſſe qui eam habent Matrem, quum nec approbet, nec taceat, nec faciat, quæ ſunt contra Fidem vel bonam vitam.*

Matt. 16. Matt. 28. 1. Tim. 3. Aug. ſupra.

Prætenta REFORMATA Sectatoribus ſuis credendum proponit, *oportuiſſe quandoque, imò tempore* (nimirùm Lutheri, Zuinglii, Calvini & aliorum) *quo Eccleſiæ ſtatus erat interruptus, ut Deus aliquos extraordinario modo ſuſcitaret, ad erigendam de novo Eccleſiam, quæ jacebat in ruina & deſolatione.*

Confeſſ. Fidei Reform. art. 31.

Addit à *Diabolo diſſipatam fuiſſe Eccleſiam, editam horrendam ſtragem, ipſamque Eccleſiam EX TOTO fuiſſe CORRUPTAM.*

Præfat. Catech. Reform. anno 1631. Amſtelodam.

Hinc *Ioannes Hamerſtedius* ejuſdem prætentæ Reformatæ Miniſter Trajecti, publicè aſſeruit *hoc eſſe doctrinæ Reformatæ Caput, hanc Hypotheſin ad demonſtrationem Antichriſti, hoc fundamentum ſui è nobis exitus.*

Ioannes Hamerſted. libello contra Patrem d'Aſtroy edito.

Vide Lector, & perpende, quibus ſit potiùs credendum, utrùm Chriſto Domino, Paulo Apoſtolo, & Auguſtino *quem Illuſtriſſimum Doctorum quinta Synodus conſecravit*; an verò Calvino novo Reformationis novæ Architecto, & Hamerſtedio novello juvenculoque Miniſtro? Quorum vox (teſte Auguſtino ſupra laudato) *abominabilis & deteſtabilis eſt, præſumptionis & falſitatis plena, nulla veritate ſuffulta, nullâ ſapientiâ illuminata, nullo ſale condita, vana, temeraria, præceps, pernitioſa.*

ORACULA

Digitized by Google

ORACULA AUGUSTINIANA
De Eccleſiæ viſibilitate.

In Pſal. 47. H*Æc eſt Civitas* (Eccleſia) *in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt. Hæc eſt lucerna quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata.* Dilatans exultationes univerſæ terræ, montes Sion. *Sion unus mons eſt. Quid ergo montes? An quia ad Sion pertinuerunt etiam qui de diverſo venerunt, ut ſibi concurrerent in lapidem angularem, & fierent illi duo parietes tanquam duo montes: unus ex circumciſione, alter ex præputio: unus ex Iudæis, alter ex gentibus; non jam adverſi & diverſi; quia ex diverſo, jam in angulo, nec diverſi?*

Eph. 2. Ipſe eſt enim (*inquit*) pax noſtra, qui fecit utraque unum.

Pſ. 117. *Ipſe ille* angularis lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus eſt in caput anguli. *Duos junxit in ſe mons montes. Vna Domus & duæ Domus: Duæ propter ex diverſo venientes; Vna propter lapidem angularem, in quo ſibi ambæ copulantur.*

S. Aug. lib. 2. cont. Liter. Petil. cap. 104. *Non eſtis in montibus Sion* (ô *Donatiſtæ*, Lutherani, Calviniſtæ) *quia non eſtis in Civitate ſuper montem conſtituta, quæ CERTVM SIGNVM hoc habet, quòd ABSCONDI NON POTEST. Nota eſt omnibus gentibus: pars autem Donati* (Calvini & aliorum) *ignota eſt pluribus gentibus; non eſt ergo ipſa.*

S. Aug. in Pſalm. 147. *Chriſtus ſurgens à mortuis oſtendit ſe Diſcipulis ſuis. Ipſe Sponſus, Eccleſia Sponſa. Ecce Sponſus qui dicebatur mortuus, abſumptus, finitus, ecce integer reſurrexit: ecce oſtenditur oculis diſcipulorum: ecce præbetur contrectantibus manibus: ecce tetigerunt cicatrices. Exhibuit ſe oculis eorum videndum, manibus contrectandum. Putabant Spiritum eſſe. Exhortatur eos, confirmat in Fide:* Palpate & videte, quia Spiritus carnem &

Luc. 24. oſſa non habet, ſicut me videtis habere. *Et quum adhuc præ gaudio trepidarent*, habetis hîc (*ait*) quod manducetur? *Accepit, benedixit, manducavit, & dedit eis. Expreſſa eſt veritas corporis, ablata eſt omnis ſuſpicio falſitatis. Audierunt quod ait Dominus:* Non ſciebatis quia oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moiſis & Prophetis & Pſalmis de me.

Tunc

Digitized by Google

Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. *Et dixit eis*, Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & à mortuis reſurgere tertia die. *Habes jam Sponſum Eccleſiæ, & non hinc tacuit Moïſes, non hinc tacuerunt Prophetæ. Deſcriptus eſt nobis Sponſus, ut non erremus. Sed neſcio qui exiſtunt, & quia non erramus in Sponſo, ipſi videntur ea quæ & nos, credere de Sponſo. Vt à membris Sponſi nos avocent, dicunt nobis: ipſe eſt quidem Sponſus quem creditis,* quem & nos *credimus: ſed* SPONSA NON EST IPSA ECCLESIA *quam tenetis. Et quæ illa eſt?* PARS DONATI (Pars Lutheri, Pars Zuinglii, Pars Calvini. *Et hoc Tu dicis, an Sponſus? Tu dicis, an Deus per Moïſen? Ecce Eccleſiam teneo: dictum eſt à Moïſe:* In ſemine tuo benedicentur OMNES GENTES. Gen. 22. *Eccleſiam teneo: dictum eſt per Prophetam*, Commemorabuntur & convertentur ad Dominum UNIVERSI FINES TERRÆ. Pſal. 21. *Ecce jam teneo teſtimonium Legis, & teſtimonium Prophetarum, audiamus & eum qui ſurrexit à mortuis. Oſtendit ſe Sponſum, tenemus eum. O Domine, video jam Sponſum; dic mihi de Eccleſia aliquid, quia de Sponſo ejus non dubito. Audi & de Eccleſia, dicit* prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. *Nihil verius quàm prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Sed hoc ubi?* Alii enim dicunt, ecce hìc, alii ecce illic. *Et quid ipſe?* Nolite credere, exurgent Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & dicent, ecce hìc, ecce illic. *Non enim de ipſo Capite dicunt, Ecce hìc & ecce illic; ſed de Eccleſia, ubi Chriſtus eſt, qui ait:* Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Matth. 28. *Sed ait Dominus*, Nolite credere, qui dicit Ecce hìc, ecce illic, PARTES oſtendit, ego TOTUM emi. *Dicat mihi Evangelium. Dic hoc ipſe ex Evangelio, qui jam ſurrexiſti à mortuis. Dic mihi hoc tu. Audio.* Oportebat Chriſtum pati & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem; Luc. 24. *Quid eſt Hæretice? Certè quum recitarem Moïſen, quum recitarem Prophetas, diſtuliſti ad eum qui reſurrecturus erat à mortuis.*

Ecce

Ecce reſurrexit, Ecce dixit : Tam nullam habet dubitationem Eccleſia Chriſti & Vxor Chriſti, quàm nullam dubitationem habet Corpus Chriſti, demonſtratum oculis, contrectatum manibus diſcipulorum. *Ecce qui reſurrexit à mortuis, utrumque oſtendit. Oſtendit Caput, oſtendit Membra, oſtendit Sponſum, oſtendit Sponſam. Si vellem illud ego dicere jam luctans adversùs Hæreticos, jam pugnans, jam habens cum illis conflictum tantæ quæſtionis, non illud dicerem ſic contra præſentes Hæreticos, quomodò illud dixit ille contra futuros. Quid vis amplius ? Remiſſio peccatorum in Chriſti nomine prædicatur. Vbi prædicatur ?* PER OMNES GENTES. *Vnde ? Incipiens ab Hieruſalem. Communica huic Eccleſiæ. Quare litigamus ?*

Pſal. 18. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines or-
S. Aug. bis terræ verba eorum. *Hinc fit ut Eccleſia vera neminem la-*
l. 2. cont. *teat. Vnde eſt illud quod in Evangelio ipſe dicit :* Non poteſt
lit. Petil. Civitas abſcondi ſuper montem poſita. *Ideoque in eodem*
Cap. 32. *Pſalmo connectitur,* In Sole poſuit tabernaculum, *id eſt, in*
Mat. 5. *manifeſtatione.*

S. Aug. In Sole poſuit tabernaculum ſuum, *id eſt, in manifeſto.*
Tract. 2. *Tabernaculum ejus, Caro ejus. Tabernaculum ejus, Eccleſia ejus*
in Epiſt. in Sole poſita; *non in nocte, ſed in die. Quid amplius dicturus*
Ioan. *ſum quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident : qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt.*

Ibidem *Quando volunt homines videre Lunam novam, dicunt,*
Tract. 1. *Ecce Luna, ecce ibi eſt. Et ſi ſunt ibi qui non valeant intendere aciem, & dicant, Vbi eſt ? Intenditur illis digitus ut videant. Nunquid ſic oſtendimus Eccleſiam Fratres mei ? Nonne aperta eſt ? Nónne obtinuit omnes gentes ? Nónne impletur quod ante*
Gen. 2. *tot annos promiſſum eſt Abrahæ :* In SEMINE ejus benedici OMNES GENTES : *Vni Fideli promiſſum eſt, in millibus*
Dan. 2. *Fidelium mundus impletus eſt.* Ecce MONS implens uni-
Matth. 5 verſam faciem terræ. *Ecce Civitas de qua dictum eſt,* non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem conſtituta. *Illi autem*

Hæretici,

Hæretici, *offendunt in montem. Et quum eis dicitur, Aſcendite: non eſt mons dicunt, & faciliùs illuc faciem impingunt, quàm illic habitaculum quærunt.*

Habetis Eccleſiam UBIQUE *diffundi & creſcere uſque ad meſſem. Habetis Civitatem, de qua ipſe qui eam condidit, ait:* Non poteſt Civitas abſcondi ſuper montem conſtituta. *Ipſa eſt ergo quæ non in aliqua* PARTE *terrarum, ſed* UBIQUE NOTISSIMA *eſt.* S. Aug. de unitat. Eccleſiæ cap. 20.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA edocta à Chriſto Domino, viſibilem agnoſcit Eccleſiam; non enim fruſtra dictum eſt in Evangelio: *Si peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos. Quòd ſi non audierit eos,* DIC ECCLESIÆ. Matt. 18. Quomodo adiri poterit Eccleſia, eique aliquid de Fratre dici, niſi viſibilis ſit? Deinde cum Auguſtino fatetur eſſe *Civitatem ſuper monte conſtitutam, quæ abſcondi non poteſt: eſſe lucernam quæ ſub modio non occultatur: & tam nullam habere dubitationem, quàm nullam habet Corpus Chriſti demonſtratum oculis, & contrectatum manibus diſcipulorum.* Aug. ſupra.

Prætenta REFORMATA non ſibi conſtat, utpote ædificata in arena. Nam in Præfatione ad Catechiſmum à Joanne Cloppenburgio Amſtelodami anno 1631. editum, & in Confeſſione prætentæ Fidei Reformatæ, Articulo trigeſimo-primo, terminis expreſſis aſſerit *Eccleſiam fuiſſe à Diabolo diſſipatam, ex toto corruptam, & de novo fuiſſe erigendam.* Poſtmodùm mutatâ ſententiâ perſeveraſſe quidem affirmat, ſed *in Babyloniæ compitis abditam ac deliteſcentem, & in foraminibus petræ ac caverna maceriæ occultatam.* Ita Joannes Hamerſtedius Miniſter in libello Trajecti edito 1662. Quis OEdipus hæc ænigmata ſolvet, aut implicitos contradictionum Mæandros explicabit?

Digitized by Google

ORACULA AUGUSTINIANA
De malorum cum bonis, & reproborum cum electis permixtione in una eademque Eccleſia.

S. Aug. Tract.6. in Evãg. Ioan. *Fatemur in Eccleſia Catholica & bonos & malos eſſe, ſed tanquam grana & paleas. Aliquando qui baptizatur à grano palea eſt, & qui baptizatur à palea granum eſt.*

S. Aug. in Pſal. 47. *Populus Dei cenſentur omnes qui portant Sacramenta ejus, ſed non omnes pertinent ad miſericordiam ejus.*

S. Aug. cont. ep. Parmen. lib. 2. cap. 7. *Dicant quid Sancto ſecundùm ſalutem ſpiritualem obfuerit, vel in Sacerdotibus vel inter populum conſtituto, malus aut maculatus Sacerdos? Vbi erat Moyſes & Aaron, ibi murmuratores ſacrilegi quos Deus à facie ſua ſemper perdere minabatur. Vbi erat Caiphas & cæteri tales, ibi Zacharias ibi Simeon & cæteri boni. Vbi Saul, ibi David. Vbi Hieremias, ubi Iſaias, ubi Daniel, ubi Ezechiel, ibi Sacerdotes mali & populi mali: ſed ſarcinam ſuam unuſquiſque portabat.*

S. Aug. de unitat. Ecclef. c.13. *Habemus innumerabilia teſtimonia de* COMMIXTIONE MALORUM CUM BONIS *in eadem* COMMUNIONE SACRAMENTI: *ſicut Iudas ab initio malus inter bonos undecim converſatus eſt. Ex quibus (ne longum faciam) pauca commemorabo. Eſt in Canticis Canticorum quod de Sancta Eccleſia dictum omnis Chriſtianus agnoſcit:* Cantic. 2. ſicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. *Vnde appellat* Spinas, *niſi propter malignitatem morum? Et eaſdem unde* Filias, *niſi propter communionem Sacramentorum? Vidit etiam Ezechiel* ſignatos quoſdam, *ne cum malis interirent, de quibus ei dicitur:* qui Ezechiel 9. gemunt & mœrent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum. *Populum ſuum non diceret quem ſolis illis illæſis perire mox jubet, niſi eum* populum *qui ejus Sacramenta geſtabat. Dicit & Dominus de ſuper-ſeminatis zizaniis:* Matth. 13. *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, id eſt triticum & zizania. Et ipſe interpretatur* meſſem eſſe finem ſæculi. *Eſt alia ſimilitudo apertiſſima de* COMMIXTIONE MALORUM ET

Digitized by Google

BONORUM *intra eandem* SACRAMENTORUM COMMUNIONEM ET CONNEXIONEM, *quam Dominus ipſe ponit & exponit:* ſimile eſt (*inquit*) Regnum Cælorum ſagenæ miſſæ in mari, quæ congregat omnia genera piſcium. Quum autem impleta eſſet, eduxerunt eam ad littus, & ſedentes elegerunt optimos in vaſa ſua: malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & ſtridor dentium. *Nulla ergo* MALORUM COMMIXTIO *terreat bonos, ut propterea velint tanquam retia rumpere, & à congregatione* UNITATIS EXIRE; *ne homines non pertinentes ad regnum Cælorum in Sacramentorum conſortio patiantur.* Matth. 13.

Hinc Beatus Cyprianus quid ſenſerit, accipe ex Epiſtola quam ſcripſit ad Præbyterum Maximum & cæteros, quibus de Schiſmatico & Hæretico errore ad Eccleſiam redeuntibus gratulatur. Etſi videntur (*inquit*) in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, ut quoniam zizania in Eccleſia eſſe cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodò laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus; & quum cœperit frumentum horreis Dominicis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus. Apoſtolus in Epiſtola ſua dicit: *In domo magna eſſe non ſolùm vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia; & quædam quidem honorata, quædam inhonorata.* Nos operam demus, & quantùm poſſumus laboremus, ut vas aureum & argenteum ſimus. Cæterùm *fictilia vaſa* confringere, Domino ſoli conceſſum eſt, cui VIRGA FERREA DATA EST. *Eſſe non poteſt major Domino ſuo ſervus:* nec quiſquam ſibi, quod ſoli filio Pater tribuit, vindicare; ut ſe putet aut *ad aream ventilandam, & purgandam paleam ventilabrum jam ferre poſſe*, aut à *frumento univerſa zizania* humano judicio ſeparare. Superba eſt illa obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam furor pravus aſſumit. Et dum ſibi ſemper quidam, pluſquàm mitis juſtitia depoſcit, aſſumunt; de Eccleſia pereunt; & dum

S. Aug. lib. 2. contra Creſcon. cap. 34. Verba S. Cypriani notatu digna epiſt. ad Maxim. 2. Tim. 2. Pſalm. 2. Matth. 10. Ioan. 13. Matth. 3 Luc. 3.

ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. *Vides Frater ſecundùm Scripturas divinas hoc præcepiſſe Cyprianum etiam propter* MALOS, *qui quum ſint à* BONIS *vitâ moribuſque* SPIRITUALITER *ſeparati: corporaliter tamen in Eccleſia videntur eſſe iis permixti uſque in diem judicii, quo etiam* CORPORALITER *debitas* SEPARABUNTUR *ad pœnas. Non eſt* ECCLESIA DESERENDA tanquam FRUMENTA *propter* PALEAM *vel* ZIZANIA: *ſicut nec* DOMUS MAGNA propter VASA INHONORATA. *Vides? Audis? Sentis? Capis? Intelligis quanto ſcelere propter eos qui vobis (ſive rectè, ſive quum fallimini) diſplicent, ſeparemini ab Eccleſia, cui ſecundùm Scripturas divinas, tam magnum, tam firmum, tam clarum ac luculentum teſtimonium perhibet Cyprianus?*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA Chriſti Domini ac Sponſi ſui, & Sanctiſſimorum Doctorum Cypriani & Auguſtini oraculis innixa, *malos cum bonis, reprobos cum electis*, tanquam *paleas aut zizania cum frumento* tolerat *in Agro Domini uſque ad meſſem. Congregat omnia genera piſcium, donec eligantur optimi in vaſa, mali autem foras mittantur.*

Prætenta REFORMATA ſolo CALVINI SUI ſpiritu inflata ac tumida, hanc Eccleſiæ definitionem dogmaticè tradit, in Catechiſmo Reformato, Dominicâ decimâ quintâ; *Eccleſia Catholica eſt Societas Fidelium, quos Deus ordinavit &* ELEGIT AD VITAM ÆTERNAM. Proinde nulla eſt in eâ, *reproborum cum electis commixtio*, ſi ad ejus *Societatem* ſolummodò aggregentur ii, *quos Deus ordinavit &* ELEGIT AD VITAM ÆTERNAM: in hac enim ORDINATIONE ET ELECTIONE nullus reprobus inveniri poteſt.

Adde Eccleſiam (ſuppoſitâ hâc erroneâ definitione) nullo modo poſſe eſſe viſibilem, niſi Deo, cui ſoli ſunt noti, quos ORDINAVIT ET ELEGIT AD VITAM ÆTERNAM, actu utique Providentiæ ſupernaturalis & gratuitæ, quo
2. Tim. 2. *novit Dominus* QUI SUNT EIUS, nec ulli alteri innoteſcere poteſt citra REVELATIONEM SPECIALEM: *Quis enim novit*
Rom. 11. *ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit?*

SESSIO IV.

De S. Petro & Summis Pontificibus.

ORACULA AUGUSTINIANA
De Primatu S. Petri.

QVis neſciat PRIMUM OMNIUM APOSTOLORUM ESSE BEATISSIMUM PETRUM? S. Aug. Tract. 56. in Evang. Ioan.

Quis neſciat illum APOSTOLATUS PRINCIPATUM *cuilibet* EPISCOPATUI PRÆFERENDUM? *In* PETRO PRIMATUS APOSTOLORUM *excellenti gratiâ* PRÆEMINET. Lib. 2. de Baptiſ. cap. 1.

In ECCLESIA ROMANA ſemper APOSTOLICÆ CATHEDRÆ *viguit* PRINCIPATUS. Epiſt. 162.

Puto tibi (Juliane) *eam partem orbis ſufficere debere, in qua* PRIMUM *Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.* Lib. 1. contra Iulian. cap. 2.

Quòd dicitur Petrum egiſſe pœnitentiam, cavendum eſt ne ita putetur egiſſe, quomodò agunt in Eccleſia qui propriè pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat ut PRIMUM APOSTOLORUM *inter tales pœnitentes numerandum putemus?* Epiſt. 118.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA credit cum Auguſtino PRIMATUM *Apoſtolorum excellenti gratiâ in Petro præeminere; & illum* APOSTOLATUS PRINCIPATUM *cuilibet* EPISCOPATUI PRÆFERENDUM ESSE.

Prætenta REFORMATA contra Auguſtinum credit & aſſerit, ſuiſque Sectariis velut Fidei dogma credendum proponit: *Omnes veros Paſtores, ubicumque fuerint, habere eandem authoritatem & æqualem poteſtatem, ſub uno ſolo Capite Supremo, & ſolo univerſali Epiſcopo* JESU *Chriſto.* Confeſſ. Reform. Artic. 30.

ORACULA AUGUSTINIANA
De Summorum Pontificum Succeſſione.

S. Aug. cont. Epiſt. fundam. cap. 4.

IN *Eccleſia Catholica, ut omittam ſinceriſſimam Sapientiam? multa ſunt alia quæ in ejus gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet* CONSENSIO *populorum atque gentium. Tenet* AUTHORITAS *miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli (cui paſcendas Oves ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendavit) uſque ad præſentem Epiſcopatum* SUCCESSIO SACERDOTUM. *Tenet poſtremò ipſum* CATHOLICÆ *nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas Hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit; ut quum omnes Hæretici Catholicos ſe dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia.*

In Pſal. cont. partem Donati.

Venite Fratres ſi vultis, ut inſeramini in vite. Dolor eſt quum vos videmus præciſos ita jacère. Numerate SACERDOTES *vel ab ipſa* PETRI SEDE: *& in illo ordine Patrum, quis cui* SUCCESSIT, *videte.*

S. Aug. Epiſt. 165.

Si ordo EPISCOPORUM *ſibi* SUCCEDENTIUM *conſiderandus eſt, quantò certiùs & verè ſalubriter ab ipſo* PETRO *numeramus.* PETRO *enim* SUCCESSIT *Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus, Evariſto Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Teleſphorus, Teleſphoro Higinius, Higinio Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zephirinus, Zephirino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Xiſtus, Xiſto Dionyſius, Dionyſio Fœlix, Fœlici Eutychianus, Eutychiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Melchiades, Melchiadi Sylveſter, Sylveſtro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius. In hoc ordine* SUCCESSIONIS *nullus*

Digitized by Google

lus Donatiſta Epiſcopus invenitur, adde nullus Lutheranus, nullus Zuinglianus, nullus Anabaptiſta, nullus Calviniſta.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino, *certò & ſalubriter ordinem Epiſcoporum ſuorum ſibi ſuccedentium conſiderat. In hoc ordine ſucceſſionis nullum invenit* Valdenſem, nullum Albigenſem, nullum Wiclefitam, nullum Huſſitam, nullum Lutheranum, nullum Zuinglianum, aut Calviniſtam. *Ideo prophanas voces novitatum expavit, & cauta ac ſobria ex admonitione Apoſtolica*, ne ſicut Serpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & mens ejus corrumperetur, *Catholicæ Fidei virginitati inſidias* Dogmatis Lutherani, Zuingliani, Calviniani *exhorruit, & tanquam caput colubri calcavit, obtrivit, abjecit.* S. Aug. lib. 2. cont. Iulian. c. 10.

Prætenta REFORMATA nullos Epiſcopos ſibi ſuccedentes enumerare poteſt. Ubi ad *Lutherum* Patriarcham, vel ad *Zuinglium*, aut *Calvinum* aſcenderit, illicò Succeſſionis Series deficit; niſi funem contentionis ac rebellionis adversùs Eccleſiam cum quibuſdam Hæreticis connectere velit, à quorum tamen dogmatibus in plurimis ac graviſſimis Capitibus planè diſſidet.

ORACULA AUGUSTINIANA
De Summorum Pontificum & Romanæ Sedis authoritate.

HOc geſtum (Domine Frater Sancte) charitati tuæ intimandum duximus, ut Statutis noſtræ mediocritatis, etiam APOSTOLICÆ SEDIS *adhibeatur* AUTHORITAS. *Veremur ne apud te iſta commemorando, quæ majore gratiâ de* SEDE APOSTOLICA *prædicas, inconvenienter facere videamur. Si Pelagius geſtis quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juſtè viſus fuerit abſolutus; error tamen & impietas quæ tam multos aſſertores habet, etiam* AUTHORITATE APOSTOLICÆ SEDIS ANATHEMATIZANDA EST. Epiſt. 90. quæ eſt Patrum Concil. Carthag. ad Innocent. Papam, tempore S. Auguſtini.

Antiqua TRADITIONIS *exempla ſervantes & Eccleſiaſticæ*

Epiſt. 90. inter Auguſtinianas, quæ eſt Innocēt. Papæ ad Patres Concil. Carthag.

memores diſciplinæ, veſtræ Religionis vigorem non minùs nunc in conſulendo quàm anteà dum pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium: ſcientes quid APOSTOLICÆ SEDI *(cùm omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) debeatur: à quo ipſe* EPISCOPATUS *& tota* AUTHORITAS *nominis hujus emerſit. Quem ſequentes, tam mala jam damnare novimus, quàm probare laudanda. Patrum inſtituta non cenſetis eſſe calcanda, quòd illi non humanâ ſed divinâ decrevere ſententiâ; ut quicquid de diſcretis remotiſque Provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret: ubi tota hujus* AUTHORITATE, *juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, & velut de* NATALI SUO FONTE *aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones, puri capitis incorruptæ manarent.*

Epiſt. 92. quæ eſt S. Aug. & Patrum Concil. Milevit. ad Innocent. Papam.

Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuæ munere in SEDE APOSTOLICA *collocavit talemque te noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud* TUAM *Venerationem, quæ pro Eccleſia ſunt ſuggerenda, tacuerimus; quàm ea tu poſſis vel faſtidiosè vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti diligentiam quæſumus adhibere digneris. Nova quippe Hæreſis & nimiùm pernitioſa tentat ſurgere inimicorum gratiæ Dei: qui nobis etiam Dominicam Orationem impiis diſputationibus conantur auferre. Arbitramur adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri* JESU *Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur,* AUTHORITATI SANCTITATIS TUÆ *de Sanctarum Scripturarum authoritate deprompta, faciliùs eos qui tam perverſa & pernitioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros, ut de correctione eorum potiùs gratulemur, quàm contriſtemur interitu. Hæc ad* SANCTITATEM TUAM *de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſis Provinciæ Co-Epiſcopos noſtros, quos ad* SEDEM APOSTOLICAM, *quam beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus. Memor noſtri in Deum, gratiâ augearis, Domine beatiſſime, meritòque Venerabilis, & in Chriſto honorande* SANCTE PATER.

Inter

Digitized by Google

Inter cæteras Romanæ Eccleſiæ curas, Frater & Co-Epiſcopus noſter Iulius, dilectionis veſtræ literas ex Milevitano Concilio, mihi inopinanter ingeſſit. Carthaginenſis etiam Synodi querelæ parilis ſcripta ſubjungens: Exultat Eccleſia tantam ſollicitudinem commiſſis gregibus exhibere Paſtores. Diligenter ergo & congruè APOSTOLICO *conſulitis honori. Honori inquam illius, quem (præter illa quæ ſunt extrinſecùs)* SOLLICITUDO *manet* OMNIUM ECCLESIARUM, *ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Quid etiam actione firmaſtis, niſi ſcientes quòd per omnes Provincias de* APOSTOLICO FONTE *petentibus reſponſa ſemper emanent? Præſertim quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres & Co-Epiſcopos noſtros nonniſi* AD PETRUM, *id eſt, ſui nominis & honoris* AUTHOREM REFERRE *debere, velut nunc* RETULIT *dilectio veſtra, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Quare Pelagium Celeſtiumque, id eſt, inventores* VOCUM NOVARUM, *Eccleſiaſtica communione privari,* APOSTOLICI VIGORIS AUTHORITATE *cenſemus, donec reſipiſcant de Diaboli laqueis. Simul autem præcipimus, ut quicumque id pertinaciâ ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat.* Datum *ſexto Calendas Februar. Honorio & Conſtantio Viris Clariſſimis Coſſ.*

Epiſtola 93. inter Auguſtinianas quæ eſt Innocent. Papæ ad Patres Concil. Milevit.

Non dedignaris, quamvis ALTIÙS PRÆSIDEAS, *eſſe amicus humilium. Quum non deſinant* (Pelagiani) *fremere ad Dominici Gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas Oves, aditus undecumque rimari: communiſque ſit omnibus nobis qui fungimur Epiſcopatus officio (quamvis ipſe in eo* PRÆEMINEAS CELSIORE FASTIGIO) *ſpecula Paſtoralis; facio quod poſſum pro mei particula muneris, ut peſtilentibus & inſidiantibus eorum ſcriptis, medentia & munientia ſcripta prætendam, quibus rabies quâ furunt, aut etiam ipſa ſanetur, aut à lædendis aliis repellatur. Hæc ergo quæ iſtis duabus Epiſtolis illorum, iſtâ diſputatione reſpondeo, ad* TUAM *potiſſimùm dirigere* SANCTITATEM, *non tam diſcenda quàm examinanda, & (ubi forſitan aliquid diſplicuerit) emendanda, conſtitui.*

S. Aug. ad Bonifacium Papam lib. 1. cap. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum.

S. Aug. Epiſt. 162. *Melchiadis* (Romani Pontificis) *ultima eſt prolata ſententia, quàm innocens! quàm integra! quàm provida atque pacifica! O Virum optimum! O Filium Chriſtianæ Pacis, & Patrem Chriſtianæ plebis!*

REFLEXIO.

Aug. ſupra. *Eccleſia ROMANA* cum Auguſtino, Summum Pontificem reveretur, tanquam *Patrem Chriſtianæ Plebis, celſiore faſtigio præeminentem, altiùs præſidentem*: Sanctitatis titulum ei defert: *Apoſtolicæ Sedis Authoritatem agnoſcit; ad ejus judicium* recurrit *ſuper anxiis rebus, quoties Fidei ratio ventilatur, quoties errores ac impietates anathematizandæ, & rerum novarum inventores, Apoſtolici vigoris authoritate ſunt excommunicandi.*

Prætenta REFORMATA Summum Pontificem non alio quàm probroſo infamique *Antichriſti* nomine indigetat, & *Apoſtolicam* Sedem, non niſi *Apoſtaticam Cathedram* paſſim vocitat: more antiqui illius Hæretici *Petiliani*, cui reſpondens Auguſtinus; *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ* (ait) *in qua* Petrus sedit, *& in qua hodie Anaſtaſius ſedet; cui nos in Catholica unitate connectimur, & à qua vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines quos putas legem loqui & non facere: nunquid Dominus IESVS Chriſtus propter Phariſæos de quibus ait,* Dicunt & non faciunt, *Cathedra in qua ſedebant, ullam fecit injuriam? Nónne illam Cathedram Möiſis commendavit, & illos ſervata Cathedræ honore redarguit?*

Lib. 2. contra Literas Petiliani cap. 51.

SESSIO V.

De Sacramentis novæ Legis.

ORACULA AUGUSTINIANA De Sacramentorum efficacia & neceſſitate.

S. Aug. lib. 19. cont. Fauſt. cap. 16. Q*Vid aliud ſunt quæque corporalia Sacramenta, niſi quædam quaſi verba viſibilia; Sacro-Sancta quidem, verùm mutabilia*

bilia & temporalia? Sonant & tranſeunt; VIRTUS *tamen quæ per iſta operatur, jugiter* MANET, *& donum ſpirituale, quod per iſta inſinuatur, æternum eſt.*

Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum. Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & COR ABLUAT, *niſi faciente verbo, non quia dicitur ſed quia creditur? Nam & in ipſo verbo aliud eſt* SONUS TRANSIENS, *aliud* VIRTUS MANENS. *Lege Apoſtolum & vide quid adjungat:* Ut eam SANCTIFICARET (*inquit*) mundans eam lavacro aquæ in verbo. MUNDATIO *igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur* IN VERBO. *Hoc verbum Fidei tantùm valet in Eccleſia Dei, ut per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum* MUNDET *infantem, quamvis nondum valentem* corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Tract. 80 in Evang. Ioann. Epheſ. 5. Rom. 10.

Advertendum eſt quoties dicit: Ego Dominus qui ſanctifico eum, *loqui de Sacerdote; quum hoc etiam Moïſi dixerit:* Et ſanctificabis eum. *Quomodò ergo & Moïſes ſanctificat & Dominus? Non enim Moïſes pro Domino, ſed Moïſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem* INVISIBILI GRATIA *per Spiritum Sanctum, ubi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum. Nam ſine iſta* SANCTIFICATIONE *inviſibilis gratiæ, viſibilia Sacramenta quid proſunt?* Levit. 21 S. Aug. ſuper Levit. Quæſt. 84.

Sacramentorum VIS *inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò contempta ſacrilegos facit: impiè quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas.* Lib. 19. contr. Fauſt. cap. 11.

a *Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem bene utentium, ſive ad perniciem malè utentium.* & lib. 4. de Baptiſmo contrà Donatiſt. cap. 22.

b *Contemptor* viſibilis Sacramenti, *inviſibiliter* SANCTIFICARI *nullo modo poteſt.*

c *Apertiſſimis divinarum Scripturarum teſtimoniis docemur, præter Chriſti ſocietatem, quæ in illo & cum illo fit, quum* SACRAMENTIS *ejus imbuimur, & ejus membris incorporamur,* VITAM SALUTEMQUE *æternam adipiſci neminem poſſe.* a Eodem lib. 4. cap. 10. b Quæſt. 84. ſuper Levitic.

Sive

c De peccat. merit. & remiſſ. l. 3. cap. 11.

Lib. 3. cont. Creſcon. cap. 6.

Sive à fideli, ſive à perfido diſpenſatore Sacramentum quiſque percipiat, non SANCTIFICAT *niſi* DEUS.

REFLEXIO.

Aug. ſupra.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino credit *Sacramentum eſſe inviſibilis gratiæ viſibile* ſeu ſenſibile *ſignum, ad noſtram ſanctificationem divinitùs inſtitutum.* Ita ut aliud ſit *ſonus tranſiens*, aliud *virtus permanens* : & *viſibilia Sacramenta nihil proſint ſine* SANCTIFICATIONE INVISIBILIS GRATIÆ.

Catechiſ. Reform. Dominica 46. Confeſſ. Reform. art. 34.

Prætenſa REFORMATA cum ſuis Sectariis aſſerit & credit *Sacramentum eſſe teſtimonium exterius, quod per viſibile ſignum repræſentat nobis res ſpirituales, ut fortiùs in nobis imprimantur promiſſa Dei, & inde reddamur certiores.* Deinde profitetur *Sacramenta eſſe addita Verbo Dei ad majorem confirmationem.*

Ex hac erronea falſaque doctrina neceſſariò ſequitur:

Primò, *neminem ante rationis uſum eſſe baptizandum* (quæ eſt Anabaptiſtarum Hæreſis.) Non enim poſſunt alicui *repræſentari res ſpirituales, nec fortiùs in eo imprimi promiſſa Dei, nec* inde *quis reddi* poteſt *certior*, niſi polleat uſu rationis.

Sequitur ſecundò, *Sacramentum Baptiſmi fore reiterabile* : quò enim frequentiùs repetetur, *eò fortiùs imprimentur promiſſa Dei, & eò certior quis inde reddetur.*

Sequitur tertiò, *Sacramenta eſſe notiora & certiora Verbo Dei* ; utpotè quæ ſint *addita ad majorem illius confirmationem* : quomodò ergò Calviniſtæ probant Sacramenta per Verbum Dei? Si enim *Sacramentis magis confirmatur Verbum Dei*, ergo eadem Sacramenta magis nota ſunt magiſque certa.

Vide & expende Lector, in quæ & quanta errorum præcipitia corruant, qui ab Eccleſiæ certiſſima ſaluberrima & tritiſſima ſemita deflexerunt, ut per invia aviaque novarum doctrinarum diverticula graderentur.

SESSIO

Digitized by Google

SESSIO VI.

De Sacramento Baptiſmi.

ORACULA AUGUSTINIANA
De Baptiſmi neceſſitate effectu & cæremoniis.

S*Icut antiqui juſti, ſi non circumciderentur non erat eis pec-* S. Aug.
catum: poſtea verò quàm juſſit Deus, ut circumcideretur Epiſt. 118
Abraham ejuſque poſteritas, jam ſi non fieret, grave peccatum Gen. 17.
fuit: ſic etiam poſtquam Dominus Chriſtus in Eccleſia ſua Sacramentum novi Teſtamenti pro Circumciſione carnis, Sanctum Baptiſmum dedit, & apertiſſimè dixit: Si quis non renatus Ioan. 3.
fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum, *jam non debemus quærere quando quiſque fuerit baptizatus: ſed quoſcumque legimus in Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, pertinere ad regnum cælorum, nonniſi baptizatos intelligere debemus: niſi fortè quos anguſtia Paſſionis invenit, & nolentes negare Chriſtum, antequam baptizarentur, occiſi ſunt.*

BAPTISMUS *abluit peccata omnia, prorſus* OMNIA, *factorum,* S. Aug. cont.
dictorum, cogitatorum, ſive originalia, ſive addita, ſive quæ ig- duas
noranter, ſive quæ ſcienter admiſſa ſunt. Epiſt. Pe-

• *Non ſolùm peccata* OMNIA *quorum nunc remiſſio fit in* BAP- lag. lib. 3. cap. 3.
TISMO, *quæ reos faciunt dum vitioſis deſideriis conſentitur, atque* Lib. de
peccatur: verùm etiam ipſa deſideria (quibus ſi non conſentitur peccato
nullus peccati reatus contrahitur) eodem lavacro baptiſmatis origin.
univerſa purgantur. cap. 40.

Non ſolùm omnia peccata, ſed omnia prorsùs hominum ma- Lib. 1. de
la, Chriſtiani lavacri ſanctitate tolluntur. nupt. & concupiſ.

Reatus omnium peccatorum præteritorum ſolvitur in omni- cap. 34.
bus qui in Chriſto baptizantur. Lib. 1.

Si de peccatore peccatores nati ſunt, quare non de baptizato Retract.
jam fideli (cui remiſſa ſunt omnia peccata) juſti naſcuntur? c. 13. Serm. 14.
Cito reſpondete: ideo de baptizato non juſtus naſcitur, quia non de verbis
eum Apoſtoli.

Ioan. 3. *eum generat unde regeneratus eſt; ſed unde generatus eſt.* Quod
naſcitur de carne caro eſt. *Quæris ut de juſto juſtus naſcatur,
quum videas juſtum eſſe niſi regeneratum omnino non poſſe?* Nec
attendis Domini ſententiam. Si quis non renatus fuerit ex
aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum.
Miraris quare peccator naſcatur de ſemine juſti? Non te delectat mirari, quare Oleaſter naſcatur de ſemine Olivæ? Accipe aliam ſimilitudinem: Iſtum baptizatum pone granum purgatum; non attendis quia de grano purgato frumentum cum palea naſcitur ſine qua ſeminatur? Deinde quum ſit in propagine natorum generatio carnalis, in propagine renatorum ſpiritalis generatio, vis ut de baptizato baptizatus naſcatur quum videas de Circumciſo non naſci circumciſum? Carnalis eſt certè iſta generatio, & carnalis eſt circumciſio; & tamen de circumciſo non naſcitur circumciſus: ſic ergo de baptizato non poteſt naſci baptizatus, quia nemo renatus antequam natus.

*Quàm non ſit contrarium hoc quod ait Apoſtolus quum de alia
1.Cor.7. re ageret:* Alioqui filii veſtri immundi eſſent; nunc au-
S. Aug. tem Sancti ſunt, *paululùm attende. Non uniuſmodi eſt ſan-
lib. 2. de ctificatio. Nam & Catechumenos ſecundùm quemdam modum
peccat. meritis ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis pu-
& remiſſ. to ſanctificari: Et quod accipiunt quamvis non ſit Corpus Chriſti,
cap. 26. Sanctum eſt tamen & Sanctiùs, quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt. Verùm & ipſos cibos quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ hujus vitæ alimur, ſanctificari idem Apoſto-
1.Tim. 4. lus dixit, per Verbum Dei & orationem, quâ oramus utique noſtra corpuſcula refecturi. Sicut autem iſta ciborum ſanctifica-
Matt. 15. tio non efficit* ut quod in os intraverit, non in ventrem vadat, & in ſeceſſum emittatur, *per corruptionem quâ omnia terrena ſolvuntur;* unde ad aliam eſcam quæ non corrumpitur, *nos Dominus exhortatur: ita ſanctificatio Catechumeni ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum Cælorum, aut ad peccatorum remiſſionem. Ac per hoc & illa ſanctificatio cujuſcumque modi ſit, quam in filiis fidelium eſſe dixit Apoſtolus, ad iſtam de baptiſmo, & de peccati origine vel remiſſione quæſtionem omninò non pertinet. Nam & conjuges inſi-*

deles

deles in conjugibus fidelibus ſanctificari, dixit eo ipſo loco ita loquens: Sanctificatur enim vir infidelis in uxore, & ſanctificatur mulier infidelis in fratre: alioqui filii veſtri immundi eſſent, nunc autem Sancti ſunt. *Non opinor quiſquam tam infideliter intelliget (quodlibet in his verbis intelligat) ut ob hoc exiſtimet etiam maritum non Chriſtianum, quia Chriſtiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, & ad peccatorum remiſſionem perveniſſe, & in regnum Cælorum eſſe intraturum, quia ſanctificatus dictus eſt in uxore.* 1. Cor. 7.

Illud ſine dubitatione tenendum eſt, quæcumque illa ſanctificatio ſit, non valere ad faciendos Chriſtianos, atque ad dimittenda peccata, niſi Chriſtiana & Eccleſiaſtica inſtitutione & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles quamlibet ſanctis & juſtis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei ſeparatos in damnationem venire compellit; nec parvuli de quibuſlibet ſanctis juſtiſque procreati, Originalis peccati reatu abſolvuntur, niſi in Chriſto fuerint baptizati: pro quibus tantò impenſius loqui debemus, quantò per ſe ipſi minùs poſſunt. S. Aug. lib. 3. de peccator. meritis & remiſſ. cap. 12.

SIGNO CRUCIS *conſecratur unda baptiſmatis, ut eâ diluatur reatus tanquam in chyrographo ſcriptus, in notitia ſpiritualium poteſtatum, per quas pœna exigitur peccatorum.* Lib. 6. contr. Iulian. cap. 8.

Quia Baptiſmus id eſt ſalutis aqua non eſt ſalutis, niſi Chriſti nomine conſecrata qui pro nobis Sanguinem fudit, CRUCE *ipſius aqua* SIGNATUR. Lib. 50. Homiliar. Homilia 27. cap. 1.

Verùm eſt quod antiquitùs veraci Fide Catholica, prædicatur & creditur per Eccleſiam totam, quæ Fidelium filios nec EXORCIZARET *nec* EXSUFFLARET, *ſi non eos à poteſtate tenebrarum & à principe mortis erueret.* Lib. 6. cont. Iulian. cap. 2.

Sanctos Patres Julianus *audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſiæ Traditionem iſto nefario crimine adſpergat, quòd* EXORCIZANTUR & EXSUFFLANTUR *parvuli; ut in Regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum, hoc eſt Diaboli & Angelorum ejus, eruti transferantur. Nos autem paratiores ſumus cum iſtis viris & cum Eccleſia Chriſti, in hujus Fidei antiquitate firmata, qualibet maledicta & contumelias perpeti, quàm Pelagiani cujuſlibet eloquii prædicatione laudari.* Lib. 2. de Nupt. & Concupiſ. cap. 29.

Digitized by Google

S. Aug, Tract. 44. in Evang. Ioan. *Interroga hominem, Chriſtianus es? Reſpondet tibi, non ſum. Paganus es aut Iudæus? Si dixerit, non ſum: adhuc quæris ab eo, Catechumenus an Fidelis? Si reſponderit tibi, Catechumenus:* INUNCTUS *eſt nondum lotus. Ecce modò loquor & Fidelibus & Catechumenis. Quod dixi de* SPUTO *&* LUTO, *quia* Verbum Caro factum eſt, *& hoc Catechumeni audiunt: ſed non eis ſufficit ad quod* INUNCTI *ſunt, feſtinent ad lavacrum, ſi lumen inquirunt.*

S. Aug. lib. 2. de Symbolo cap. 1. *Ex qua re nobis factus eſt adverſarius Diabolus? niſi ex hac quia videt liberos, quos tenebat ante captivos: quia videt ſanos, quos jaculis ſuis proſtraverat vulneratos: quia videt veſtiri denuò immortalitate, quos nudaverat propinando iniquitatem:* quia muſcipula ejus comminuta eſt, & nos eruti ſumus.

Pſal. 123. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. *Si adjutorium noſtrum in nomine ejus,* RENUNTIEMUS DIABOLO, POMPIS ET ANGELIS EJUS. *Hoc audiſtis, hoc & vos profeſſi eſtis renuntiare vos Diabolo, pompis & Angelis ejus.*

Lib. 4. de Symb. cap. 1. *Omnia Sacramenta quæ acta ſunt & aguntur in vobis per myſterium ſervorum Dei,* EXORCISMIS, ORATIONIBUS, CANTICIS SPIRITUALIBUS, INSUFFLATIONIBUS, CILICIO, INCLINATIONE CERVICUM, *humilitate* PEDUM, *pavor ipſe omni ſecuritate appetendus, hæc omnia (ut dixi) eſcæ ſunt quæ vos reficiunt in utero, ut renatos ex baptiſmo, hilares vos Mater exhibeat Chriſto.*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino credit *Baptiſmo* Aug. ſupra. *ablui peccata omnia, prorsùs omnia: nec ſolum peccata omnia; verùm etiam ipſa deſideria vitioſa, eodem lavacro baptiſmatis univerſa purgari, & reatum ſolvi in omnibus qui in Chriſto baptizantur: parvulos de quibuſlibet ſanctis juſtiſque procreatos Originalis peccati reatu non abſolvi, niſi in Chriſto fuerint baptizati: Signo Crucis conſecrari undam baptiſmatis: antiquiſſimam eſſe Eccleſiæ traditionem exorcizandi & exſufflandi parvulos, eoſq; inungendi, ſputo lutoque utendi, & Diabolo, pompis, & Angelis ejus renuntiandi.*

Prætenſa REFORMATA profitetur ſe credere *peccatum*

Digitized by Google

originale etiam poſt baptiſmum eſſe ſemper peccatum quoad culpam. Artic. 11 Confeſſ. Reform.

Jubet parvulos offerri ad baptiſmum, *vel Dominica die ſub horam Catechiſmi, vel aliis diebus ſub Concionem; ut Sacramentum* conferatur præſente populo congregato. Hinc fit ut quandoque infantes moriantur ante ſuſceptum baptiſmum, qui ad plebis uſque conventum differtur. Forma adminiſt. baptiſmi Genevæ anno 1588.

Denique fatetur *ſe multas cæremonias abrogaſſe, quæ* olim adhibebantur (ut ſunt illæ ſupra ab Auguſtino commemoratæ) *& quas non negat fuiſſe valde antiquas*; ut nimirùm novas quaſdam ſecundùm Calvini aliorumque prætentorum Reformatorum adinventiones, contra *firmatam Fidei antiquitatem* ſubſtitueret.

SESSIO VII.

De Confirmationis ſeu Chriſmatis Sacramento.

ORACULA AUGUSTINIANA.

SACRAMENTUM CHRISMATIS *in genere viſibilium ſignorum Sacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus. Sed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis, in opere carnis conſumentibus vitam, & regnum cælorum non poſſeſſuris.* S. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. lib. 2. cap. 104.

Unctio ſpiritalis ipſe Spiritus Sanctus eſt, cujus SACRAMENTUM *eſt in* UNCTIONE VISIBILI. Tract. 3. in Epiſt. Ioan.

UNGIMUR *modò in* SACRAMENTO, *& Sacramento ipſo præfiguratur quiddam quod futuri ſumus: & illud neſcio quid futurum ineffabile deſiderare debemus, & in* SACRAMENTO *gemere; ut in ea re gaudeamus, quæ* SACRAMENTO *præmonſtratur.* In Pſal. 26.

Quid eſt (quod omnes noverunt) ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? Quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ quâ regenerantur, ſive OLEO *quo* CHRISMATE UNGUNTUR, *ſive Sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodò ergo per id quod mali faciunt,* Tract. 118. in Evang. Ioan.

 nihil

Digitized by Google

nihil boni ſignificatur; quando per Crucem Chriſti quam fecerunt mali, in celebratione SACRAMENTORUM *ejus, bonum nobis omne ſignatur?*

Lib. 5. de Baptiſmo cont. Donat. cap. 20. *Si ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio,* Deus peccatorem non audit, *ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodò exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper* OLEUM, *vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus* MANUS IMPONITUR? *Quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas, id eſt, per eos qui oderunt Fratres, etiam in ipſa intùs Eccleſia.*

Ibidem libro 3. cap. 13. SPIRITUS SANCTUS *quia in ſola Catholica per* MANUS IMPOSITIONEM *dari dicitur, nimirùm hoc intelligi majores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait:* quoniam charitas Dei

Rom. 5. diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. *Ipſa eſt enim charitas quam non habent, qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione præciſi ſunt. Ac per hoc* etiamſi

1. Cor. 13. linguis hominum loquantur & Angelorum, ſi ſciant omnia Sacramenta & omnem ſcientiam, & omnem habeant Prophetiam & omnem Fidem, ita ut montes transferant, & diſtribuant omnia ſua pauperibus, & tradant corpus ut ardeat; nihil illis prodeſt. *Non autem habet Dei charitatem qui Eccleſiæ non diligit unitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi niſi in Catholica Spiritum Sanctum. Neque enim temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per*

Act. 10. MANUS IMPOSITIONEM *modò datur Spiritus Sanctus, ſicut antea dabatur ad commendationem rudis Fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut hi quibus* MANUS *ad accipiendum Spiritum Sanctum* IMPONITUR, *repentè incipiant linguis loqui? Sed inviſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis, eorum cordibus divina charitas inſpirari, ut poſſint dicere:* quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

REFLEXIO.

Aug. ſupra. *Eccleſia* ROMANA eum Auguſtino agnoſcit *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignorum Sacroſanctum*

eſſe,

eſſe, ſicut & baptiſmum: UNGI *fideles in Sacramento & imponi eis manus.*

Prætenta REFORMATA hoc Chriſmatis Sacramentum (contra Auguſtini & primitivæ Eccleſiæ Fidem) repudiat) dum *duo tantùm eſſe credit Sacramenta, nimirùm Baptiſmum & Cœnam:* non quidem Chriſti Domini Cœnam, ſed Zuinglianam & Calvinianam. Confeſſ. Reform. art. 33. & 36.

SESSIO VIII.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

ORACULA AUGUSTINIANA.

N*Otus eſt Dominus noſter* JESUS *Chriſtus. In* CORPORE *&* SANGUINE *ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Vnde autem commendavit Corpus & Sanguinem ſuum? De humilitate ſua: niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur nec biberetur. Oportebat ut menſa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac convertitur niſi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans: ſed quia minùs idoneus eſt infans qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem. Quomodò ergo de ipſo pane pavit nos Sapientia Dei?* Quia Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. *Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo, ut ſcriptum eſt:* Panem Cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. Sed ſemetipſum exinanivit *(ut panem Angelorum manducaret homo)* formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit ſe factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; *ut jam de cruce commendaretur nobis Caro & Sanguis Domini, novum Sacrificium.* Et ferebatur in manibus ſuis. *Hoc verò Fratres quomodò poſſet fieri in homine, quis intelligat? Manibus aliorum*

S. Aug. in Pſ. 33. Conc. 1. — Ioan. 1. — Pſal. 77. — Philipp. 2.

poteſt portari homo; manibus ſuis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipſo DAVID SECUNDUM LITERAM NON INVENIMUS; *in* CHRISTO *autem* INVENIMUS. FEREBATUR *enim* CHRISTUS *in* MANIBUS SUIS, *quando commendans ipſum* CORPUS SUUM *ait*; Hoc eſt Corpus meum: FEREBAT *enim* ILLUD CORPUS *in* MANIBUS SUIS.

In eundem Pſ. Conc. 2. — *Verè magnus Dominus & verè miſericordia ejus qui dedit nobis manducare* CORPUS SUUM *in quo tanta perpeſſus eſt, & Sanguinem bibere. Chriſtus traditorem ſuum tantâ patientiâ pertulit, ut* PRIMAM *ei* EUCHARISTIAM, CONFECTAM MANIBUS SUIS, *&* ORE SUO COMMENDATAM *ſicut cæteris Apoſtolis traderet.*

In Pſal. 10.

Tract. 27. in Evang. Ioan. — Verba vitæ æternæ habes. *Vitam enim æternam habes in* MINISTRATIONE CORPORIS *&* SANGUINIS TUI. *Et nos credidimus & cognovimus. Quid credidimus & quid cognovimus?* Quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, *id eſt, quia ipſa vita æterna tu es, &* NON DAS IN CARNE ET SANGUINE TUO NISI QUOD ES.

Libro 3. de Trinit. c. 4. — *Apoſtolus potuit ſignificando prædicare Dominum* JESUM *Chriſtum, aliter per linguam ſuam, aliter per Epiſtolam, aliter per Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus. Nec linguam quippe ejus, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguâ editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus: ſed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, &* PRECE MYSTICA CONSECRATUM *ritè ſumimus ad ſalutem Spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ Paſſionis. Quod quum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur ut ſit tam* MAGNUM SACRAMENTUM, *niſi operante inviſibiliter Spiritu Dei.*

Libro 12. contra Fauſtum cap. 10. — *Habet magnam vocem Chriſti Sanguis in terra, quum eo accepto ab omnibus gentibus reſpondetur,* AMEN. *Hæc eſt clara vox Sanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore Fidelium eodem Sanguine Redemptorum.*

Alind eſt Paſcha Judæorum, *quod adhuc illi de ove celebrant, aliud*

Digitized by Google

aliud autem quod nos in Corpore & Sanguine Domini accipimus. Illis enim ventura iſta prænuntiabantur; iſtis completa illa prædicantur. Lib. 2. contra liter. Petiliani cap. 37.

Adorate Scabellum pedum ejus quoniam Sanctum eſt. *Quid habemus adorare?* Scabellum pedum ejus. *Suppedaneum dicitur ſcabellum. Quod Græcè dicitur ypopodion, dixerunt Latini ſcabellum, & alii dixerunt ſuppedaneum. Sed videte Fratres quid nos jubeat adorare. Alio loco Scriptura dicit:* Cælum mihi Sedes eſt, terra autẽ Scabellum pedum meorum. *Ergo terram nos jubet adorare? Quia dixit alio loco quòd* ſit ſcabellum pedum Dei. *Et quomodò adorabimus terram? Quum dicat apertè Scriptura,* Dominum Deum tuum adorabis: *& hìc dixit,* adorate Scabellum pedum ejus. *Exponens autem mihi quid ſit Scabellum pedum ejus, dicit:* Terra autem Scabellum pedum meorum. *Anceps factus ſum. Timeo adorare terram, ne damnet me* qui fecit cælum & terram. *Rursùm timeo non adorare ſcabellum pedum Domini, quia Pſalmus mihi dicit,* Adorate ſcabellum pedum ejus. *Quæro quid ſit ſcabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura,* Terra ſcabellum pedum meorum. *Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hìc; & invenio quomodò ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram; quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hìc ambulavit, & ipſam* CARNEM *nobis* MANDUCANDAM *ad ſalutem dedit.* NEMO AUTEM ILLAM CARNEM MANDUCAT, NISI PRIÙS ADORAVERIT. *Inventum eſt quemadmodùm* ADORETUR *tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus* ADORANDO; ſed peccemus NON ADORANDO. In Pſ. 98. Iſaiæ. 66. Matt. 5. Deuter. 6.

Hoc à S. Ambroſio mutuatus videtur Auguſtinus: ille enim libro tertio de Spiritu Sancto, capite duodecimo: *Videamus* (ait) *ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus IESVS in Carnis aſſumptione ſuſcepit. Itaque per Scabellum terra intelligatur; per terram autem, Caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in*

Domino JESU *adorarunt. Neque enim diviſus Chriſtus, ſed unus: neque quùm adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur.*

S. Aug. in Pſal. 21. Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ. *Manducaverunt Corpus humilitatis Domini ſui, etiam divites terræ: nec ſicut pauperes ſaturati ſunt uſque ad imitationem; ſed tamen adoraverunt.*

S Aug. Epiſt. 120. ad Honorat. de Gratia novi Teſtam. cap. 27. *Neque fruſtra ita diſtincti ſunt, ut de pauperibus diceretur,* edent pauperes & ſaturabuntur: *hic verò,* manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ. *Et ipſi adducti ſunt ad* MENSAM CHRISTI, *&* ACCIPIUNT DE CORPORE ET SANGUINE EJUS *ſed* ADORANT *tantùm, non etiam ſaturantur quia non imitantur: manducantes enim pauperem, dedignantur eſſe pauperes. Sed quia* Deus excitavit eum à mortuis, & donavit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine JESU flectatur *omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; famâ celſitudinis ejus & gloriâ nominis ejus in Eccleſia uſquequaque diffusâ permoti, & ipſi* VENIUNT AD MENSAM, MANDUCANT ET ADORANT; *non tamen ſaturantur,* quia non eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.

Philip. 2.

Mat. 5.

S. Aug. Epiſt. 118. ad Januar. cap. 3. *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam* EUCHARISTIAM, *quò ad tantum Sacramentum digniùs accedas. Alius contra: imò ſi tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda ſint, authoritate Antiſtitis debet quiſque ab Altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſque judicetur; non ſe debet à quotidiana medicina Dominici Corporis ſeparare. Rectiùs inter eos fortaſſe quis dirimit litem, qui monet ut præcipuè in Chriſti pace permaneant. Faciat autem unuſquiſque quod ſecundùm Fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille Centurio: quum alter*

Luc. 19. *eorum* gaudens in Domum ſuam ſuſcepit Dominum:

alter

alter dixit, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: *Ambo Salvatorem honorificantes diverſo & quaſi contrario modo: ambo peccatis miſeri: ambo miſericordiam conſecuti. Valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quòd in primo populo, unicuique manna ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat: ſic in ore cujuſque Chriſtiani Sacramentum illud quomodò ſumatur, æſtimandum. Nam & ille honorando non audet quotidiè ſumere: & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolùm non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus* indignè *dicit* acceptum ab eis, qui hoc NON DISCERNEBANT *à cæteris cibis* VENERATIONE SINGULARITER DEBITA. *Continuò quippè quùm dixiſſet*, Judicium ſibi manducat & bibit; *addidit ut diceret* non dijudicans Corpus Domini. *Quod ſatis toto ipſo loco in Epiſtola ad Corinthios prima (ſi diligenter attendatur) apparet.*

Math. 8. Sap. 16. vide lib. 1. Retract. cap. 20. 1. Cor. 11

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino credit, & SECUNDÙM LITERAM intelligit Chriſtum Dominum *tuliſſe Corpus ſuum in manibus ſuis, quando dicebat*: Hoc eſt Corpus meum.

Credit Chriſtum *non dare in Carne & Sanguine ſuo niſi* QUOD EST.

Aug. ſupra.

Credit ipſum *de Carne Mariæ accepiſſe carnem, & ipſam*, imò ipſiſſimam *carnem nobis manducandam ad ſalutem dediſſe.*

Nemo ejuſdem Eccleſiæ filiorum *carnem illam manducat, niſi priùs adoraverit* cum Ambroſio & Auguſtino. Nemo illorum eſt qui non *diſcernat* hunc cibum *à cæteris veneratione ſingulariter debita.*

Prætenta REFORMATA, non *Ambroſiano*, non *Auguſtiniano* ſpiritu inſpirata, ſed Zuingliano afflata & inflata hanc EUCHARISTIÆ adorationem velut abominandam Idololatriam aut Artolatriam deteſtatur.

Non aliud agnoſcit *in tam magno Sacramento*, quàm *panem repræſentantem Corpus Chriſti, & vinum repræſentans Sanguinem.*

Catechiſ. Reform. Dominic. 51. & 52.

Hinc conſequenter ac falsò credit & aſſerit *modum ſumendi eſſe per Fidem.*

Addit COMMUNIONEM *non ſolummodò fieri in Cœna; verùm etiam in prædicatione Evangelii: Cœna tamen Sacramentum, id ampliùs habere, & ad hoc nobis ſubſervire ſeu uſui eſſe, ut* COMMUNIO (per prædicationem) *magis in nobis confirmetur,* & per Cœnæ Communionem *tanquam rata habeatur.* Adeoque nullum ponit diſcrimen inter communionem quæ fit in verbo prædicationis, & communionem quæ fit in Sacramento: prout Lutherani meritò objiciunt Calviniſtis.

David Paræus in ſuo Irenico.

Jam vide Chriſtiane Lector & attende, quàm alienus fuerit Sanctiſſimus Doctor Auguſtinus ab erronea illa perſuaſione, nimirùm *quòd modus ſumendi ſit per Fidem*; ita ut vera & realis exiſtentia ac præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti excludatur, nec adſit niſi *panis repræſentans Corpus & vinum repræſentans Sanguinem*: ipſe verò *modus ſumendi* Corpus & Sanguinem *ſit per Fidem.* Ille enim idem Doctor, *totius antiquitatis optimus & fideliſſimus teſtis* (prout agnoſcit & ultrò fatetur Calvinus) ita verbis apertiſſimis teſtatur. *Ipſis ſe credit* JESUS *qui nati ſunt denuò. Ecce* illi crediderant in eum, & JESUS non ſe credebat eis. *Tales ſunt omnes Catechumeni.* Ipſi jam credunt in nomine Chriſti; ſed JESUS non ſe credit eis. *Intendat & intelligat charitas veſtra. Si dixerimus Catechumeno:* CREDIS IN CHRISTUM? *Reſpondet,* CREDO, *& ſignat ſe Cruce Chriſti, portat in fronte, non erubeſcit de cruce Domini ſui, ecce* CREDIT *in nomine ejus. Interrogemus eum,* MANDUCAS CARNEM FILII HOMINIS, ET BIBIS SANGUINEM? *Neſcit quid dicimus, quia* JESUS *non ſe credit ei.*

S. Aug. Tractatu 11. in Joan.

Cernis quemadmodùm Auguſtinus diſcernat *fidem à manducatione*, dum aſſerit Catechumenum CREDERE IN CHRISTUM; negat tamen eum ſcire, quid ſit MANDUCARE CARNEM FILII HOMINIS ET BIBERE SANGUINEM?

At (inquiet Zuinglianus quiſpiam vel Calvinianus) videtur ipſemet tantus Doctor, non ſemel nec uno loco

faviſſe

faviſſe Sacramentariis, ipſiſque velut fundamenta ſubſtruxiſſe: Hæc ergo aperiamus, & paulò attentiùs inſpiciamus. Sed priùs CANONES nonnullos ex eodem Auguſtino, ad dictorum ipſius intelligentiam perquàm neceſſarios, ſtatuamus.

CANON I.

Ab ipſo Auguſtino poſitus.

Arbitror *ſanè tardiores* (adde & præſumptuoſiores) *in quibuſdam locis librorum meorum opinaturos me ſenſiſſe quod non ſenſi; aut non ſenſiſſe quod ſenſi. Quorum errorem mihi tribui non debere quis neſciat? Quandoquidem nec ipſis Sanctis divinorum librorum authoribus, ullo modo quiſquam, rectè tribuerit tam multos & varios errores Hæreticorum.* S. Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 3.

Qui legunt ſi intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent. Qui verò me errare exiſtimant, etiam atque etiam quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent. Lib. de Dono perſever. c. vltimo.

CANON II.

Non ea colligenda & commemoranda ſunt quæ obſcurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta ſunt: quæ quiſque ſicut voluerit, interpretetur ſecundùm ſenſum ſuum: talia enim rectè intelligi exponiq́ non poſſunt, niſi priùs ea quæ apertiſſimè dicta ſunt, firma fide teneantur. Libro de Vnitate Eccleſiæ cap. 18.

CANON III.

Sacroſancti Euchariſtiæ Sacramenti Myſterium temporibus Auguſtini, propter ſummam ipſius profunditatem, Gentilibus & Catechumenis non fuit temerè expoſitum. *Catechumenis* (inquit) *Sacramenta Fidelium non produntur; non ideo quòd ea ferre non poſſunt; ſed ut ab eis tantò ardentiùs concupiſcantur, quantò honorabiliùs occultantur.* Tract. 96 in Ioan.

Fidelibus loquor. Si quid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam. In Pſal. 109.

Hoc eſt Sacrificium Chriſtianorum, quod etiam SACRAMENTO ALTARIS FIDELIBUS NOTO *frequentat Eccleſia.* Lib. 10. de Civit. cap. 6.

Antiqui, quando adhuc SACRIFICIUM VERUM *quod* FIDELES NORUNT, *in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras futuræ rei, multi ſcientes ſed plures ignorantes. Sacrificia* In Pſal. 39.

cia illa tanquam verba promiſſiva, ablata ſunt. Quid eſt quod datum eſt? CORPUS QUOD NOSTIS: QUOD NON OMNES NOSTIS: QUOD *utinam qui* NOSTIS, *non ad judicium* NOVERITIS. *Quid ergo? Nos jam ſine Sacrificio dimiſſi ſumus?*
Pſalm. 39. *Abſit.* Corpus autem perfeciſti mihi. *Ideò illa noluiſti, ut hoc perficeres. Hujus Corporis participes ſumus. Quod accipimus,* NOVIMUS: *& qui* NON NOSTIS; NOVERITIS. *Quod uti-*
1. Cor. 11 *nam qui* NOSTIS *non ad judicium* NOVERITIS.

S. Aug. de verbis Domini Serm. 46. *Sicut audivimus quum Sanctum Evangelium legeretur, Dominus* JESUS *Chriſtus exhortatus eſt promiſſione vitæ æternæ ad* MANDUCANDAM CARNEM SUAM, & BIBENDUM SANGUINEM SUUM. *Qui audiſtis hæc, nondum* OMNES INTELLEXISTIS. *Qui enim* FIDELES & BAPTIZATI *eſtis, quid dixerit,* NOSTIS. *Qui autem inter vos adhuc Catechumeni vel audientes vocantur, potuerunt eſſe (quum legeretur) audientes, nunquid & intelligentes? Ergo ſermo noſter ad utroſque dirigitur. Qui jam* manducant Carnem Domini, & bibunt Sanguinem ejus,
Ioan. 6. *cogitent quid manducent & quid bibant; ne ſicut Apoſtolus dixit,* judicium ſibi manducent & bibant. *Qui autem non-*
1. Cor. 11 *dum manducant & nondum bibunt, ad tales epulas invitati feſtinent. Per iſtos dies magiſtri paſcunt. Chriſtus quotidie paſcit, menſa ipſius eſt illa in medio conſtituta. Quid cauſæ eſt, ô Audientes* (Catechumeni) *ut menſam videatis & ad epulas non accedatis? Et fortè modò quum Evangelium legeretur, dixiſtis in cordibus veſtris:* putamus quid eſt hoc quod di-
Ioan. 6. cit: Caro mea verè eſca eſt, & Sanguis meus verè potus eſt? Quomodò manducatur Caro Domini, & bibitur Sanguis Domini? Putamus quid dicit? *Quis contra te clauſit ut hoc neſcias? Velatum eſt, ſed ſi volueris, erit revelatum. Accede ad profeſſionem, & ſolviſti quæſtionem. Quid enim dixerit Dominus* JESUS, *jam* FIDELES NOVERUNT.

Epiſtola inter Auguſtinianas 43. quæ eſt Maximi Madaurens. Quòd ad Paganos ſeu Gentiles aut Infideles attinet, ſatis patet ex *Maximi Madaurenſis* Idololatræ Epiſtola, quis eorum ſenſus fuerit, & quàm non temerè ejuſcemodi hominibus proponenda fuerint noſtræ Fidei arcana. Ille

enim

Digitized by Google

enim Ethnicus ſic ſcribit Sancto Doctori Auguſtino: *Illud quæſo Vir ſapientiſſime, ut remoto facundiæ robore atque exploſo, quo cunctis clarus es: Omiſſis etiam quibus pugnare ſolebas Chryſippæis argumentis: poſtpoſitâ paululùm dialecticâ, quæ nervorum ſuorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur,* IPSA RE *approbes, quis ſit* ISTE DEUS, *quem vos Chriſtiani, quaſi* PROPRIUM VENDICATIS, *& in* LOCIS ABDITIS PRÆSENTEM *vos videre componitis? Nos etenim Deos noſtros luce palam ante oculos atque aures omnium mortalium, piis precibus adoramus, & per ſuaves hoſtias nobis propitios efficimus, & à cunctis hæc cerni & probari contendimus.*

Hiſce Auguſtinianis Canonibus ſeu Regulis præmiſſis, paulò attentiùs diſcutienda ſunt ea, quæ prætenta Reformata, velut ex Auguſtini Sententia, in affectati erroris patrocinium falſiſſimè fallaciſſimèque pertrahere ac uſurpare, & paſſim Eccleſiæ Catholicæ objicere conſuevit.

OBJECTIO I.

Auguſtinus in Pſalmum nonageſimum octavum ait: *Non hoc Corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum Sanguinem quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent.* Ex negatione *hujus Corporis ut manducandi, & illius Sanguinis ut bibendi* conficiebat Berengarius, & etiamnum conficiunt illius Sectatores Zuingliani ac Calviniani, verum Chriſti Corpus & Sanguinem non adeſſe verè & realiter ſpeciebus conſecratis.

Reſpondemus cum Reverendo Patre noſtro *Hauzeur*, illud Auguſtini in præmemoratum Pſalmum, eſſe eodem planè ſenſu intelligendum, ac hoc ejuſdem Sancti Doctoris, Tractatu nonageſimo quinto in Joannis decimum ſextum, videlicet, *Et jam non videbitis me. Quid ergo eſt: niſi quomodò ſum, quum vobiſcum ſum?* HUNC *ergo Chriſtum,* ID EST, TALEM *Chriſtum non erant jam viſuri.* Quòd ſi negandum ſit *verum Corpus Chriſti* in Euchariſtia, quia dixit Auguſtinus: *Non* HOC CORPUS *quod videtis, manducaturi eſtis:* eodem planè modo negandus erit *verus Chriſtus ſuſcitatus*

R. P. Hauzeur commẽt. anatom. in Aug. columna 1043.

tatus à mortuis, quia idem Auguſtinus dixit: HUNC CHRISTUM *non eſſe jam videndum*. Quod quàm impium ſit ac blaſphemum & à tanti Doctoris mente alieniſſimum, nemo non videt. Imò verò ne cui vel minimæ ſaltem ſuſpicionis umbram relinqueret, quum dixiſſet *Apoſtolos* HUNC *Chriſtum non viſuros*, ſtatim quo ſenſu foret intelligendum, manifeſtiſſimè declaravit, quum ſubdidit, ID EST, TALEM. Eodem prorſus modo, quando ſupra dixit, NON HOC CORPUS *quod videtis, manducaturi eſtis*, ſubintelligendum eſt, NON TALE *Corpus quod videtis, manducaturi eſtis*.

Reverà quantumvis ſubſtantia Corporis Chriſti ſit eadem *phyſicè & metaphyſicè*, ante & poſt Reſurrectionem, intra & extra ſpecies conſecratas, non eſt tamen eadem *moraliter*, nec demonſtrabilis ſub iiſdem accidentibus demonſtrativis, & ſub eadem forma; ſed ſub prorſùs diverſa ſecundùm ſenſum & æſtimationem humanam. Unde more humano loquendo dici poteſt, *Non hoc Corpus manducaturi eſtis, Non hunc Chriſtum viſuri*: eo ſenſu quo Paulus dicebat, *Vivo* EGO, *jam* NON EGO. *Quod ſeminas*, NON CORPUS *quod futurum eſt, ſeminas*. Et de eodem homine notabiliter accidentariè immutato, etiam gallico noſtro idiomate, paſſim dicere ſolemus, *Ce n'eſt plus luy*.

Gal. 2.
1. Cor. 15

Denique quum Sanctus Doctor in enarratione ejuſdem Pſalmi nonageſimi octavi, tam expreſsè ac manifeſtè docuiſſet, *Chriſtum ſuſcepiſſe de terra terram, quia caro de terra eſt: & de carne Mariæ accepiſſe carnem: in ipſa carne hìc ambulaſſe; & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dediſſe; neminem autem illam carnem manducare niſi priùs adoraverit; & non ſolùm non peccari adorando, ſed peccari non adorando*: quum hæc inquam tam clarè, tam evidenter, tam expreſsè inculcaſſet Auguſtinus, quonam pacto fieri potuiſſet, ut mox in eodem ſermonis contextu, velut ſui oblitus, veritatem Corporis Chriſti in Euchariſtia negaſſet; adeoque abominandam Idololatriam ſtatuiſſet? Si enim illic non adeſt Caro Chriſti, non eſt illic adoranda; quam tamen *non manducari niſi priùs adoratam*, tam operosè poſt *Ambroſium* adſtruit *Auguſtinus*.

Digitized by Google

OBJECTIO II.

Auguſtinus Epiſtolâ vigeſimâ tertiâ ad Bonifacium ſcribit in hunc modum: *Nónne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur? Nec utique mentitur qui interrogatus reſponderit eum immolari. Si enim Sacramenta quamdam ſimilitudinem earum rerum (quarum Sacramenta ſunt) non haberent, omninò Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm* QUEMDAM MODUM *Sacramentum Corporis Chriſti, Corpus Chriſti eſt: Sacramentum Sanguinis Chriſti, Sanguis Chriſti eſt; ita Sacramentum Fidei Fides eſt.* Hinc colligunt Sacramentarii Zuingliani & Calviniani, non adeſſe, ſeu non eſſe præſens Corpus Chriſti Sacramento Euchariſtiæ, niſi ſignificativè.

Reſpondemus primò, temporibus Auguſtini *Chriſtum in Sacramento omni die populis immolatum fuiſſe,* prout & nunc ab Eccleſia Romana *immolatur.* A prætenta verò Reformata, nullo prorsùs modo *immolatur;* quandoquidem inter Fidei Reformatæ dogmata in ſuo prætento Catechiſmo, Dominicâ quinquageſimâ ſecundâ, hoc expreſſiſſimũ habeant: nimirùm, *Non eſt inſtituta Cœna ad faciendam oblationem Corporis IESV Chriſti.* Addo ñec ab eadem illa prætenta Eccleſia Reformata, *in Sacramento* Cœnæ Calvinianæ, omni die Chriſtum figuratum *populis exhiberi;* ſed quater duntaxat in anno, videlicet in *Paſchate, Pentecoſte, Dominicâ primâ Septembris, & Dominicâ proximiori Natalitiis Domini.* Ita in Belgio obſervatur, non ex ullo Verbo Dei ſcripto, ſed ex puro putoque Miniſtrorum inſtituto & adinventione. Infirmis autem & moribundis nuſquam & nullibi miniſtratur.

Reſpondemus ſecundò, non negari ab Auguſtino, imò expreſſè aſſeri quòd *Chriſtus verè immoletur, ita ut non mentiatur qui interrogatus reſponderit eum immolari in Sacramento,* ſed negari quòd immoletur *in ſeipſo,* id eſt, *ſenſibiliter & cruentè;* quia immolatio illa non afficit Chriſtum *in ſeipſo*

intrinſecè,

intrinſecè, quantumvis illic præſentiſſimum; ſed afficit *Sacramentaliter* duntaxat,& *incruentè*,repræſentando cruentam illius immolationem olim in Cruce factam, ſeu Corpus inſtar occiſi,ac Sanguinem inſtar effuſi,& hoc ipſum, *non ſolùm per omnes Paſcha ſolennitates*, *ſed omni die* fit pro multis in remiſſionem peccatorum.

Reſpondemus tertiò, SECUNDÙM QUEMDAM MODUM, *Sacramentum Corporis Chriſti eſſe Corpus Chriſti*: nimirùm in *ſenſu cauſali*, id eſt, per *modum* cauſæ moralis verè & realiter continentis ſuum ſignificatum, & ſaltem moraliter cauſantis ac conſervantis veram & realem illius præſentiam: quemadmodùm *Fidei Sacramentum* (hoc eſt Baptiſmus) *Fides eſt*; non ſolummodò ſignificativè, ſed etiam cauſaliter & efficaciter, tanquam ſignum cauſativum & demonſtrativum ſui effectus præſentis in fieri. Nam ut ait S. Doctor libro primo de peccatorum meritis & remiſſione, capite nono, *Chriſtus in quo omnes vivificabuntur, præterquam quòd ſe ad juſtitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam ſui Spiritus occultiſſimam Fidelibus gratiam, quam* LATENTER INFUNDIT ET PARVULIS. Ex hac igitur comparatione *Sacramenti Fidei*, ſeu Baptiſmi, cum *Sacramento Corporis Chriſti*, ſequitur ex mente Sancti Doctoris Auguſtini, *Sacramentum Corporis eſſe Corpus*, non nudè ſignificativè, hoc eſt, ut ſignum duntaxat rememorans, & abſtrahens ab effectu & præſentia ſui ſignificati; ſed ut ſignum efficax præſentiæ ipſius, eamque continens & demonſtrans in fieri & conſervari, prout loqui ſolent qui Theologiam Methodicam in Scholis tractant.

OBJECTIO III.

Sanctus Doctor libro contra *Adimantum* Manichæum, Capite duodecimo ita loquitur: *Poſſum etiam interpretari præceptum illud* Deuteronomii duodecimo (in quo dicitur animam pecoris ſanguinem ejus eſſe) *in ſigno eſſe poſitum. Non enim Dominus dubitavit dicere, Hoc eſt Corpus meum, quum ſignum daret Corporis ſui. Sic eſt enim ſanguis anima, quomodò* Petra erat Chriſtus. *Nec tamen ait*, Petra ſignifi-

1. Cor. 12.

cabat

tabat Chriſtum; *ſed ait*, Petra erat Chriſtus. Quæ rurſus *ne carnaliter acciperetur*, ſpiritalem illam *vocat*, *id eſt*, *ſpiritaliter eam intelligi docet.* Hunc textum invertunt & pervertunt Zuingliani & Calviniſtæ contra veritatem Corporis Domini in Euchariſtia.

Reſpondemus primò, hanc Auguſtini comparationem procedere ex aliquali duntaxat ſimilitudine, non verò ex omnimoda æqualitate inter hæc quæ ad invicem comparantur. *Poſſum etiam interpretari*, ait Sanctus Doctor. *Non dicit*, debeo vel oportet interpretari, & comparare cum ſigno Corporis Chriſti (quod utique ſignum ex inſtitutione divina & ſupernaturaliter ac miraculosè continet & exhibet Corpus Chriſti verè ac realiter præſens) *ſed poſſum etiam interpretari*, inquit: nimirùm abſque alterius interpretationis præjudicio.

Reſpondemus ſecundò, quòd quemadmodum ſanguis in corpore ſignum eſt, non ſpeculativum animæ abſentis, ſed potiùs practicum ſeu efficax (ſaltem conſervativum) animæ præſentis: ita Euchariſtiæ Sacramentum ſignum eſt, non commemorativum corporis abſentis aut diſtantis, ſed demonſtrativum verè præſentis, & efficax ipſiùs præſentiæ realis & actualis.

Reſpondemus tertiò, Auguſtinum aſſerendo *quòd Chriſtus Dominus dederit ſignum Corporis ſui*, non negare *quòd Corpus dederit.* Signum dedit, quia Sacramentum dedit; quid enim aliud eſt *Sacramentum* apud Auguſtinum, libro de Catechizandis rudibus, capite vigeſimo ſexto, niſi *viſibile divinarum rerum ſignaculum*? Itaque quia *Sacramentum* dedit, *ſignum* dedit; cui res ſignata, corpus ſcilicet verum verèque præſens, infallibiliter conjungitur. Nec dubitavit dicere Hoc eſt Corpus meum, quũ ejuſcemodi ſignum, non nudum, non inane, non umbratile; ſed ſpecies Sacramentales verum, proprium & naturale Corpus continentes, Apoſtolis daret ac exhiberet.

Si dictum eſſet, *ſignum gratiæ ſuæ*, credere quis potuiſſet quemadmodùm in Baptiſmo, ita in Euchariſtia, nihil

præter

Digitized by Google

præter gratiam inhærentem contineri. Quum verò dicatur *ſignum Corporis*, & quidem tale ſignum, de quo non dubitavit Chriſtus dicere, Hoc eſt Corpus meum: quis verè Chriſtianus dubitet credere Chriſto non dubitanti dicere, Hoc eſt Corpus meum, etſi ſignatum paniſque ſpecie velatum? Vt ſicuti Moyſes dixit ſanguinem pecoris eſſe animam ejus, non quòd ſanguis ſit anima, ſed animæ in corpore latentis indubitatum ſignum; ita liceat Catholicè dicere ſignum corporis eſſe corpus, non quòd externa illa & Sacramentalis ſpecies reverà corpus ſit, ſed latentis in ſe corporis certiſſimum ſignum.

Nec obſtat illud quod ex Apoſtolo adfert Auguſtinus, videlicet *Petra erat Chriſtus*. Non enim *Petra illa materialis* (ex qua percuſſâ fluxerunt aquæ) dicitur eſſe vel fuiſſe Chriſtus: Sed *Petra ſpiritualis*, de qua idem Apoſtolus: *Bibebant* (inquit) *de Spiritali conſequente eos Petra*, & ſubdit: *Petra autem erat Chriſtus*, hæc utique *Spiritalis*, ſignificata per illam *materialem*, prout ſæpè alibi explicat Auguſtinus. Unde nihil aliud vult cum Apoſtolo, niſi ſignificatum iſtius Petræ materialis fuiſſe Chriſtum venturum, & Chriſtum fuiſſe Petram illam Spiritualem ſignificatam per Petram materialem.

Reſpondemus quartò, Signi nomen referri poſſe ad Sacrificium, quod Chriſtus Dominus quum dixiſſet, *Hoc eſt Corpus meum*, in Paſſionis ſuæ memoriam voluit celebrari. Hoc namque Corporis pro nobis in Ara Crucis oblati efficaciſſimum pariter & expreſſiſſimum eſt. Quod *Guitmundus* Arvernenſis Epiſcopus ante annos plùs minùs ſexcentos aſſeruit, & ex Auguſtino confirmavit, his verbis: *Celebrationem Dominici Corporis, ſignum dixit* Auguſtinus: *quod idem & nos credimus. Nam quotiés celebratio Corporis & Sanguinis Domini agitur, non equidem Chriſtum iterùm occidimus; ſed mortem ejus in ipſa & per ipſam celebrationem memoramus. Eſtque ipſa celebratio, Paſſionis Chriſti quidem commemoratio: commemoratio autem Paſſionis ipſam Paſſionem ſignificat. Celebratio igitur Corporis & Sanguinis Domini, Paſſionis Chriſti eſt ſignum.* Hæc ille.

Digitized by Google

Neque tibi (Chriſtiane Lector) mirum videri debet, ſi ad commemorandam à tot retrò annis tranſactam Paſſionem & Mortem Domini, Corpus ipſius verè præſens (prout verè præſens eſt) adeſſe credamus. Reflecte enim ſi placet ad id quod Exodi decimo ſexto capite legitur, videlicet: *Appellavit Domus Iſraël nomen ejus Manna, quod erat quaſi ſemen Coriandri Album, guſtuſq; ejus quaſi ſimilæ cum melle. Dixit autem Moyſes; iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, imple Gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retrò generationes, ut noverint panem quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Ægipti. Dixitq; Moyſes ad Aaron: ſume vas unum, & mitte ibi Manna, quantùm poteſt capere Gomor, & repone coram Domino, adſervandum in generationes veſtras, ſicut præcepit Dominus Moyſi: poſuitque illud Aaron in Tabernaculo reſervandum.* Exodi 16.

Per Manna figuratam fuiſſe EUCHARISTIAM, maniſeſtiſſimè docet Auguſtinus, Tractatu undecimo in Evangelium Joannis & alibi. Aug. Tract. 11. in Evāg. Ioan.

Quando (inquit) *manducavit Manna populus Iſraël? Quum tranſiſſet mare rubrum. Mare rubrum quid ſignificet, audi Apoſtolum*: nolo vos ignorare Fratres, quia omnes Patres noſtri ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt: *Vt quid per mare tranſierunt? Quaſi cauſam quæreres ab illo, ſequutus ait*: Et omnes per Moyſen baptizati ſunt & in nube & in mari. *Si ergo figura maris tantùm valuit, ſpecies baptiſmi quantùm valebit? Si quod geſtum eſt in figura, trajectum populum ad* MANNA *perduxit, quid exhibebit Chriſtus in veritate baptiſmi ſui, trajecto per eum populo ſuo? Per baptiſmum ſuum trajicit credentes, occiſis omnibus peccatis, tanquam hoſtibus conſequentibus; ſicut in illo mari omnes Ægiptii perierunt. Quò trajicit Fratres mei? Quò trajicit per baptiſmum* JESUS, *cujus figuram tunc gerebat Moyſes, qui per mare trajiciebat? Quò trajici? Ad* MANNA. *Quod eſt* MANNA? Ego ſum (inquit) panis vivus, qui de Cælo deſcendi. Ioan. 6. MANNA *accipiunt fideles jam trajecti per mare rubrum. Quare mare rubrum? Iam mare, quare* RUBRUM? *Significabat* I. Cor. 10.

mare

Digitized by Google

mare illud RUBRUM, *baptiſmum Chriſti. Vnde* RUBET *baptiſmus Chriſti: niſi Chriſti Sanguine conſecratus? Quò ergo perducit credentes & baptizatos? Ad* MANNA. *Ecce dico,* MANNA. *Notum eſt quid acceperint Iudæi, populus iſte Iſraël. Notum eſt quid illis pluiſſet Deus de Cælo; & neſciunt Catechumeni quid accipiant Chriſtiani. Erubeſcant ergo quia neſciunt, tranſeant per mare rubrum, manducent* MANNA, *ut quomodò crediderunt in nomine* JESU; *ſic ipſis ſe credat* JESUS. Hæc Auguſtinus.

Jam vide Zuingliane, vide Calviniane, niſi forſan tam corporis quàm mentis oculis captus ſis; vide, (inquam) lege & diſce ab Auguſtino per *mare rubrum* figurari *baptiſmum*, per MANNA verò *Euchariſtiam*. MANNA *accipiunt Fideles jam trajecti per mare rubrum. Manducant* MANNA, *& ipſis ſe credit* JESUS. Si Euchariſtia nihil aliud eſt quàm figura, ergo Manna Judæorum fuit figura figuræ, & nos Chriſtiani non niſi figuram habemus, quum
Ioan. 1. tamen aſſerat Joannes *gratiam & veritatem per* JESUM *Chriſtum factam eſſe*? Si ſola figura eſt Euchariſtia noſtra, ubinam & quando *Gratia & Veritas*? *Non ſe* ergo *nobis credit* JESUS, ſed figuram ſuam duntaxat? At hoc dicit Zuinglius, hoc dicit Calvinus: non tamen hoc dicit Auguſtinus. *Tranſeant* (inquit) *per mare rubrum, manducent Manna*, ut ipſis *ſe credat IESVS*.

Rurſùs vide Zuingliane, vide Calviniane, lege, diſce & expende Scripturam, in qua tantoperè gloriaris. *Re-*
Exod. 16. *ſervatum eſt* MANNA, *& idem ipſum* MANNA quod olim in
Pſal. 77. deſerto *pluerat Deus Iſraëlitis ad manducandum.* Dei juſſu *cuſtoditum eſt in futuras retrò generationes, ut Iudæi noſſent panem quo aluerat eos Deus in ſolitudine, quando educti fuerunt de terra Ægipti. Repoſitum eſt coram Domino ad ſervandum in generationes, & poſuit illud Aaron in Tabernaculo.* Vidéſne reſervatum & cuſtoditum Manna in ſubſtantia & non in figura, ut per ipſum idem verè & realiter præſens, *futuris retrò generationibus innoteſceret* ſingulare Dei beneficium, quo aluerat populum ſuum in ſolitudine? Ergo & verum

Digitized by Google

rum verèque præſens Manna fuit, & tamen rei prætcritæ commemorativum. Ita verum & verè præſens eſt Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia, & ipſiſſimum Corpus, quod pro nobis traditum eſt; & tamen Paſſionis ac Mortis Domini commemorativum. Hoc eſt magnum & maximum myſterium (olim præfiguratum in Manna) quod non credit Paganus, non credit Judæus, non credit Mahumetanus, non credit Zuinglianus nec Calvinianus. Solus credit verus Catholicus, & quod non capit, quod non videt, animoſa firmat Fides præter rerum ordinem.

OBJECTIO IV.

Sanctus Doctor in Pſalmum tertium, *mirandam* dicit *patientiam Chriſti, qui Iudam tamdiu pertulit, quum eum adhibuit ad Convivium in quo Corporis & Sanguinis ſui figuram Diſcipulis commendavit & tradidit.* Item in libro tertio de Doctrina Chriſtiana, capite decimo ſexto, *hanc locutionem*, niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, *vult eſſe figuratam*, S. Aug. in Pſal. 3

Reſpondemus primò, non eſſe intelligendam Sanctiſſimi Patris Doctrinam, in præmemoratum Pſalmum tertium, *de figura quadam inani* & merè duntaxat repræſentativa Corporis & Sanguinis abſentis: ſed de *figura* & ſpeciebus Sacramentalibus quæ continent & demonſtrant ipſummet Corpus verè præſens cum Sanguine; quemadmodùm figura Corporis naturalis eſt verè demonſtrativa ejuſdem Corporis, cujus eſt figura. Id tamen intereſt, quòd hæc ſit Corpori naturali propria, eique inhærens & adhærens: illa verò nec inhæreat nec adhæreat Corpori & Sanguini Domini; ſed modo exiſtendi prorsùs miraculoſo, verè contineat & deſignet Corpus & Sanguinem Domini ſub aliena ſpecie occultatum. Confirmatur hæc Reſponſio: quia quum Chriſtus *faceret Paſcha cum Diſcipulis ſuis*, & tum Agno Paſchali tum aliis conſimilibus figuris finem imponeret, non inſtruebat novas ac imperfectiores (quandoquidem nudæ panis & vini figuræ longè imper- Matt. 26

 fectiùs

fectiùs figurarent Corpus & Sanguinem, vel etiam Paſſionem aut Mortem Chriſti, quàm *Agnus Paſchalis*) ſed ſubſtituebat multò perfectiores, quæ nimirùm continerent & deſignarent ipſum verum Corpus, ipſum verum Sanguinem: Nam ſic aiebat; *Accipite & comedite, hoc eſt enim Corpus meum. Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quòd ſi *novi Teſtamenti*, ergo & *terminativi* (ut ita loquar) figurarum antiqui Teſtamenti.

Addo à Sancto Doctore Auguſtino *mirandam prædicari patientiam Chriſti, qui Iudam adhibuit ad convivium, in quo Corporis & Sanguinis ſui figuram tradidit.* Si enim ſolam, meram, nudam & quodammodò inanem figuram tradidiſſet, non adeò miranda foret patientia Chriſti Domini. Sed in hoc maximè elucebat, quòd perfidiſſimo proditori ſimul cum figura Corpus & Sanguinem ſuum porrigeret. Prout idem Auguſtinus clariùs expreſſiuſque aperit, & ſemetipſum explicat in Pſalmum decimum, dum ait: *Chriſtus Traditorem ſuum tantâ patientiâ pertulit, ut ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut cæteris Apoſtolis traderet.* Vocat *primam Hoſtiam confectam manibus Chriſti*, id eſt, ipſius potentiâ conſecratam, neque enim aliter confecerat aut pinſendo aut farinam ſubigendo, aut maſſam componendo aut coquendo. Subdit Auguſtinus *fuiſſe ore Chriſti commendatam*, id eſt inſtitutam ac præceptam.

Reſpondemus ſecundò, Quòd attinet ad ea quæ nobis objiciunt Zuingliani & Calviniani, ex Sancto Doctore Auguſtino, libro tertio de Doctrina Chriſtiana, capite 16. Reſpondemus inquam, ab eodem Sancto Doctore illic præſcribi ac ſtatui regulam *interpretandi propriè* verba Scripturæ Sacræ, pro ſenſu veritatis, puritatis ac charitatis quæ ſit Deo digna: *neque declinandi à verborum proprietate*, niſi hoc ipſum exigat, & ad hoc quaſi compellat eadem dignitas Dei & doctrinæ divinæ. Quum enim dixiſſet *Flagitium vocari id quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum*

R. P. Hauzeur Tom. 2. in S. Aug columna 185.

pendum

pendum animum & corpus ſuum : quod autem agit ad nocendum alteri, facinus dici; quodque in aliis plerumque flagitium eſt, in divinâ vel propheticâ perſonâ magnæ cujuſdam rei ſignum eſſe; ita tandem ſubjunxit : *Si præceptiva locutio eſt, aut flagitium aut facinus vetans; aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt.* Porrò quid dignius ac condignius, & quid magis decens beneficentiam divinam, quid etiam utilius ad hominum ſalutem promovendam, quàm quòd donet & conferat Corpus & Sanguinem ſuum ad alimentum animarum? Quid æquius quàm quòd prima & infallibilis Veritas ac veracitas, effectu præſtet & reipsâ exhibeat id ipſiſſimum quod tantâ aſſeveratione affirmavit, dum dixit : *Caro mea* VERE' *eſt cibus, & Sanguis meus* VERE' *eſt potus* : tantâque liberalitatê promiſit, his verbis : *Panis quem ego dabo,* CARO MEA EST *pro mundi vita*? Aliunde quid indignius aut fingi aut blaſphemari poteſt adversùs ſinceritatem divinam, quàm impio ſenſu adſtruere & aſſerere, ipſam tot fideliſſimis animabus, *ſentientibus de Domino in bonitate*, verbo ejus affirmativo piè ſimpliciterque credentibus voluiſſe in re tanti momenti illudere, locutione quâdam metaphoricâ; eâque abuti tanquam propriâ & literali : imò ſupponere & imponere ſolam nudamque figuram Corporis & Sanguinis ſui pro veritate : ac denique novum quoddam idololatriæ genus, pro vero puroque Dei cultu, in univerſum terrarum orbem invehere? Unde enim tot Altaria in omnibus totius mundi Regionibus, in quibus plantata fuit Religio Chriſtiana, & radicata? Unde adoratio illa publica, cujus ſupra meminerunt *Ambroſius & Auguſtinus*, niſi ex firmiſſima perſuaſione & fide realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Domini in Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? Perſtant adhuc antiquiſſimæ aræ in vetuſtiſſimis Templis, quibus vel furor Gentilis, vel Mahumetana rabies, vel Hæretica phrenesis non potuit violentas & ſacrilegas manus injicere.

Quòd autem locutio illa, ſexto Joannis capite, *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, &c. facinus vel flagitium videtur jubere; figurata eſt ergo* (infert Sanctus Doctor) facillimum eſt intelligere quo ſenſu hoc dicat, eo nimirùm quo præceptiva illa locutio *facinus vel flagitium videtur jubere.* Sed quibus *vel facinus vel flagitium videtur,* niſi *Capharnaitis* eorumque imitatoribus, quibus *durus eſt hic Sermo?* Unde idem ipſe Doctor alibi: *Iſti citò defecerunt* (inquit) *talia loquente Domino IESV Chriſto. Non crediderunt aliquid* MAGNUM *dicentem, & verbis illis gratiam aliquam cooperientem: ſed prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum:* videlicet quaſi *diſponeret IESVS carnem quâ indutum erat Verbum, veluti conciſam distribuere credentibus in ſe.* Durus eſt (inquiunt) hic Sermo, & quis poteſt eum audire?

S. Aug. Tract. 17 in Ioan.

Quare ergo *durus hic Sermo* Capharnaitis? niſi quia *durâ cervice & incircumciſis cordibus & auribus,* verba Chriſti Domini ad ſenſum & imaginationem ſuam detorquebant, tanquam ſi Corpus illius modo quodam flagitioſo, aut facinoroſo & antropophagico comedendum foret aut potius vorandum. Longè tamen alius erat ſenſus verborum Domini, longè nunc alius eſt intellectus & praxis Eccleſiæ Catholicæ, dum ex intentione Sponſi ſui *manducat ejus Carnem,* & *bibit illius Sanguinem* modis prorſùs oppoſitis imaginationi Capharnaiticæ, ſcilicet *puriſſimè* ſub ſpeciebus Sacramentalibus ſine ulla vel minima flagitii umbra; & *piiſſimè* ſub iiſdem ſpeciebus viſibilibus, diviſibilibus ſeu frangibilibus, guſtabilibus & comeſtibilibus; abſque ulla Corporis Chriſti læſione, diviſione, fractione in ſe, alteratione, aliâve cruentâ vel facinoroſâ crudelitate.

Act. 7.

Hinc quum benigniſſimus Servator noſter palam loqueretur, & veritatem pietatemque eoſdem illos Capharnaitas doceret, ipſi pro duritia & incredulitate ſua perverterunt ſenſum Verborum Domini; quibus utique (ait Auguſtinus) *intenti eſſe debuerant, non adverſi.* Adeoque nec

Digitized by Google

nec retractavit verba ſua, nec correxit, nec ad Metaphoram deflexit, nec ſe figuratè intelligere & proponere, vel minimo indicio teſtatus eſt: quod tamen perquàm neceſſarium fuiſſet ad avertendum magnum ſcandalum inde oriturum (ſi ullum reverà ſubfuiſſet.) At è contra *ſciens IESVS apud ſemetipſum quia murmurarent de hoc Diſcipuli ejus, dixit eis: hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium Hominis aſcendentem ubi erat priùs?* Quaſi inferret, Aſcenſio mea multò magis ſcandalizabit vos, quando nimirùm ex illa Aſcenſione & præſentiâ Corporis mei in Cælo, erroneè utique colligetis ejuſdem abſentiam ab Altaris Sacramento. Pergit Chriſtus Dominus, *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam, verba quæ locutus ſum vobis, Spiritus & Vita ſunt.* O DOMINE (ait Auguſtinus) *quomodò Caro non prodeſt quicquam? Non prodeſt quicquam, quomodò illi intellexerunt. Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodò in cadavere dilaniatur, aut in Macello venditur; non quomodò ſpiritu vegetatur.* Caro non prodeſt quicquam, *quomodò* ſcientia inflat, *ſola, ſine charitate. Accedat Spiritus ad carnem, quomodò charitas ad ſcientiam & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum Caro non fieret.* Ioan. 6. S. Aug. Tract. 27 in Ioan.

Subdit Chriſtus Dominus: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio IESVS* QUI *eſſent* NON CREDENTES, *&* QUIS TRADITURUS *eſſet eum. Et dicebat,* Propterea dixi vobis quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. *Ex hoc multi Diſcipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo IESVS ad duodecim: Nunquid & vos* vultis abire? *Reſpondit ei Simon Petrus:* Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes; & nos credidimus & cognovimus, quia tu es CHRISTUS FILIUS DEI. *Vitam æternam habes* (ut explicat Auguſtinus) *in miniſtratione Corporis & Sanguinis tui.* Et nos credidimus & cognovimus, quia tu es CHRISTUS Filius Dei, *id eſt, quia vita ipſa æterna tu es, & non das in* CARNE *&* SANGUINE TUO, *niſi* QUOD ES. S. Aug. Tract. 27. in Ioan.

Tandem concludit JESUS, & reſpondens Petro, ait:

Digitized by Google

Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus eſt? Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, quum eſſet unus ex duodecim. Agnoſcant itaque Zuingliani & Calviniani, omnium Hæreticorum Patriarcham, ſed potiſſimè Sacramentariorum Proto-parentem *Iſcariotem* propudioſiſſimo Diaboli nomine in Evangelio ab ipſo Christo Domino deſignatum, teſte Chryſoſtomo: & vel ſaltem erubeſcant tam perfido tamque execrando Duci adhærere, ac ſub illius Diaboli ſignis adversùs Sacro-Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum decertare.

Chryſoſt. Homil. 46. in Ioan. 6.

Addo, propriè & ſine metaphora poſſe verum Christi Domini Corpus comedi in Sacramento, ejuſque Sanguinem bibi: quandoquidem ſola trajectio cibi & potus in ſtomachum, ſit de propra ratione comedendi & bibendi; non autem ipſa maſticatio & aliæ actiones, quæ non videntur eſſe niſi diſpoſitiones quædam ad veram propriéque dictam manducationem & refectionem. Nam aliorum ciborum ſubſtantiæ, *verbi gratiâ*, panis, carnis, caſei & ſimilium non comeduntur ſenſibiliter & diviſibiliter, niſi ſecundùm accidentia ſua: quemadmodum non olent, non ſapiunt, non percipiuntur tactu, niſi ſecundùm accidentia: & tamen in his locutionibus, *cibus olet, ſapit, calet, &c.* nemo agnoſcit metaphoram: ita etiam verum Christi Domini Corpus propriè manducatur ſub ſpeciebus panis & vini, quæ fiunt æquè Corporis ejuſdem accidentia (demptâ ac ſeclusâ inhæſione) ſicuti antea erant propriæ ſuæ ſubſtantiæ, nimirùm panis accidentia, quibus non eſt proprium comedi & bibi; ſed ſubſtantiæ ſub accidentibus aut ſpeciebus ſive propriis ſive alienis.

Denique, eſto demus Adverſariis aliquid ibi figuratè dici, dum ea quæ competunt ſpeciebus, videlicet *dividi, guſtari, comedi*, transferuntur ad Corpus Christi ſub illis ſpeciebus? Quid inde tandem conficient Adverſarii noſtri? An fortaſſis Zuingliano vel Calviniano more illaturi ſunt, *ergo non eſt verum Corpus: non eſt verus Sanguis* ſub illis ſpeciebus? Quis ferret ſic inſulsè ratiocinantem; *Agno*

Paſchali

Digitized by Google

Paſchali apud Judæos, *panibus propoſitionis*, & ejuſcemodi ſuberat aliqua figura, non erat igitur verus Agnus, non erant veri panes verè realiterque præſentes? Certò certiùs ſi perduelles illi juratique Euchariſtiæ Catholicæ inimici (Pſeudo-Miniſtros dico) hoſtilem animum tantiſper exuere aut ſaltem deponere vel ſeponere aut vellent aut poſſent, Sectarios ſuos circa hoc ipſiſſimum Sacramentum edocerent, quod circa Baptiſmum dogmaticè docent, in prætento Catechiſmo Reformato, Dominicâ quadrageſimâ nonâ. Movent enim quæſtionem, *An Baptiſmi aqua ſit ſola nudaque figura?* & reſpondent, *ſic eſſe figuram, ut tamen* VERITAS *ſit ei conjuncta.* Cauſam adducunt, *quia Deus nihil fruſtrà ſeu in vanum promittit.*

Dum igitur hanc movent quæſtionem, *An Cœna ſit nuda ſolaque figura Corporis & Sanguinis Domini?* Cur non reſpondent, *Sic ibi aliquid figuræ ſubeſſe, ut tamen veritas Corporis & Sanguinis præſentis ſit conjuncta figuris externis, ſeu ſpeciebus panis & vini?* Eadem enim urget ratio, nimirùm *quòd Deus nihil fruſtrà vel in vanum promittat*: Atqui promiſit expreſſiſſimè, *Panis quem ego dabo Caro mea eſt pro mundi vita. Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*, non ergo fruſtra vel in vanum promiſit, adeoque ex vi promiſſionis & exhibitionis promiſſorum debet eſſe Corpus verè præſens. Sed ſi hoc faterentur Adverſarii, ſtatim corrueret prætenta Reformatio, ceſſaret Pſeudo-Miniſterium & pingue opimumque ſtipendium, tolleretur factio, Zuinglii Calvinique Synagoga evaneſceret, & in prioris inviſibilitatis ſuæ chaos inane illicò relaberetur. Hinc conſultiùs videtur Miniſtris fovere rebellionem adversùs Eccleſiam Catholicam, etiam agnitam impugnando veritatem, quàm iis emolumentis temporalibus & corporalibus carere, propter quæ ſuſcitatum eſt Schiſma & invecta Hæreſis longè atrociſſima & pernitioſiſſima.

Digitized by Google

SESSIO IX

De Sacro-Sancto novæ Legis Sacrificio.

ORACULA AUGUSTINIANA.

S. Aug. lib. 9. Confeſſ. cap. 13.

MOnica Beati Auguſtini piiſſima Mater, *imminente die reſolutionis ſuæ non curavit corpus ſuum ſumptuosè contegi, aut aromatibus condiri. Non iſta mandavit: ſed tantummodò memoriam ſui ad* ALTARE *fieri deſideravit, cui nullius diei prætermiſſione ſervierat; unde ſciret diſpenſari victimam Sanctam, quâ deletum eſt chyrographum, quod erat contrarium nobis. Ad cujus pretii noſtri Sacramentum ligaverat animam ſuam vinculo Fidei.* Inſpira Domine Deus meus (proſequitur Auguſtinus) inſpira Servis tuis Fratribus meis, Filiis tuis Dominis meis, quibus & voce & corde & literis ſervio; ut quotquot hæc legerint, meminerint ad ALTARE tuum, meminerint Monicæ famulæ tuæ cum Patritio quondam ejus Conjuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam; ut quod à me illa popoſcit extremum, uberius ei præſtetur in multorum orationibus.

Cap. 12. ibid.

Preces *fudimus quum* OFFERRETUR *pro ea* SACRIFICIUM *pretii noſtri, jam juxta Sepulchrum poſito cadavere priuſquàm deponeretur, ſicut fieri ſolet.*

S. Aug. lib. 20. cont. Fauſt. c. 18.

Volo mihi dicatis cur Templum, Ara, Sacrificium, *in vera Religione prædicantur? Chriſtiani, peracti* à Chriſto *Sacrificii memoriam celebrant, Sacroſanctâ Oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Chriſti.*

Ibidem cap. 21.

Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificamus, quamvis in Memoriis Martyrum conſtituamus ALTARIA. *Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Corporum aſſiſtens* ALTARI *aliquando dixit:* Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? *Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit, apud Memorias eorum quos coronavit: ut ex ipſorum locorum admonitione,*

Digitized by Google

admonitione, major affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus.

Eſt magnum Sacramentum in Sacrificio novi Teſtamenti, quod ubi, & quomodò & quando offeratur, quum fueris baptizatus, invenies. Epiſt. 110. ad Hon. c 19.

Quid tam charè ac gratè ſuſcipi poſſet, quàm Caro Sacrificii noſtri? 4. Trin. 14.

In ipſo veriſſimo & ſingulari Sacrificio Domino Deo noſtro gratias agere *admonemur.* De Spir. & lit. c. 11.

Chriſtus & Sacerdos eſt & Oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ Sacrificium. Hujus ſigna erant Sacrificia priſca Sanctorum. Huic ſummo veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falſa ceſſerunt. Lib. 10. de Civit. Dei c. 20.

Sacrificium & Oblationem noluiſti, Pſalmo 39. *quia pro omnibus illis Sacrificiis, Corpus ejus offertur & participantibus miniſtratur.* Ibid. lib. 17. c. 20.

Hoc Sacrificium per Sacerdotium Chriſti ſecundùm Ordinem Melchiſedech, quum in omni loco à Solis ortu uſque ad occaſum, Deo jam videamus offerri; *Sacrificium autem Iudæorum ceſſaſſe, quid adhuc expectant alium Chriſtum?* Ibid. lib. 18. c. 35.

Vir Tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Zubedi appellatum. Vbi cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum, domum ſuam Spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros (me abſente) Præsbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit Sacrificium Corporis Chriſti, orans quantùm potuit ut ceſſaret illa vexatio. Et Deo protinus miſerante ceſſavit. Ibid. lib. 22. cap. 8.

In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non tamen parva eſt Vniverſæ Eccleſiæ, quæ in hac Conſuetudine claret authoritas: ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus ALTARE *funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* S. Aug. lib. de cura pro mort. cap. 1.

Non exiſtimemus ad mortuos (pro quibus curam gerimus) pervenire, Ibid. cap. 18.

Digitized by Google

pervenire, niſi quòd pro eis ſive ALTARIUM, *ſive Orationum, ſive Eleëmoſynarum Sacrificiis ſolenniter ſupplicamus.*

Poſſent (*benevole Lector*) longè plura alia Sanctiſſimi & Eximii Doctoris Auguſtini expreſſiſſima teſtimonia congeri & coacervari, ad noſtros Adverſarios vel convincendos vel obruendos: ſed iis ſuperſedeo, ut brevitati conſulam. Mihi enim propoſitum eſt & decretum, non niſi ſuccinctè, ſucculentè & luculentè ſeu clarè ea in medium proferre, quæ vel heterodoxis commonefaciendis & ab Hæreſi ad Fidem reducendis; vel Orthodoxis confirmandis & ab infidelitate præſervandis, ſatis & abundè utilia aut neceſſaria eſſe judicavero.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino & florentiſſimâ (ipſius tempore) Eccleſiâ Catholicâ, *facit* Fidelium ſuorum *memoriam ad Altare. Offert pro ipſis Sacrificium pretii noſtri. Peracti à Chriſto Sacrificii memoriam celebrat ſacroſanctâ oblatione. Antiſtites ejus aſſiſtentes Altari offerunt Deo qui Martyres coronavit. Nihil charius & gratius à Deo ſuſcipi creditur, quàm Caro Sacrificii.*

Prætenta REFORMATA in ſuo Catechiſmo, Dominicâ quinquageſimâ ſecundâ, verbis expreſſis aſſerit *Cœnam non eſſe inſtitutam ad faciendam oblationem Corporis IESV*
2. Theſſ. 2. *Chriſti.* Hinc *myſterium jam operatur iniquitatis*, Aras & Altaria evertit, Sacerdotes proſcribit, eique cooperari geſtit
Daniel 11 qui *juge Sacrificium ablaturus eſt.*

SESSIO X.

De Sacramento Pœnitentiæ.

ORACULA AUGUSTINIANA.

S. Aug. lib. 22. contra Fauſt. cap. 29.

MOrtales delectationes ad mortalem ſalutem cujuſque hominis, ſive ipſius humani generis, vel excitandæ vel relaxandæ ſunt. Vltra ſi prolapſæ fuerint libidines erunt. Quòd ſi etiam perturbatum

perturbatum rectorem in tantam voraginem perditæ Conſuetudinis mergant, ut vel inultas fore credens, CONFESSIONIS *&* POENITENTIÆ *negligat medicinam, vel blaſphemum eis patrocinium adhibeat; atque ita diem fungatur extremum, non jam emendatione ſed damnatione dignum lex irreprehenſibilis cenſet.*

Quum omnium eſt commune periculum, ii qui aliis indigent, non deſerantur ab his quibus indigent. Quando plebs manet & Miniſtri fugiunt, quid erit niſi Mercenariorum fuga damnabilis? *An non cogitamus quum ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu atque ab omni ætate concurſus: aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem? Vbi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt vel ligati? Quanta blaſphemia de abſentia Miniſtrorum? Si autem Miniſtri adſint, omnibus ſubvenitur. Alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis communione fraudantur.* S. Aug. Epiſt. 180. ad Honor. Co. Epiſc.

Vidi Sedes & ſedentes ſuper eas, & judicium datum eſt, Apocalypſis vigeſimo capite. *Non hoc putandum eſt de ultimo judicio dici: ſed Sedes Præpoſitorum, & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur.* Judicium autem datum, *nullum meliùs accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt:* Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cælo; & quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo. Et animæ (*inquit*) occiſorum propter teſtimonium JESU & propter Verbum Dei, *ſubauditur quod poſteà dicturus eſt,* regnaverunt cum JESU mille annis. *Animæ ſcilicet Martyrum nondum ſibi corporibus ſuis redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioqui nec ad* ALTARE *Dei fieret eorum memoria in communicatione Corporis Chriſti: nec aliquid prodeſſet ad ejus in periculis Baptiſmum currere, ne ſine illo finiatur hæc vita: nec ad* RECONCILIATIONEM, *ſi fortè per pœnitentiam malámve* S. Aug. lib. 20. de Civit. Dei c. 9. Mat. 18. Ioan. 20.

Digitized by Google

malámve conſcientiam quiſque ab eodem corpore ſeparatus eſt. Cur enim fiunt iſta, niſi quia Fideles etiam defuncti, membra ejus ſunt?

S. Aug. enarrat. in Pſalm. 146. Ædificans Hieruſalem Dominus, & diſperſiones Iſraëlis colligens. *Quomodò colligit?* Qui ſanat contritos corde. *Qui cor non conterunt, non ſanantur.* Et alligat contritiones eorum. *Cor tortum eſt durum: frangatur, conteratur ut dirigatur. Dirigere cor tuum non potes; frange, ille diriget. Quomodò frangis? Quomodò conteris? Confitendo, puniendo peccata tua. Quid aliud ſignificat pectorum tunſio? niſi fortè putamus oſſa noſtra aliquid peccaſſe?* Alligat contritiones tuas; *donec conſolidetur quod fractum eſt.* Quæ ſunt iſta alligamenta? *Temporalia Sacramenta. Quicquid in Eccleſia agitur temporaliter, alligamenta ſunt contritionum. Quemadmodùm enim Medicus perfectâ ſanitate detrahit ligaturam, ſic in illa Civitate quum æquales Angelis facti fuerimus. Aut ibi recitandum eſt nobis Evangelium ut Fides noſtra permaneat? Aut imponenda eſt manus ab aliquo Præpoſito? Iſta omnia alligamenta fracturæ ſunt: perfectâ ſanitate detrahentur.*

S. Aug. Homil. 23. ex 50. *Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt* illud Matthæi decimo octavo capite: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo.

Homil. 49. *Agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia. Nemo ſibi dicat:* Occultè ago, apud Deum ago. Novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. *Ergo ſine cauſa dictum eſt:* Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo? *Ergo ſine cauſa ſunt data Claves Eccleſiæ Dei? Ergo fruſtramus verba Chriſti?*

Homil. 50. *Implicatus vinculis mortiferis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas Claves Eccleſiæ, quibus* ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in Cælo. Judicet ergo ſeipſum, *& quum ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ ſententiam; veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia Claves miniſtrantur: & tanquam bonus incipiens eſſe Filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum: ut in offerendo Sacrificio cordis contribulati, devotus & ſimplex id agat, quod non ſolùm illi proſit ad ſalutem; ſed etiam cæteris ad exemplum.*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Eximio Doctore ſuo Auguſtino, credit *non ſine cauſa* dictum eſſe à Sponſo ſuo Jesu Chriſto: *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo.* Credit *non ſine cauſa* ſibi *datas eſſe Claves. Non fruſtrat verba Chriſti. Implicatos vinculis mortiferis peccatorum* monet, arguit, increpat, obſecrat, ne detrectent aut differant aut dubitent confugere ad Claves. Jubet ut ſemel ſaltem in anno à Præpositis Sacramentorum *accipiant ſatisfactionis ſuæ modum.*

Prætenta REFORMATA hanc ſaluberrimam medicinam, Sacramentalem nimirùm Pœnitentiam reſpuit, abnuit, repudiat; dum in publica Pſeudo-Fidei Genevenſis profeſſione, Articulo vigeſimo quarto *Confeſſionem auricularem* (uti vocat) *ex officina Satanæ prodiiſſe*, non minùs falsò quàm impiè & blaſphemè credit.

Sed adverte (*benevole Lector*) exploſâ Confeſſione Catholicâ, quam & qualem prætenti Reformatores invexerint Confeſſionem, Dominicis diebus faciendam, ipſo præeunte Miniſtro Calviniano, his verbis: *Domine Deus, Pater Æterne & Omnipotens, coram Sancta Majeſtate tua, abſque fictione ullâ, confitemur & agnoſcimus nos eſſe peccatores miſeros, in iniquitate ac corruptione conceptos & natos; ad malè agendum proclives, ad omne bonum inutiles: noſq; vitio noſtro, ſine fine & ſine intermiſſione transgredi mandata tua Sancta. Quod quidem faciendo, ruinam & perditionem ſuper nos juſto tuo judicio acquirimus.* Ita verbatim habent. Forma Precum Eccleſiaſtic. ſub initium Ritual. ſeu Cæremonialis Reform.

Mirare & obſtupeſce, quis Spiritus vertiginis invaſerit, occuparit, & abripuerit Proto-Reformatores ac Novatores

vatores illos. Ex ſuperba quâ contra Catholicam tument animoſitate, *Confeſſionem Sacramentalem* antiquiſſimam, ſaluberrimam & ſecretiſſimam penitùs abrogarunt ac eliminarunt, ut novam quamdam propudioſam & publicam Sectariis ſuis obtruderent.

Si ulli mortalium credendum, certè fides ei habenda eſt in hiſce circumſtantiis, videlicet dum *coram Sancta Majeſtate Domini Dei, Patris æterni & omnipotentis, aliquid publicitùs confitetur & agnoſcit, citra fictionem ullam.* Hoc autem faciunt prætenti Reformati & Reformatæ, quum ad templa ſua Dominicis diebus conveniunt: ipſis igitur (hac in re ſaltem) eſt fides adhibenda. Attende itaque quid confiteantur. Ipſimet ore proprio exprimunt.

Primò, quidem fatentur & agnoſcunt ſe *vitio ſuo, ſine fine & ſine intermiſſione tranſgredi Sancta Dei mandata*, adeóque ex neceſſaria quadam conſecutione, ſe eſſe *idololatras, blaſphemos, homicidas, adulteros fures, falſarios*, eaque *ſine fine & ſine intermiſſione* perpetrare, quæ Sanctiſſimis Dei legibus & mandatis adverſantur.

Secundò, fatentur ultrò & agnoſcunt; *ſe illa patrando, ruinam & perditionem ſuper ſe, juſto Dei judicio acquirere.* Nec malè hoc poſterius cum illo priori connectunt, quid enim aliud *ſine fine & ſine intermiſſione tranſgredientes Sancta Dei mandata* mereri & conſequi poſſunt, niſi *ruinam & perditionem, juſto Dei judicio acquirendam* & infligendam?

Vides quantâ juſtitiæ divinæ æquitate puniantur ſuperbi Confeſſionis Sacramentalis contemptores & repudiatores: dum enim Sacerdoti peccata ſua clam aperire nolunt *ut ſolvantur*; ecce palam, omnium ſe criminum reos pronuntiant, & *ob tranſgreſſionem abſque fine & intermiſſione, ruinæ & exitio*, hoc eſt, *perpetuæ* ac *infallibili damnationi* ſeſe obnoxios eſſe, toti mundo teſtantur.

SESSIO

Digitized by Google

SESSIO XI.

De Extrema-Vnctione.

ORACULA AUGUSTINIANA.

BEatus Auguſtinus prodeſſe omnibus volens, & volentibus multa librorum legere, & non valentibus (ait *Poßidius* Calamenſis Epiſcopus in vita ejuſdem Auguſtini, capite vigeſimo octavo) ex utroque divino Teſtamento, veteri & novo, præmiſsâ præfatione, præcepta divina ſeu vetita, ad vitæ regulam pertinentia excerpſit. Atque ex his unum codicem fecit; ut qui vellet legeret, ac in eo vel quàm obediens Deo, inobedienſque eſſet, agnoſceret. Et hoc opus *ſpeculum* voluit appellare.

Porrò in præfatione docet idem B. Auguſtinus, in Scripturis Sanctis, Propheticis, Evangelicis & Apoſtolicis, authoritate Canonica præditis, quædam ſic eſſe poſita ut tantùm ſcirentur & crederentur: quædam verò ſic eſſe juſſa ut obſervarentur & fierent; vel prohibita ne fierent. Horum autem quæ jubendo & vetando ſcripta ſunt, multa veteris Teſtamenti populo *Iudæico* facienda mandata ſunt, neque à populo Chriſtiano nunc fiunt; ſed tantummodò intelligenda requiruntur atque tractantur, ſicut eſt *Sabbathum*, *Azyma*, *Paſcha in ovis occiſione*, & tot genera Sacrificiorum, ciborumque vitandorum. Alia verò etiam nunc facienda ſunt, ſi facienda præcepta ſunt; nec facienda, ſi prohibita. De his igitur quæ ita ſunt poſita in Literis ſacris vel jubendo vel vetando, vel ſinendo, ut etiam nunc, id eſt, tempore novi Teſtamenti ad vitam moreſque pertineant; hoc opus quod in manus ſumpſi (*ait Sanctus Doctor*) componere aggreſſus ſum: ut quantùm me Deus adjuvat, omnia talia de Canonicis libris colligam; atque ut facilè inſpici poſſint, in unum tanquam ſpeculum congeram.

Digitized by Google

Hæc prælocutus Auguſtinus, tandem ſub ejuſdem ſpeculi finem colligit illud ex Epiſtola Catholica Sancti Jacobi Apoſtoli: *Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum,* UNGENTES *eum* OLEO *in nomine Domini. Et oratio Fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Quis niſi cæcus, non videat hic à Sancto Doctore commemorari Extremæ-Unctionis Sacramentum, ac recenſeri inter ea, *quæ ita ſunt poſita in Literis Sacris vel jubendo, vel vetando, vel ſinendo; ut etiam nunc, id eſt tempore novi Teſtamenti, ad vitam moreſque pertineant?*

S. Aug. Serm. 215. de Temp. Addit Auguſtinus: *quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti (ille qui ægrotat) accipiat, & inde Corpuſculum ſuum ungat: ut illud quod ſcriptum eſt, impleatur in eo;* infirmatur aliquis? inducat Præsbyteros & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. *Videte Fratres quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.*

Denique Sanctus Innocentius I. Papa (cujus tum authoritatem, tum doctrinam, tum etiam ſanctitatem commendant Hieronymus & Auguſtinus) in Epiſtola ad Eugubinum, capite 8. ita ſcribit: *Adjecit etiam Filius meus Cœleſtinus Diaconus in Epiſtola ſua, eſſe à dilectione tua propoſitum illud, quod in Beati Apoſtoli Iacobi Epiſtola conſcriptum eſt:* Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Præsbyteros & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei ſalvabit laborantem, & ſuſcitabit illum Dominus; & ſi peccata fecit, remittet ei. *Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt: quo ab Epiſcopo confecto, non ſolùm omnibus Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo. Cæterùm illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Præsbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de Præsbyteris dictum*

dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterùm ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere & tangere Chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum Chriſma conficere. Hæc Innocentius Pontifex, de quo Hieronymus in Epiſtola ad Demetriadem Virginem: *Sancti Innocentii* (inquit) *qui Apoſtolicæ Cathedræ, & beatæ memoriæ Anaſtaſii Succeſſor & Filius eſt, teneas Fidem; nec peregrinam (quamvis tibi prudens callidaq; videaris) doctrinam recipias.* Et Auguſtinus libro primo contra Julianum capite quarto, *Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille Sanctus reſpondere, niſi quòd antiquitùs Apoſtolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia?*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA Filiorum amantiſſima Parens, *malè in Adam natos, benè in Chriſto regenerat.* Tanquam *Diſpenſatrix fidelis myſteriorum Dei*, eos Confirmationis Sacramento corroborat. Vero Corpore & Sanguine Chriſti Domini paſcit & alit. Ægrotos inungit ad colluctationem *adversùs rectores tenebrarum & ſpiritualia nequitiæ.* Inducit Præsbyteros ut oratio Fidei ſalvet infirmos, & ſi in peccatis ſint, remittantur eis. Mortuorum *funera officioſâ pietate curat.* Pro animabus *Sacrificium Mediatoris offert*: eaque omnia præſtat, quæ Auguſtini temporibus (teſte ipſomet fideliſſimo) peragi ſolebant.

Aug. lib. 1. contra Iuli . c. 4.

Iacobi 5

Aug. de cura pro mortu s Enchirid. c. 110.

Prætenta REFORMATA veluti ſæviſſima Noverca, multos parvulorum ſuorum ſpiritaliter enecat, dum quantumvis periclitantibus, Baptiſmi Sacramentum non adminiſtrat: adeoque non renatos *ex aqua & Spiritu Sancto*, ex hac vita abire patitur; eo potiſſimùm crudeliſſimo intuitu, quod erroneè ac perniciosè ſibi fingat non eſſe miniſtrandum Baptiſmum, niſi in publico Eccleſiæ conventu vel conſeſſu. Eadem REFORMATA non niſi pane & vino Zuingliano vel Calviniano ſuos Sectarios *figuratè* paſcit. Nullum ægrotis impertit ſubſidium; imò expreſ-

ſiſſimum à Sancto Jacobo revelatum & propoſitum divinitùs medium *ad remiſſionem peccatorum* illis impie ſubtrahit. Mortuorum cadavera contemnit & abjicit, nullumque religioſæ pietatis officium ipſis exhibet. Denique nullam animarum gerit curam, nullamque ſollicitudinem; nòn fundit preces, non offert pro iis Sacrificia. Et audet ſeſe Matrem oſtentare ac impudentiſſimè jactare ? Abſit, abſit, ut pro vera & legitima parente agnoſcatur & colatur, *cujus viſcera non commoventur* pietatis & beneficentiæ Chriſtianæ affectu.

3.Reg.3.

SESSIO XII.

De Ordinis Sacramento.

ORACULA AUGUSTINIANA.

S. Aug. lib. de bono conjug. c. 24.

M*Anet in* ORDINATIS SACRAMENTUM ORDINATIONIS, *& ſi aliquâ culpâ quiſquam ab officio removeatur,* SACRAMENTO *Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente.*

Lib. 2. contr. Epiſt. Parmen. cap. 13.

Loquens Auguſtinus de Baptiſmo & Ordine Sacro, *utrumque Sacramentum eſt* (ait) *& quadam conſecratione utrumque homini datur : illud quum baptizatur ; iſtud quum Ordinatur. Ideóque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte* (Donati Hæreſiarchæ) *venientes etiam Præpoſiti pro bono pacis, correcto Schiſmatis errore ſuſcepti ſunt : & ſi viſum eſt opus eſſe, ut eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt rurſum ordinandi : ſed ſicut baptiſmus in eis, ita Ordinatio manſit integra : quia in præciſione fuerat vitium quod unitatis pace correctum eſt ; non in Sacramentis quæ ubicumque ſunt, ipſa vera ſunt. Et quum expedire hoc videtur Eccleſiæ, ut Præpoſiti eorum venientes ad Catholicam Societatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent ; non eis tamen ipſa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos.*

Ipſi explicent (Donatiſtæ) *quomodò Sacramentum baptizati*

zati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti. Si enim utrumque SACRAMENTUM *eſt, quod nemo dubitat, cur illud amittitur, & illud non amittitur? neutri Sacramento injuria facienda eſt.* Ibidem.

Sicut redeuntes, qui priuſquam recederent baptizati ſunt, non rebaptizantur: ita redeuntes, qui priuſquam recederent ordinati ſunt, non utique rursùs ordinantur; ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulat: aut ſi non adminiſtrāt, Sacramentum Ordinationis ſuæ tamen gerunt. Lib. 1. cap. 1. de bapt. cont. Donatiſt.

Aëriani Hæretici dicuntur *ab Aerio quodam, qui quum eſſet Præsbyter, doluiſſe fertur quòd Epiſcopus non potuit Ordinari, & in Arianorum hæreſim lapſus propria quoque dogmata addidiſſe, dicens:* Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere; nec ſtatuta ſolenniter celebranda eſſe jejunia, ſed quum quiſque voluerit eſſe jejunandum, ne videatur eſſe ſub lege. Dicebat etiam Præsbyterum ab Epiſcopo nûllâ differentiâ debere diſcerni. S. Aug. lib. de Hæreſibus Hæreſi 53.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino agnoſcit *in Ordinatis Sacramentum Ordinationis.* Agnoſcit *quadam conſecratione dari, quum homo ordinatur.* Agnoſcit *Sacramentum ordinati non poſſe amitti,* & ideo non licere iterari. Agnoſcit denique *Præsbyterum ab Epiſcopo* aliquâ *differentiâ debere diſcerni.*

Prætenta REFORMATA contra Auguſtinum non ſolùm dubitat de Ordinis Sacramento (de quo nemo in Eccleſia dubitabat ejuſdem Auguſtini tempore) ſed etiam pervicaciter negat eſſe Sacramentum. Et cum Aërianis Hæreticis, Hæreticè credit *orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec ſtatuta ſolenniter celebranda eſſe jejunia, & Præsbyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni.*

Digitized by Google

SESSIO XIII.

De Matrimonii Sacramento.

ORACULA AUGUSTINIANA.

S. Aug. lib. 1. de nupt. & concup. c. 17.

IN *nuptiis nuptialia bona diligantur, Proles, Fides, Sacramentum. Sed proles non ut naſcatur tantùm, verùm etiam ut renaſcatur. Naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam. Fides autem non qualem habent inter ſe etiam infideles Zelantes carnem : ſed membrum Chriſti, conjugis adulterium conjugi debet timere, non ſibi ; & à Chriſto ſperare Fidei præmium, quam exhibet conjugi. Sacramentum verò, quod nec ſeparati & adulterati amittunt conjuges: Solùm eſt enim quod etiam ſterile conjugium tenet jure pietatis, jam fœcunditatis ſpe amiſſâ propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias.*

Lib. de bono conjug. c. 18.

In noſtrarum (id eſt Chriſtianarum mulierum) *nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.*

Ibid. c. 24.

Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in Fide caſtitatis. Quòd autem ad populum Dei pertinet, etiam in Sanctitate SACRAMENTI ; *per quam nefas eſt (etiam repudio interveniente) alteri nubere dum vir ejus vivit ; nec ſaltem ipſâ cauſâ pariendi.*

Lib. de Fide & operib. c. 7.

In Civitate Domini, in monte Sancto ejus , *hoc eſt in Eccleſia, nuptiarum non ſolùm vinculum, verùm etiam* SACRAMENTUM *ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere.*

Lib. de Sanct. Virg. c. 12.

Habeant conjugia bonum ſuum, non quia Filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè , quia ſocialiter procreant; & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant : quia thori fidem invicem ſervant ; quia SACRAMENTUM *Connubii non violant.*

Lib. 9. de Geneſ. ad lit. c. 7.

Vtriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum ; ut quod ſanis poſſit eſſe officium,

officium, ſit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum eſt, ideò connubium vel quo incontinentes copulantur non eſt bonum: imò verò non propter illud malum, culpabile eſt hoc bonum; ſed propter hoc bonum, veniale eſt illud malum. Quod bonum habent nuptiæ, peccatum eſſe nunquam poteſt. Hoc autem tripertitum eſt, FIDES, PROLES, SACRAMENTUM. *In* Fide *attenditur ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur. In* PROLE, *ut amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, Religiosè educetur. In* SACRAMENTO *autem ut conjugium non ſeparetur; & dimiſſus aut dimiſſa (nec causâ prolis) alteri conjungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, quâ vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.*

Bonum ergo ſunt nuptiæ in omnibus quæ ſunt propria nuptiarum. Hæc autem ſunt tria, generandi ordinatio, Fides pudicitiæ, Connubii SACRAMENTUM. *Propter ordinationem generandi ſcriptum eſt primâ ad Timotheum quinto capite:* Volo juniores nubere, Filios procreare, Matres familias eſſe. *Propter Fidem pudicitiæ*, primæ ad Corinthios ſeptimo: Uxor non habet poteſtatem ſui corporis ſed vir. Similiter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier. *Propter Connubii Sacramentum* Matthæi decimo nono: quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. De pecc. Orig. cap. 34.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA agnoſcit cum Auguſtino tria Matrimonii bona, nimirùm Prolem, Fidem & SACRAMENTUM; & in ſuis, hoc eſt, in Chriſtianis mulieribus plus valere ſanctitatem Sacramenti, quàm fœcunditatem uteri. Credit nefas eſſe conjugi (etiam repudio interveniente) alteri nubere dum vir ejus vivit.

Prætenſa REFORMATA Matrimonium è Sacramentorum numero expungit. Et in ſua *Diſciplina Eccleſiaſtica*, capite 13. articulo 31. ſtatuit, ut *Vxores, (quorum viri abierint, vel diu abſuerint ex negotiationis aut aliâ causâ) poſſint ſibi coram Magiſtratu providere, ſi ad alias nuptias tranſire voluerint.* Quod expreſſiſſimè contradicit Apoſtolo dicenti:

Digitized by Google

1.Cor.7. Rom.7. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Et vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.*

SESSIO XIV.

De Iuſtificatione.

ORACULA AUGUSTINIANA De Iuſtificatione non per ſolam Fidem.

S. Aug. lib. de Hæreſib. Hæreſi 54. FErtur Eunomius Hæreticus in Dialectica prævalens) *uſque adeò fuiſſe bonis moribus inimicus, ut aſſeveraret quòd nihil cuiq; obeſſet quorumlibet perpetratio ac perſeverantia peccatorum; ſi hujus quæ ab illo docebatur, Fidei particeps eſſet.*

De Fide & Oper. cap. 14. *Illud videamus quod excutiendum eſt cordibus Religioſis, ne malâ ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam* SUFFICERE SOLAM FIDEM *putaverint: benè autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apoſtolorum non intellectis quibuſdam ſub-obſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati ſunt dicere. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ, Petri, Iacobi, Ioannis, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, Fidem ſine Operibus nihil prodeſſe. Sicut etiam ipſe Paulus non quamlibet Fidem, quâ in Deum creditur: ſed eam ſalubrem planèque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Et Fides (*inquit*) Gal. 5. quæ per dilectionem operatur. *Vnde illam Fidem quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeverat,* 1.Cor.13. *ut dicat:* Si habeam omnem Fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil ſum.

S. Aug. de Verbis Apoſt. Serm. 16. Iacob. 2. *Incipit homo à Fide. Quid pertinet ad Fidem? Credere. Sed adhuc iſta Fides diſcernatur ab immundis ſpiritibus. Ad Fidem quid pertinet? Credere. Sed ait Apoſtolus Iacobus:* Et Dæmones credunt & contremiſcunt. *Si tantùm credis, & ſine ſpe vivis, vel dilectionem non habes;* & Dæmones credunt & contremiſcunt. *Quid magnum eſt? Dicis* Chriſtum Filium Dei.

Dei. *Hoc dixit Petrus, & audivit*, Beatus es Simon Barjona. *Hoc dixerunt Dæmones, & audierunt:* Obmuteſcite. *Et hoc ipſum dicunt & repelluntur. Vna vox eſt, ſed Dominus radicem interrogat, non florem.* Matt. 16. Marc. 1. Luc. 4.

Vnde dicitur ad Hebræos: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans moleſtet, & per illam contaminentur multi. *Prius ergo diſcerne Fidem tuam à Fide Dæmonis. Vnde eam diſcernis? Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus autem amando. Adde ergo Fidei ſpem. Et quæ ſpes eſt, niſi de aliquâ conſcientiæ bonitate? Spei ipſi adde charitatem. Deſuper eminentem viam habemus dicente Apoſtolo:* Supereminentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum veluti æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. *Cætera narrat bona*, & ſine charitate nihil prodeſſe *confirmat*. Maneant ergo hæc, Fides, Spes, Charitas. Major autem horum eſt Charitas. *Diſcernite Fidem veſtram: jam eſtis de prædeſtinatis, vocatis, juſtificatis. Paulus Apoſtolus dicit:* Neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed Fides. *Dic adhuc Apoſtole, adde, diſcerne*, quia & Dæmones credunt, & contremiſcunt quod oderunt. *Diſtingue Apoſtole, & circumcide Fidem meam*, & diſcerne cauſam meam de gente non Sanctâ. *Planè diſtinguit, diſcernit, circumcidit:* Sed Fides (*inquit*) quæ per dilectionem operatur. Heb. 12. 1. Cor. 13 Galat. 5. Iacob. 2. Pſal. 42.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Sanctiſſimo Doctore Auguſtino contra Hæreticos *Eunomianos*, eorumque in Hæreſi Succeſſores *Lutheranos & Calvinianos*, credit eandem Hæreſim excutiendam eſſe è cordibus Religioſis: imò actu ipſo excutit; ne malâ ſecuritate ſalutem ſuam perdunt, ſi ad eam obtinendam SUFFICERE ſolam FIDEM putaverint.

Prætenta REFORMATA cum *Eunomio* Hæreſiarcha adversùs Sanctum Doctorem *Auguſtinum*, erroneè & Hæreticè credit *Sectarios ſuos* (qui ſe Reformatos nuncupant) *fieri participe juſtitiæ*, hoc eſt, juſtificari PER SOLAM FIDEM. Confeſſ. Fidei Reform. art. 20.

Ibidem artic. 11. Addit quòd *Fides neceſſariò producat bona opera.* Sed quàm falſum, imò falſiſſimum ſit, patet ex hoc dilemmate.

Vel intelligit de *Fide ſimplici*, vel de *Fide quæ per dilectionem operatur*. Si de *Fide ſimplici*, falſiſſimum eſt ab ea neceſſariò produci bona opera; quandoquidem in antiquo Teſtamento David non exciderit à Fide, & tamen
2. Reg. cap. 11. in Adulterium ac Homicidium, aliaque peccata prolapſus fuerit: in novo autem Teſtamento inter Corinthios
1. Cor. 5. & 11. verâ Fide imbutos *ſciſſuræ fuerint*, *& ebrietates*, *& fornicationes* quas redarguebat Apoſtolus. Si verò loquitur *de Fide quæ per dilectionem operatur*; veriſſimum quidem eſt ab eâ produci bona opera: Sed falſiſſimum eſt *neceſſariò* produci; quia *liberè* producuntur cum auxilio gratiæ non neceſſitantis, ſed excitantis & cooperantis.

Denique ſi juxta prætentæ REFORMATÆ principia, *fiat participatio juſtitiæ*, PER SOLAM FIDEM, hoc ipſo juſti-
Iacob. 2. ficantur Dæmones, *quia credunt* teſte Jacobo Apoſtolo. Et quotquot ob alia peccata quàm infidelitatis damnati ſunt, jure conqueri & provocare poterunt. Niſi fortè urgeantur, quòd *Calviniana Fide non crediderint*. Sicuti enim **Eunomius** aſſerebat *nihil cuique obeſſe quorumlibet perpetrationem ac perſeverantiam peccatorum, ſi hujus quæ à ſe docebatur Fidei particeps eſſet*: ita proculdubio de ſe ſuaque Calviniana Fide præſumunt Reformati prætenti.

ORACULA AUGUSTINIANA

De Juſtificatione non per ſolam remiſſionem peccatorum, neque per extrinſecam quamdam imputationem juſtitiæ, aut non imputationem eorumdem peccatorum; ſed per intrinſecam gratiæ & Spiritualium donorum ſuſceptionem.

S. Aug. lib. de Gratia Chriſti c. 30. ISTam *gratiam quâ juſtificamur, id eſt, quâ* charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, *in Pelagii & Celeſtii* (adde in Lutheri & Calvini) *ſcriptis, nuſquam eos inveni quemadmodùm confitenda eſt, confiteri.*

Tu (Juliane Pelagiane) *à veſtro dogmate non recedis, quo putatis gratiam* Dei *per* Jesum *Chriſtum Dominum noſtrum, ſic in* Sola peccatorum remissione *verſari; ut non adjuvet ad vitanda peccata, & deſideria vincenda carnalia, diffundendo* charitatem in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui ab illo datus eſt nobis. Lib. 6. cont. Iul. c. 11.

Neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his quæ unuſquiſque in vitâ propriâ, mala congregat, vel etiam additamento prævaricationis exaggerat, quiſquam liberatur & juſtificatur; niſi gratiâ Dei per Jesum Chriſtum Dominum noſtrum: *non ſolùm remiſſione peccatorum; ſed priùs ipſius inſpiratione Fidei & timoris Dei, impertito ſalubriter orationis affectu & effectu, donec* ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & coronet nos in miſeratione & miſericordia. Pſ. 102.

Quum ipſa charitas diffunditur in corde credentium, *Lex eſt Fidei & Spiritus, vivificans dilectorem. Vide nunc quemadmodùm conſonet iſta diſcretio illis Apoſtolicis verbis, quæ paulò ante commemorata, & diligentiùs pertractanda diſtuleram.* Manifeſtati (*inquit Apoſtolus*) quoniam eſtis Epiſtola Chriſti miniſtrata per nos, ſcripta non atramento; ſed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis; ſed in tabulis cordis carnalibus. *Ecce quemadmodùm oſtendit, quia illud extra hominem ſcribitur, ut eum* Forinsecùs *terrificet: Hoc in ipſo homine ut eum* intrinsecùs justificet. Lib. de Spirit. & lit. c. 17. 2. Cor. 3.

Quid eſt aliud juſtitia in nobis, vel qualibet virtus (quâ rectè ſapienterque vivitur) quàm interioris hominis pulchritudo? *Et certè ſecundùm hanc* pulchritudinem *magìs quàm corporis, facti ſumus ad imaginem Dei. Vnde nobis dicitur:* Nolite conformari huic ſæculo; ſed renovamini in novitate mentis veſtræ, ad probandum in vobis, quæ ſit voluntas Dei, & quod bonum & benè placitum & perfectum. S. Aug. Epiſt. 85. ad Conſent. Rom. 12.

Charitas Dei *dicta eſt* diffundi in cordibus noſtris, *non quâ nos ipſe diligit, ſed quâ nos facit dilectores ſuos: Sicut Iuſtitia Dei quâ juſti (ejus munere) efficimur; & Domini ſalus,* Rom. 5. Pſal. 3.

quâ

Digitized by Google

quâ nos ſalvos facit: *Et Fides Chriſti, quâ nos fideles facit. Hæc eſt juſtitia, quam non ſolùm docet per legis præceptum; verùm etiam dat per Spiritus donum.* Ita Auguſtinus libro de Spiritu & Literâ, capite trigeſimo ſecundo. Quæ quidem alibi repetit & inculcat, tùm in Pſalmum centeſimum quinquageſimum, dum ait: *aliter intelligitur juſtitia, quâ eſt ipſe Deus juſtus: aliter quam in nobis facit, ut ſimus juſtitia ejus*: tum Epiſtola centeſimâ vigeſimâ ad Honoratum, capite trigeſimo, ubi ita docet: *Sicut quod legitur*, Domini eſt ſalus, *non ea intelligitur quâ Dominus ſalvus eſt; ſed quâ ſalvi ſunt quos ipſe ſalvos facit: ſic quum legitur* DEI JUSTITIA, *non eſt illa intelligenda quâ Deus juſtus eſt; ſed quâ juſti ſunt homines quos gratiâ ſuâ juſtificat.*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino, *gratiam quâ juſtificamur*, id eſt, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, *quemadmodùm confitenda eſt, confitetur*; videlicet *eſſe in ipſo homine, ut eum* INTRINSECÙS JUSTIFICET: *eſſe* INTERIORIS HOMINIS PULCHRITUDINEM: *eſſe charitatem quâ nos facit dilectiores ſuos, non quâ nos ipſe diligit: eſſe juſtitiam quâ juſti ſunt homines, quos gratiâ ſuâ juſtificat, non quâ Deus juſtus eſt*: ac denique non conſiſtere *in ſola peccatorum remiſſione.*

Prætenta REFORMATA contra veram Eccleſiam Catholicam & Auguſtinum, docet in ſuo Catechiſmo Reformato, Dominicâ decimâ nonâ, homines juſtificari *per imputationem juſtitiæ Chriſti & per non imputationem peccatorum ſuorum.* Addit Dominicâ vigeſimâ *imperfectiones & maculas noſtras contegi ſeu cooperiri per puritatem IESV Chriſti.* Et articulo decimo octavo Confeſſionis Gallicanæ, ſic profitentur prætentæ Reformationis Architecti: *Credimus totam noſtram juſtitiam fundatam eſſe in remiſſione peccatorum noſtrorum, atque hanc eſſe ſolam noſtram fœlicitatem. Simpliciter adhæremus obedientiæ IESV Chriſti, quæ nobis impenditur; tum ut cooperiantur omnia noſtra delicta, tum ut inveniamus gratiam & favorem coram Deo.* Itaque juxta erroneam

roneam illam doctrinam, David (exempli causâ) æquè nunc adulter eſt & homicida, & Paulus æquè contumelioſus & blaſphemus, ac unquam fuere; hoc uno dempto, quòd illius adulterium & homicidium, hujus autem contumeliæ & blaſphemiæ ſint jam contectæ ſeu coopertæ. Verumtamen quantumvis opertæ & coopertæ ſordes, non idcircò deſinunt eſſe ſordes. Neque orabat David Pſalmo quinquageſimo iniquitatem ſuam & peccatum contegi: Sed *dele* (aiebat) *iniquitatem meam: amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

SESSIO XV.

De Merito bonorum Operum.

ORACULA AUGUSTINIANA.

NVllàne ſunt MERITA *juſtorum? Sunt planè quia juſti* Aug.
ſunt. Sed ut juſti fierent, merita non fuerunt: juſti enim epiſt.
facti ſunt quum juſtificati ſunt; ſed ſicut dicit Apoſtolus, juſtifi- 105.
cati gratis per gratiam ipſius. Rom. 3.

Perparvum eſt quod in eleëmoſynis datur; ſed quum piè da- L. 1 cont.
tur, æternum inde meritum comparatur. adverſar. legis & Proph. c. 16.

Tota maſſa juſtæ damnationis reciperet debitum, niſi ex ea faceret non ſolùm juſtus ſed etiam miſericors figulus, alia vaſa in honorem, ſecundùm gratiam, non ſecundùm debitum: epiſt. 157
dum & parvulis ſubvenit, quorum nulla merita dici poſſunt; Rom. 9.
& majores prævenit ut habere aliqua merita poſſint.

Tobias ſepeliendo mortuos Deum PROMERVISSE, *teſte An-* L. de cu-
gelo commendatur. Ipſe quoque Dominus die tertiâ *reſurrectu-* ra pro
rus religioſæ mulieris BONVM OPVS *prædicat, prædicandum-* mortuis
que commendat, utique MERITORIUM. c. 3.

Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac. Nam Tract. 3.
ſi opus bonum in terra propterea feceris, ut terrena tibi abun- in Evang.
dent; ſcit ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, & miſcuiſti Ioan.
dexteram ſiniſtræ. *Noli facere niſi propter vitam æternam. Si* Matt. 6.
ideò facis, ſecurus facies; hoc enim mandavit Deus.

Digitized by Google

Tract.67 *Etſi alius eſt alio fortior, alius alio ſapientior, alius alio juſtior,*
ibidem. *alius alio ſanctior* : in domo Patris manſiones multæ ſunt. *Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi manſionem pro* ſuo
Matt.20. *quiſque accepturus eſt* MERITO. Denarius *quidem ille æqualis eſt omnibus*, *quem* Paterfamilias iis qui operati ſunt in vinea, jubet dari omnibus: *non in eo diſcernens*, qui minùs & qui ampliùs laborarunt. *Quo utique* denario *vita ſignificatur æterna, ubi ampliùs alio nemo vivit; quoniam vivendi non eſt diverſa in æternitate menſura. Sed* multæ manſiones *diverſas* MERITORUM *in una vita æterna ſignificant dignitates.*
1.Cor.15 Alia eſt enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria Stellarum: Stella enim ab Stella differt in gloria; ſic & reſurrectio mortuorum. *Tanquam Stellæ Sancti diverſas* manſiones, tanquam diverſas claritates in Cælo, *ſortiuntur*
1.Ioan.4 *in regno. Atque ita* Deus erit omnia in omnibus; ut quoniam Deus charitas eſt, *per* charitatem *fiat*, ut *quod habent ſinguli, commune ſit omnibus. Sic enim quiſque etiam ipſe habet, quum amat in altero quod ipſe non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.*

Aug.lib. de Sanct. Virgin. c. 26. *Quia ipſa vita æterna pariter erit omnibus Sanctis*, æqualis denarius omnibus attributus eſt. *Quia verò in ipſa vita æterna diſtinctè fulgebunt lumina* MERITORUM, multæ ſunt manſiones apud Patrem : *ac per hoc in* DENARIO *quidem non impari, non vivet alius alio prolixius; in multis autem manſionibus honorabitur alius alio clariùs. Quamvis* MERITORUM *diverſitate fulgebunt* (Sancti) *alius magis, alius minùs: quòd tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim erit alteri longior, alteri brevior. Quod pariter ſempiternum eſt, non habebit finem nec mihi nec tibi. Alio modo erit ibi caſtitas conjugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis, alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo Corona Paſſionis. Illud alio modo, aliud alio modo. Tamen quantùm pertinet ad* vivere æternum, *nec ille plùs vivit iſto, nec iſte plùs illo : pariter enim ſine fine vivunt, quum in ſuis quiſque claritatibus vivat, & ille* Denarius *vita æterna eſt.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino piè, verè & Catholicè credit, *ſecundùm gratiam* ſubveniri *parvulis*, *quorum nulla merita dici poſſunt*: & *præveniri majores* ſeu adultos, *ut habere* ALIQUA MERITA *poſſint*. Credit *perparvo quod in eleëmoſynis datur* (*quum piè datur*) *æternum meritum comparari*. Credit *faciendum eſſe bonum opus propter vitam æternam*. Credit denique *diverſas* MERITORUM *in una vita æterna* futuras *dignitates*.

Prætenta REFORMATA contra Catholicam Eccleſiam & Auguſtinum, impiè, falsò, & Hæreticè ſibi perſuadet ex *officina Satanæ prodiiſſe Vota Monaſtica*, *Peregrinationes*, *Cæremoniales dierum Obſervationes*, *Confeſſionem Auricularem*, *Indulgentias*, & *alia ejuſcemodi quibus putant aliqui ſe gratiam & ſalutem mereri*. Hæc autem omnia dicit eadem prætenta Reformata ſe rejicere, non ſolùm propter annexam falſam meriti opinionem; ſed etiam quia ſunt hominum adinventiones (ait) quæ jugum conſcientiis imponunt.

SESSIO XVI.

De Purgatorio.

ORACULA AUGUSTINIANA.

T*Empus quod inter Hominis mortem, & ultimam Reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet: ſicut unaquæque digna eſt vel requie vel ærumnâ, pro eo quod ſortita eſt in corpore dum viveret.* Aug. Enchirid cap. 109.

Hoc, in ſudore vultus tui edes panem tuum *illi dictum eſt* (Geneſis capite tertio) *qui* coluerit Agrum ſuum, *qui iſta patitur* donec revertatur in terram de qua ſumptus eſt; *id eſt, donec finiat vitam iſtam. Qui enim coluerit agrum ſuum* interiùs, & ad panem ſuum, *quamvis cum labore pervenerit, poteſt uſque ad finem vitæ hujus hunc laborem pati; poſt* Lib. 2. de Geneſ. cont. Manich. cap. 20.

hanc

hanc autem vitam non eſt neceſſe ut patiatur. Sed qui fortè agrum non coluerit, & ſpinis *eum opprimi permiſerit*, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis. *& poſt hanc vitam habebit vel* IGNEM PURGATIONIS, *vel pœnam æternam. Ita nemo evadit iſtam ſententiam: ſed agendum eſt ut ſaltem in hac tantùm vitâ ſentiatur.*

In Pſal. 37. Domine ne in indignatione tua arguas me, *id eſt, non ſim inter illos quibus dicturus es:* ite in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Neque in ira tua emendes me, *vt in hac vita purges me*, & talem me *reddas, cui jam* EMENDATORIO IGNE *non opus ſit, propter illos* qui ſalvi

1. Cor. 3. erunt, ſic tamen quaſi per ignem. *Quare*, niſi quia hîc ædificant ſupra fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam? Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretioſos, *de* UTROQUE IGNE *ſecuri eſſent: non ſolùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios; ſed etiam de illo qui emendabit eos* qui per ignem ſalvi erunt. *Dicitur enim:* ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. *Et quia dicitur* ſalvus erit, *contemnitur ille ignis: gravior tamen erit, quàm quicquid poteſt homo pati in hac vita.*

Lib. 21. de Civit. Dei cap. 16. *Tanta eſt Dei miſericordia* in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam, *ut etiam prima hominis ætas, id eſt, infantia, quæ ſine ullo renisu ſubjacet carni: & ſecunda quæ pueritia nuncupatur, ubi nondum ratio ſuſcepit hanc pugnam, & ferè ſub omnibus vitioſis delectationibus jacet; quia licèt jam fari valeat, & ideò infantiam tranſiſſe videatur, nondum in ea eſt præcepti capax infirmitas mentis: ſi Sacramenta Mediatoris acceperit, etiamſi hanc in eis annis vitam finiat*, tranſlata *ſcilicet* à poteſtate tenebrarum in regnum Chriſti; *non ſolùm pœnis non præparetur æternis, ſed ne ulla quidem* POST MORTEM PURGATORIA TORMENTA patiatur. *Sufficit enim ſola ſpiritalis regeneratio, ne poſt mortem obſit quod carnalis generatio cum morte contraxit.*

De cura pro mortuis c. 1. *In precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam* COMMENDATIO MORTUORUM.

Digitized by Google

Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica Societate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia: ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia Matre communi. Ibidem cap. 4.

Orationibus Sanctæ Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & eleëmoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubium mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia; ut pro iis, qui in Corporis & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, quum ad ipſum Sacrificium loco ſuo commemorantur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Quum verò eorum commendandorum causâ, opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis; ſed talibus qui ita vixerunt ante mortem, ut poſſint eis hæc utilia eſſe poſt mortem. Nam qui ſine Fide quæ per dilectionem operatur, *ejuſq; Sacramentis de corporibus exeunt, fruſtra illis à ſuis hujuſmodi pietatis impenduntur officia, cujus dum hìc eſſent pignore caruerunt.* De verbis Ap. Serm. 34.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino credit quaſdam animas poſt hanc vitam pati IGNEM PURGATIONIS, eis opus eſſe IGNE EMENDATORIO, ſalvas eſſe per IGNEM, dari poſt mortem PURGATORIA TORMENTA: non eſſe prætermittendas ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum; Orationibus Sanctæ Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & eleëmoſynis quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, mortuos adjuvari; ut cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt: hoc à Patribus traditum UNIVERSAM OBSERVARE ECCLESIAM.

Prætenta REFORMATA, Confeſſionis Pſeudo-Fidei ſuæ articulo vigeſimo quarto, ſic ait: *Tenemus Purgatorium pro illuſione, quæ prodiit ex Officina Satanæ.* Ita tenent ii quorum ſpiritibus poſt hanc vitam nullum poteſt ſub-

Digitized by Google

venire Purgatorium, nullum Sacrificium, nulla miſericordiæ opera, nullæque orationes ſuffragari. Nam ut optimè advertit S. Auguſtinus, *qui ſine Fide ejuſque Sacramentis de corporibus exeunt, illis fruſtrà pietatis impenduntur officia, cujus quum hîc eſſent pignore caruerunt.*

SESSIO XVII.

De Cultu & Invocatione Sanctorum.

ORACULA AUGUSTINIANA.

Lib. 20. cont. Fauſt. cap. 21. Q*Vòd etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus, quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos* Idola *convertiſſe, non tam me movet ut huic calumniæ reſpondeam; quàm ut ipſum Fauſtum oſtendam ſtudio calumniandi in vulgarem atque Poëticam Paganorum opinionem (à quibus ſe alieniſſimum cupit videri) neſcio quo modo incautum incidiſſe. Quum enim dixiſſet*, Nos Idola vertiſſe in Martyres: votis (inquit) ſimilibus colitis; Defunctorum umbras vino placatis & dapibus. *Populus Chriſtianus Memorias Martyrum* Religiosa Solennitate *concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut* Meritis *eorum conſocietur, atque* Orationibus *adjuvetur. Ita tamen ut nulli Martyrum; ſed ipſi* Deo *Martyrum, quamvis in Memorias Martyrum conſtituamus* Altaria. *Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Corporum aſſiſtens Altari, aliquando dixit:* Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? *Sed quod offertur, Deo offertur qui Martyres coronavit; ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus.*

S. Aug. Quæſt. 149. ſuper Exod. *Moyſis apud Deum tanquam fideliſſimi famuli tantum erat meritum per illius gratiam, ut ei diceret Deus* Exodi capite trigeſimo ſecundo, Sine me & iratus conteram eos. *Quod utrùm jubentis ſit, quum ait* Sine me; *an quaſi petentis? utrumque videtur abſurdum. Nam ſi jubebat Deus, inobedienter*

ter famulus non parebat : & Deum hoc à ſervo velut beneficium petere non decebat ; quum præſertim poſſet eos etiam illo nolente conterere. Ille itaque ibi ſenſus in promptu eſt: quòd his verbis ſignificat Deus, plurimùm apud ſe prodeſſe illi populo, quia ſic ab illo viro diligebatur, quem ſic Deus diligebat : ut eo modo admoneremur quum merita noſtra nos gravarent, ne diligamur à Deo, relevari nos apud eum illorum MERITIS *poſſe, quos Deus diligit. Nam quum ab Omnipotente dicitur homini,* Sine me, & conteram eos; *quid aliud dicitur, quàm* Contererem eos niſi diligerentur abs te ? *Ita ergo dictum eſt,* Sine me, *ac ſi diceretur :* Noli eos diligere & conteram eos; quia ne id faciam, dilectio tua intercedit mihi. Exod. c. 32.

Miſeremini, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, Job capite decimo nono : *Angelos videtur poſtulare, ut pro eo deprecentur; aut certè Sanctos ut pro pœnitente orent.* S. Aug. lib. Annotat. in Iob.

Iacob benedicens nepotes ſuos, filios Ioſeph, Geneſis capite quadrageſimo octavo, *ait inter cætera :* & invocabitur in his nomen meum, & nomen Patrum meorum. *Vnde notandum eſt non ſolùm exauditionem, ſed* INVOCATIONEM *dici aliquando, quæ* NON DEI, *ſed* HOMINUM *fit.* Lib. 1. locutionum de Geneſi c. 200.

Adjuvet nos Beatus Cyprianus *orationibus ſuis, in iſtius Carnis mortalitate tanquam in caliginoſa nube laborantes, ut donante Domino, quantùm poſſumus bona ejus imitemur.* Lib. 7. de Baptiſ. cont. Donatiſt c. 1.

Profectò etiam proviſus ſepeliendis corporibus apud Memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum : quoniam ſi nonnulla Religio eſt ut ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe quando ubi ſepeliantur, attenditur. Sed quum talia vivorum ſolatia requiruntur, quibus eorum pius in ſuos animus appareat; non video quæ ſint adjumenta mortuorum, niſi ad hoc, ut dum recolunt ubi ſint poſita eorum quos diligunt, corpora; iiſdem SANCTIS *illos tanquam* PATRONIS *ſuſceptos apud Dominum adjuvandos* ORANDO COMMENDENT. *Quum itaque recolit animus ubi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus Martyris nomine Venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus.* Lib. de cura pro mort. cap. 4.

Digitized by Google

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino & Populo Chriſtiano (qui tempore ejuſdem Auguſtini florebat) Memorias Martyrum religioſâ ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur. Credit cum eodem Auguſtino, quum merita noſtra nos gravant ne diligamur à Deo, relevari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit. Credit non ſolùm exauditionem, ſed & invocationem dici aliquando, quæ non Dei ſed hominum ſit. Credit in iſtius Carnis mortalitate laborantes adjuvari orationibus Sanctorum, & Fideles mortuos iiſdem Sanctis tanquam Patronis orando commendat.

Prætenta REFORMATA cum Fauſto *Manichæo infauſtiſſimo* calumniatur Catholicis, quòd Martyrum Memorias honorant, eos dicens in hoc Idola convertiſſe. In ſuo Catechiſmo Reformato, Dominicâ trigeſimâ quartâ proponit Sectariis ſuis impiè credendum, *non eſſe licitum invocare nec Angelos nec Sanctos: Deumque id officii non attribuiſſe Sanctis, ut nobis ſuccurrant aut ſubveniant.* Et in Gallicana Confeſſione Pſeudo-Fidei Reformatæ Articulo vigeſimo quarto, ita habetur: *Quicquid ſibi homines imaginati ſunt de interceſſione Sanctorum, non eſt niſi abuſus & fallacia Satanæ.*

ORACULA AUGUSTINIANA

De Sanctorum Natalitiis Diebuſque Feſtis, de Baſilicis, Imaginibus, Reliquiis, Miraculis, & Peregrinationibus Fidelium ad Loca ſacra.

S. Aug. in Pſal. 63.

P*Aſſionis Sanctorum Martyrum* DIEM *hodie* FESTUM *habentes, in eorum recordatione gaudeamus; recolentes quod patiebantur, & intelligentes quid intuebantur. Nunquam enim tantas tribulationes carne tolerarent, niſi magnam quietem mente*

Digitized by Google

mente conciperent. Hunc itaque Pſalmum pro ipſa SOLENNITATE *percurramus. Heſterno die multa audivit Charitas veſtra, nec hodie tamen huic* FESTIVITATI *negare potuimus noſtram ſervitutem.*

Attendite chariſſimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem & Matrem Eccleſiam. NATALITIA SANCTORUM *cum ſobrietate* CELEBRATE; *ut imitemini eos qui praceſſerunt, & gaudeant de vobis qui* ORANT PRO VOBIS; *ut benedictio Domini in aternum maneat ſuper vos. Fiat, fiat.* In Pſal. 88.

Martyrum LOCA & BASILICÆ *Apoſtolorum in illa vaſtatione* Urbis Romæ, *ad ſe confugientes ſuos alienoſque receperunt. Huc uſque cruentus ſaviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor; illò ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra ipſa* LOCA *pepercerant; ne in illos incurrerent qui ſimilem miſericordiam non habebant: qui tamen etiam ipſi alibi truces atque hoſtili more ſavientes, poſteaquam ad illa* LOCA *veniebant, ubi fuerat interdictum quod alibi jure belli licuiſſet, tota feriendi refranabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur.* Lib. 1. de Civit. Dei cap. 1

Ita deſipiunt Ethnici, *ut in Libris quos Chriſtum ſcripſiſſe exiſtimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant feciſſe miracula. Qui tales Chriſti libros legiſſe ſe affirmant, cur ipſi nulla talia faciunt? Cogitaverunt ad quos potiſſimùm ſcribere potuiſſe facilè crederetur, tanquam ad illos qui ei familiariùs adhæſiſſent, quibus illud quaſi ſecretum dignè committeretur, & occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quòd pluribus locis ſimul eos cum illo* PICTOS *viderunt; quia* MERITA PETRI & PAULI, *etiam propter eundem Paſſionis diem* CELEBRIÙS & SOLENNITER *Roma* COMMENDAT. Lib. 1. de conſenſ. Evang. cap. 9. & 10.

Antiſtiti tuo Ambroſio *per viſum aperuiſti* DOMINE, *quo loco laterent Martyrum Corpora* PROTASII & GERVASII, *quæ per tot annos incorrupta, in theſauro ſecreti tui recondideras; unde oportunè promeres ad coërcendam rabiem fœmineam ſed regiam* (ſcilicet Juſtinæ Auguſtæ ab Arianis ſeductæ) *Quum enim propalata & refoſſa* DIGNO *cum* HONORE TRANSFERRENTUR *ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolum* Lib. 9. Confeſſ. cap. 7.

quos

quos immundi vexabant Spiritus, confeſſis iiſdem Dæmonibus ſanabantur; verùm etiam quidam plures annos cæcus Civis Civitatiq; notiſſimus, quum Populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet atque audiſſet, exilivit; eòq; ſe ut duceret, ducem ſuum rogavit. Quò perductus impetravit admitti, ut SUDARIO TANGERET FERETRUM pretioſæ in conſpectu tuo (Domine) mortis Sanctorum tuorum. *Quod ubi fecit atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt.* — Pſal. 115

S. Aug. Epiſt. 103. ad Quint. Co-Epiſ. — *Honorabiles Dei famulas & pretioſa Chriſti membra, Gallam viduam ſancti propoſiti, & eius filiam Simpliciolam Virginem ſacram, Venerationi tuæ in Chriſti dilectione commendo. Portant ſanè* RELIQUIAS *glorioſiſſimi & Sanctiſſimi Martyris* STEPHANI, *quas non ignorat Sanctitas Veſtra, ſicut & nos fecimus, quàm convenienter* HONORARE *debeatis.*

Lib. 22. de Civit. Dei c. 8. — *Ad Aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente* RELIQUIAS *Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad ejus Memoriam veniebat magna multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier ut ad Epiſcopum portantem* PIGNORA SACRA *duceretur, oravit. Flores quos ferebat dedit & recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus cunctis qui aderant, præibat exultans, viam carpens & viæ ducem ulteriùs non requirens.*

Ibidem. — *Fuit Vir in ordine ſuo primarius, nomine* MARTIALIS, *ævo jam gravis, & multùm à Religione abhorrens Chriſtiana. Habebat ſanè fidelem filiam & generum eodem anno baptizatum; qui quum ægrotantem multis & magnis precibus ac lacrymis rogarent ut Chriſtianus fieret, prorſus abnuit; eoſque à ſe turbidâ indignatione ſubmovit. Viſum eſt genero ejus ut iret ad Memoriam Sancti Stephani, & illic pro eo quantùm poſſet, oraret; ut Deus daret illi mentem bonam, quâ credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & ſinceriter ardente pietatis affectu: deinde abſcedens aliquid de Altari* FLORUM, *quod occurrit, tulit; eique quum jam nox eſſet, ad Caput poſuit. Tunc dormitum eſt, & ecce ante diluculum clamat, ut ad Epiſcopum curreretur, qui mecum fortè tunc erat apud Hipponem. Quum verò audiſſet eum abſentem, venire Presbyteros poſtulavit. Venerunt, & ſtatim ſe credere dicit. Admirantibus &*

gaudentibus

gaudentibus omnibus baptizatus eſt. Hoc quamdiu vixit, in ore habebat, Chriſte accipe ſpiritum meum: *quum hæc verba beatiſſimi Stephani quando lapidatus eſt à Iudæis, ultima fuiſſe neſciret, quæ huic quoque ultima fuerunt.*

Audurus nomen eſt fundi, ubi Eccleſia eſt, & in ea Memoria Stephani Martyris. Puerum quemdam parvulum quum in area luderet, exorbitantes boves qui vehiculum trahebant, rotâ obtriverunt; & confeſtim palpitavit expirans. Hunc Mater arreptum ad eandem Memoriam poſuit, & non ſolùm revixit; verùm etiam illæſus apparuit. Ibidem.

Sanctimonialis quædam in vicina poſſeſſione quæ Caſpaliana dicitur, quum ægritudine laboraret ac deſperaretur, ad eandem Memoriam tunica ejus allata eſt: quæ antequam revocaretur, illa defuncta eſt. Hâc tamen tunicâ operuerunt cadaver ejus parentes, & recepto ſpiritu ſalva facta eſt. Ibidem.

Plurima alia Miracula refert Beatus Auguſtinus, In eodem libro vigeſimo ſecundo de Civitate Dei, capite octavo. Ut de Baſſi cujuſdam Syri filiâ apud Hipponem mortuâ & vitæ redditâ, quum ejus veſtis allata ad Memoriam Sancti Stephani, & inde relata ſuper eandem filiam foret projecta.

De Eleuſini Viri Tribunitii infantulo exanimato, quem quum Pater ſuper Memoriam prædicti Martyris poſuiſſet, poſt orationem quam multis cum lacrymis fuderat, viventem levavit.

De Hyrenei cujuſdam filio extincto, cujus corpus quum jaceret exanime, & domeſticis gementibus ac plangentibus exequiæ pararentur; amicorum quidam ſuggeſſit, ut ejuſdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & mortuus revixit.

De Petronia Clariſſima Fœmina, quæ mirabiliter ex magno atque diuturno (in quo Medicorum adjutoria cuncta defecerant) languore ſanata eſt: Judæi cujuſdam præſtigiis per Sanctum Martyrem Stephanum diſſolutis. *Clariſſima Fœmina eſt* (ait Auguſtinus) *nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat; ampla Civitas, ampla Perſona*

 ram

rem quærentes latere non ſinunt. Martyr certè ipſe (quo impetrante illa ſanata eſt) in filium permanentis Virginis credidit.

De Paulo & Palladia Fratre & Sorore, qui maledicto Matris, tali pœnâ ſunt divinitùs coërciti, ut horribiliter quaterentur omnium tremore membrorum. Hipponem autem venientes, Eccleſiamque ingredientes quotidie, & in ea Memoriam glorioſiſſimi Stephani frequentantes, orabant ut jam ſibi placaretur Deus,& ſalutem priſtinam redderet. Tandem ad Loci Sancti cancellos ſanati ſunt, ipſo Sancto Auguſtino ejuſdem Urbis Hipponenſis Epiſcopo teſte oculato, cum frequentiſſimo populo in feſtis Paſchæ.

De quodam Adoleſcente,quem Dæmon invaſerat inter abluendum equum in fluminis gurgite. Ille idem Adoleſcens portatus eſt ad Memoriam Martyrum Mediolanenſium *Gervaſii* & *Protaſii*, quæ erat in villa Victoriana, minùs triginta millibus diſtante ab Hippone. Ibi quum jaceret vel morti proximus, vel mortuo ſimillimus Adoleſcens; ad veſpertinos illuc hymnos & orationes, cum ancillis ſuis & quibuſdam ſanctimonialibus, ex more domina poſſeſſionis intravit, atque hymnos cantare cœperunt. Quâ voce *Dæmon* quaſi percuſſus & excuſſus eſt cum terribili fremitu, Altare comprehenſum movere non audens, ſive non valens (tanquam eo fuerit alligatus aut affixus) tenebat; & cum grandi ejulatu parci ſibi rogans, confitebatur ubi Adoleſcentem,& quando, & quomodò invaſerit. Poſtremò ſe exiturum denuntians, membra ejus ſingula nominabat, quæ ſe amputaturum exiens minabatur; atque inter hæc verba diſceſſit ab homine. Subdit Auguſtinus oculum ejus excuſſum à Dæmone, ei Sanctorum orationibus mirabiliter reſtitutum, & lumen fuiſſe redditum.

De quodam Sene Florentio Hipponenſi, homine religioſo & paupere, qui Sartoris ſe arte paſcebat, caſulamque perdiderat, & unde ſibi emeret non habebat. Is igitur ad viginti Martyres quorum Memoria eſt *Hippone* celeberrima,

leberrima, clarâ voce ut veſtiretur oravit. Audierunt eum adoleſcentes (qui fortè aderant) irriſores; eumque diſcedentem exagitantes proſequebantur. At ille tacitus ambulans, ejectum grandem piſcem palpitantem vidit in littore, eumque illis faventibus atque juvantibus apprehendit, & cuidam coquo benè Chriſtiano vendidit, indicans quid geſtum eſſet. Sed coquus concidens piſcem, annulum aureum in ventriculo ejus invenit: moxque miſeratione flexus & religione perterritus, homini eum reddidit dicens, *Ecce quomodò viginti Martyres te veſtierunt.*

Poſtquam hæc & alia Miracula (quæ ſuo tempore contigerunt) narravit Auguſtinus, ſuprà relato capite octavo libri vigeſimi ſecundi de Civitate Dei, ſic concludit capite nono. *Cui niſi huic Fidei atteſtantur iſta miracula, in qua prædicatur Chriſtus reſurrexiſſe, & in Cælum aſcendiſſe cum carne? Nam & ipſi Martyres, hujus Fidei Martyres, id eſt hujus Fidei teſtes fuerunt. Huic Fidei teſtimonium perhibentes, mundum inimiciſſimum & crudeliſſimum pertulerunt; eumq́; non repugnando, ſed moriendo vicerunt. Pro iſta Fide mortui ſunt, qui hæc à Domino impetrare poſſunt, propter cujus nomen occiſi ſunt. Pro hac Fide præceſſit mira eorum patientia; ut in his miraculis tanta iſta potentia ſequeretur. Nam ſi carnis in æternum reſurrectio vel prævênit in Chriſto, vel non ventura eſt ſicut prænuntiatur à Chriſto, vel ſicut prænuntiata eſt à Prophetis à quibus prænuntiatus eſt Chriſtus, quare Martyres tanta poſſunt, qui pro ea Fide quâ hæc reſurrectio prædicatur, occiſi ſunt? Sive enim Deus ipſe per ſeipſum miro modo quo res temporales operatur æternus; ſive per ſuos Miniſtros iſta faciat: & eadem ipſa quæ per Miniſtros facit, ſive quædam faciat etiam per Martyrum ſpiritus, ſicut per homines adhuc in corpore conſtitutos: ſive omnia iſta per Angelos (quibus inviſibiliter, immutabiliter & incorporaliter imperat) operetur; ut quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: ſive alia iſtis, alia illis modis qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt; hæc tamen ei atteſtantur Fidei, in qua carnis in æternum reſurrectio prædicatur.*

Aug. Epiſt. 137. Tandem de PEREGRINATIONIBUS AD LOCA SACRA, ſic teſtatur Auguſtinus: quum iſta me cauſa (*Bonifacii & cujuſdam Clerici*) diu cruciaſſet, nec invenirem quomodò unus de duobus convinceretur: quamvis magis Præsbytero credidiſſem; cogitaveram primò ſic ambos Deo relinquere, donec in uno eorum qui mihi ſuſpectus erat, aliquid exiſteret, unde non ſine juſta & manifeſta cauſa de noſtro habitaculo projiceretur. Sed quum promoveri in Clericatu ſive illic per me, ſive alibi per literas meas vehementiſſimè conaretur; ego autem nullo modo adducerer, ei homini de quo tantùm mali exiſtimarem, manus Ordinationis imponere, aut per commendationem meam alicui Fratri meo eum ſubintroducere; turbulentiùs agere cœpit, ut ſi ipſe in Clericatu non promoveretur, nec Præsbyter Bonifacius in ſuo gradu eſſe permitteretur. In qua ejus provocatione quum viderem Bonifacium nolle quibuſlibet infirmis & ad ſuſpicionem propenſis, de ſuæ vitæ dubitatione ſcandalum fieri; paratumque eſſe honoris ſui apud homines damnum perpeti potiùs, quàm in ea contentione (in qua non poſſet ignorantibus vel dubitantibus vel ad malè ſuſpicandum proclivioribus ſuam demonſtrare conſcientiam) uſque ad Eccleſiæ perturbationem inaniter progredi: elegi aliquid medium, ut certo placito ſe ambo conſtringerent AD LOCUM SANCTUM SE PEREGRINATUROS; ubi terribiliora opera Dei non ſanam cujuſque conſcientiam multò faciliùs aperirent, & ad Confeſſionem vel pœnâ vel timore compellerent. Ubique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia; & eum *à veris adoratoribus in Spiritu & veritate oportet adorari; ut in occulto exaudiens,* in occulto etiam juſtificet & coronet: verùm tamen ad iſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt ejus conſilium perſcrutari; quare in aliis locis hæc Miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notiſſima eſt SANCTITAS LOCI ubi Beati Fœlicis Nolenſis corpus conditum eſt, quò volui ut pergerent. Quia inde nobis faciliùs fideliùſque

ſcribi

ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo divinitùs fuerit propalatum. Nam & nos novimus Mediolani apud Memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam qui ad eum locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum & quod abſtulerat reddere. Nunquid non & Africa Sanctorum Martyrum Corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam hìc ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit: *Non omnes Sancti habent dona curationum, non omnes habent dijudicationem Spirituum*: ita nec in omnibus Memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, *qui dividit propria unicuique prout vult*. Hæc Auguſtinus. 1. Cor. 12.

REFLEXIO.

Eccleſia R**O**MAN*A* cum Auguſtino, *Sanctorum dies feſtos* ſicut & *loca Martyrum* & *Baſilicas Apoſtolorum*, ac *in pluribus locis cum Chriſto Domino pictos* eoſdem Sanctos & Martyres habet. Eorum Reliquias *convenienter honorat*. Credit Miracula Sanctis ipſis *orantibus & impetrantibus aut operantibus* fieri, & *Peregrinationes ad loca Sancta* probat.

Prætenta REFORMATA, contra Auguſtinum & Primitivam Eccleſiam hæc omnia improbat cum *Vigilantio Hereſiarcha*. Dies feſtos abrogat. Loca Martyrum & Baſilicas Apoſtolorum diruit. Imagines cum *Iconomachis* comminuit. Reliquias inhonorat, abjicit & calcat. Peregrinationes damnat, & Miracula paſſim irridet aut contemnit aut negat.

SESSIO XVIII.

De Quadrageſima & Iejunio.

ORACULA AUGUSTINIANA.

A*Eriani* Hæretici *ab Aërio quodam ſunt*, qui dicebat *ſtatuta ſolenniter non eſſe celebranda jejunia: ſed quum quiſque voluerit, jejunandum, ne videatur eſſe ſub lege.* S. Aug. Hæreſ. 54.

Iovinianus

Ibid. Hæreſi 82. *Iovinianus* Hæreſiarcha *omnia peccata paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto; nec aliquid* PRODESSE JEJUNIA, *vel à* CIBIS ALIQUIBUS ABSTINENTIAM.

Epiſt. 119. cap. 15. *Quadrageſima ſanè jejuniorum habet authoritatem & in veteribus libris ex jejunio Moyſis & Eliæ, & ex Evangelio; quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonſtrans Evangelium non diſſentire à Lege & Prophetis. In qua ergo anni parte congruentiùs Obſervatio* QUADRAGESIMÆ *conſtitueretur, niſi confini atque contiguâ Dominicæ Paſſioni?*

Quæſt. 169. in Geneſ. lib. 1. *Non fruſtra quadraginta dies jejuniorum ſunt conſtituti, quibus Moyſes & Elias & ipſe Dominus jejunavit, & Eccleſia præcipuâ obſervatione jejuniorum,* QUADRAGESIMAM *vocat.*

Lib. 30. cont. Fauſt. cap. 5. *Chriſtiani non* HÆRETICI, *ſed* CATHOLICI, *edomandi corporis causâ propter animam ab irrationalibus motibus ampliùs humiliandam (non quòd illa* IMMUNDA *eſſe credant) non ſolùm à* CARNIBUS; *verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent: vel ſemper ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per* QUADRAGESIMAM *ferè omnes.*

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA cum Auguſtino contra Hæreticos Aërianos & Jovinianiſtas credit celebranda eſſe ſtatuta ſolenniter jejunia, & prodeſſe à cibis aliquibus abſtinentiam: ac in anni parte confini atque contiguâ Dominicæ Paſſioni obſervat QUADRAGESIMAM.

Prætenta REFORMATA cum præmemoratis Aërianis & Jovinianiſtis Hæreticis contra Auguſtinum, damnat eadem Statuta ſolenniter jejunia, & QUADRAGESIMAM tanto tempore in Eccleſia à Chriſti Fidelibus obſervatam repudiat, proſcribit & eliminat.

Digitized by Google

SESSIO XIX.

De Cœlibatu Eccleſiaſtico & Votis Monaſticis.

ORACULA AUGUSTINIANA.

A*Mbroſium* Epiſcopum Mediolanenſem, *fœlicem quemdam hominem ſecundùm ſæculum opinabar.* COELIBATUS *tantùm ejus mihi laborioſus videbatur. Quid autem ſpei ille gereret, & adverſùs ipſius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet, quàm ſapida gaudia de pane* cæleſti *ruminaret; nec conjicere poteram nec expertus eram.* Lib. 6. Confeſſ. cap. 3.

Doctor gentium & pudicitiam conjugalem per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam per quam nullus concubitus quæritur, ſermone ſuo cōmendans, & hoc & illud donum Dei eſſe monſtrat ſcribens ad Corinthios,& admonēs Conjuges ne ſe invicem fraudent. *Quos quum admonuiſſet, adjecit:* Vellem autem omnes homines eſſe ſicut meipſum; *quia utique ipſe ab omni concubitu continebat.* L. de Grat. & lib. Arbit. c. 4. 1. Cor. 7.

Oſtendit Paulus *ſibi licere quod cæteris Apoſtolis, id eſt ut non operetur manibus ſuis, ſed ex Evangelio vivat, ſicut Dominus conſtituit eis. Quod in conſequentibus apertiſſimè demonſtravit; ad hoc enim & fideles mulieres, habentes terrenam ſubſtantiam ibant cum eis,*& miniſtrabant eis de ſubſtantia ſua; *ut nullius indigerent horum quæ ad neceſſaria vitæ hujus pertinent. Quod Beatus Paulus licere quidem ſibi demonſtrat, ſicut & cæteri Apoſtoli faciebant; ſed eâ poteſtate ſe uti noluiſſe, poſtea commemorat. Hoc quidam non intelligentes, non* SOROREM MULIEREM *(quum ille diceret:* Nunquid non habemus poteſtatem Sororem mulierem circumducendi? *) ſed* UXOREM *interpretati ſunt. Feſellit eos verbi græci ambiguitas, quòd & Vxor & Mulier eodem verbo græcè dicitur. Quanquam hoc ita poſuerit Apoſtolus ut falli non debuerint; quia neque* MULIEREM *tantummodò ait, ſed* SOROREM MULIEREM: *neque* DUCENDI *ſed* CIRCUMDUCENDI. *Verumtamen alios interpretes non feſellit* L. de opere Monach c. 4. Matt. 17 Marc. 15

lit hæc ambiguitas, & Mulierem non Uxorem interpretati ſunt. Quod quiſquis putat non potuiſſe ab Apoſtolis fieri, ut cum eis ſanctæ converſationis mulieres circuirent quacumque Evangelium prædicabant, ut eis de ſua ſubſtantia miniſtrarent neceſſaria; Evangelium audiant & cognoſcant quemadmodum hoc ipſius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noſter more miſericordiæ ſuæ infirmioribus compatiens (quum ei poſſent Angeli miniſtrare) loculos habebat quò mitteretur pecunia, *quæ conſerebatur utique à bonis Fidelibus, eorum victui neceſſaria.* Quos loculos *Iudæ commendavit; ut etiam* fures *ſi evitare non poſſemus, tolerare in Eccleſia diſceremus.* Ille enim ea quæ mittebantur, *ſicut de illo ſcriptum eſt*, auferebat. *Et Mulieres voluit ut ſe ad præparanda & miniſtranda neceſſaria ſequerentur, oſtendens quid Evangeliſtis & Miniſtris Dei tanquam militibus, à Plebibus Dei tanquam Provincialibus deberetur.*

Lib. 2. de adult. Conjug. cap. 20. *Iſtos qui utilem excellentiam non putant niſi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis Conjugiis hærendo pereant in æternum: ſolemus eis proponere etiam* Continentiam Clericorum, *qui plerumque ad eam ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti; eamq; ſuſceptam uſque ad debitum finem Domino adiuvante perducunt. Dicimus ergo eis*: quid ſi & vos ad hoc ſubeundum, populorum violentiâ caperemini? Nónne ſuſceptum caste' cuſtodiretis officium, repentè converſi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitaſtis? *Sed illos* (inquiunt) *honor* plurimùm *conſolatur. Reſpondemus*: Et vobis timor ampliùs moderetur. Si enim multi Dei Miniſtri repentè atque inopinanter impoſitum ſuſceperunt, ſperantes ſe illuſtriùs in Chriſti hæreditate fulgere; quantò magis vos adulteria cavendo, vivere continenter debetis; metuentes non in regno Dei minùs lucere; ſed in gehennæ ignibus ardere?

In Pſal. 132. Quod ad Monachorum Inſtitutum Votaque attinet: *Reſpondeant nobis* (ait Auguſtinus) *& exponant qui inſultant nomini Monachorum, quare ille* qui inventus eſt triginta

Ioan. 5. octo annos habere in infirmitate, *hoc reſpondiſſe: Domino*:

Quum

Digitized by Google

Quum commota fuerit aqua, non habeo qui me deponat? Alius ante deſcendit. *Deſcenderat unus, jam alius non deſcenderat: Vnus ſolus ſanabatur, unitatem Eccleſiæ figurabat. Meritò inſultant nomini unitatis, qui ſe ab unitate præciderunt. Meritò illis* (nimirùm Donatiſtis Hæreticis, item Lutheranis, Calvinianis & aliis ejuſcemodi Sectariis) *diſplicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in Vnum cum Fratribus; ſed ſequentes Donatum,* Lutherum, Zuinglium, Calvinum, *dimiſerunt Chriſtum.*

Perrexit Petilianus Hæreticus *ore maledico in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum.* Lib. 3. cont. Liter. Petil. c. 40.

Ego qui hæc ſcribo, perfectionem de qua Dominus locutus eſt, quando ait diviti Adoleſcenti: Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo, & veni ſequere me: *vehementer adamavi, & non meis viribus & gratiâ ipſius adjuvante ſic feci. Neque enim quia dives non fui, ideò mihi minùs imputabitur. Nam neque ipſi Apoſtoli qui priores hoc fecerunt divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet & quod cupit habere, dimittit. Quantùm autem in hâc perfectionis viâ profecerim, magis quidem novi ego, quàm quiſquam alius homo; ſed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor: & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc (per meum miniſterium) perſuaſum eſt: ſic tamen ut præcipuè ſana doctrina teneatur, nec eos qui iſta non faciunt vanâ contumaciâ judicemus.* Epiſt. 89. Matt. 19

Vnde Apoſtoli filii Prophetarum, filii excuſſorum? *Sicut jam ſcientibus loquimur. Vnde* illi quingenti *qui Dominum poſt Reſurrectionem viderunt? Quod commemorat Apoſtolus Paulus. Vnde* illi centū viginti qui ſimul erant in uno loco *poſt Reſurrectionē Domini & Aſcenſionem in Cælum?* Quibus in uno loco conſtitutis ſupervenit Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes miſſus de Cælo, *ſic miſſus ſicut promiſſus. Omnes inde erant, & ipſi primò* habitaverunt in unum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt, *ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur.* S. Aug. in Pſal. 132. Act. 2.

legitur. Et diſtribuebatur unicuique ſicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid PROPRIUM; ſed erant illis OMNIA COMMUNIA. *Et quid eſt* IN UNUM ? Erat illis (*inquit*) anima una & cor unum *in Deum. Ergò ipſi priùs audierunt*, Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare Fratres in unum. *Primi audierunt, ſed non ſoli audierunt. Non enim uſque ad illos iſta dilectio & unitas Fratrum venit. Venit & ad poſteros iſta charitatis exultatio &* VOTUM DEO. *Vovetur enim aliquid Deo, & dictum eſt*: vovete & reddite Domino Deo veſtro. *Melius eſt autē non vovere & reddere, quàm vovere & non reddere. Sed debet eſſe impiger animus ad vovendum & reddendum. Ex voce huius Pſalmi appellati ſunt &* MONACHI, *ne quis de iſto nomine inſultet Catholicis.* Quid ſibi vult nomen Monachorum ? inquiebant Circumcelliones Hæretici. *Quantò meliùs dicimus nos.* Quid ſibi vult nomen Circumcellionum? *Verùmtamen ſunt Monachi falſi: ſed non periit* FRATERNITAS PIA *propter eos qui profitentur quod non ſunt. Tam ſunt enim Monachi falſi quàm &* CLERICI *falſi &* FIDELES *falſi. Quare nos non appellemus* MONACHOS, *quum dicat Pſalmus*; ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare Fratres in unum ? MONOS *enim* UNUS *dicitur.*

Pſalm 122.

De terra ſuſcitatus eſt *ſupra omnes divites* ille pauper (*Paulus Apoſtolus*) & de illo ſtercore erectus eſt *ſupra omnes opulentos* ille inops, ut ſedeat cum potentibus populi: *quibus ait*: Sedebitis ſuper duodecim ſedes, *& ſedem gloriæ hæreditatem dansris. Dixerant enim potentes illi*, ecce nos dimiſimus omnia & ſecuti ſumus te. HOC VOTUM *potentiſſimi* VOVERANT.

Lib. de Civitate Dei c. 4. Matth. 19.

Vovete & reddite Domino Deo veſtro. *Quid debemus vovere? Credere in illum, ſperare ab illo vitam æternam, bene vivere ſecundùm communem modum. Eſt enim quidam modus communis omnibus*, Non furtum facere. *Non nubere caſtimoniali præcipitur, & nuptæ non præcipitur:* Adulterium non facere, *omnibus præcipitur.* Non amare vinolentiam quâ ingurgitatur anima & corrumpit in ſe templum Dei, *omnibus æqualiter præcipitur.* Non ſuperbire, non hominem occidere,

In Pſal. 75.

occidere, non odiſſe Fratrem, non adversùs aliquem tenere perniciem, *omnibus in communi præcipitur. Hoc totum omnes vovere debemus. Sunt etiam* VOTA PROPRIA SINGULORUM. *Alius vovet Deo caſtitatem conjugalem, ut præter uxorem ſuam non noverit aliam: ſic & fœmina ut præter virum ſuum non noverit alium. Alii etiam vovent (etſi experti tale conjugium) ultra nihil tale pati, nihil tale concupiſcere aut ſuſtinere: & ipſi voverunt aliquid* MAJUS *quàm illi. Alii virginitatem ipſam ab ineunte ætate vovent; ut nihil tale vel experiantur, quale iſti experti ſunt & reliquerunt: & iſti voverunt* PLURIMÙM. *Alii voverunt domum ſuam eſſe Hoſpitalem omnibus Sanctis advenientibus: magnum Votum voverunt. Alius vovet relinquere omnia ſua diſtribuenda pauperibus, & ire in communem vitam in Societatem Sanctorum: magnum Votum vovit.* Vovete & reddite Domino Deo veſtro Vota. *Quiſque quod vovere voluerit, voveat: illud attendat ut quod voverit, reddat. Unuſquiſque Deo quod vovet,* ſi reſpicit retrorſum, *malum eſt. Neſcio quæ Caſtimonialis nubere voluit. Quid voluit? quod & Virgo qualibet. Quid voluit? quod & Mater ipſius. Aliquid mali voluit? mali planè! Quare?* quia jam voverat Domino Deo ſuo. *Quid enim dixit de talibus Apoſtolus Paulus, quum dicit* viduas adoleſcentulas nubere ſi velint? *Sed tamen ait quodam loco:* Beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium. *Oſtendit beatiorem ſi ſic permanſerit: non tamen damnandam ſi nubere voluerit. Quid autem ait de quibuſdam, quæ voverunt & non reddiderunt?* Habentes (*inquit*) damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. *Quid eſt* primam Fidem irritam fecerunt? Voverunt & non reddiderunt. *Nemo ergò poſitus in Monaſterio Frater dicat:* recedo de Monaſterio; neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio perventuri ſunt ad Regnum Cælorum: & illi qui ibi non ſunt, ad Deum non pertinent. *Reſpondetur ei:* Sed illi NON VOVERUNT; TU VOVISTI, TU RETRO RESPEXISTI.

1. Tim. 5. 1. Cor. 7. 1. Tim. 5.

Ordini Clericorum fit indigniſſima injuria, ſi DESERTORES *Monaſteriorum ad militiam Clericatus eligantur: quum ex his*

Auguſt. epiſt. 76. ad Aurel.

Digitized by Google

his qui in Monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores atque meliores, in Clerum aſſumere ſoleamus.

REFLEXIO.

Eccleſia ROMANA ad Sacrorum Ordinum exercenda officia nonniſi Cœlibes admittit, hoc eſt, qui continentiam perpetuam ſervare voluerint, prout fiebat tempore Auguſtini, qui adulteris conjugibus proponebat CONTINENTIAM Clericorum, quos plerumque violentia populorum etiam invitos ad ſubeundam ſarcinam illam capiebat.

Eadem Eccleſia probat, laudat, & recipit ſolennia Vota Monaſtica, quæ à Sanctiſſimo Doctore Auguſtino, tùm ſupra tùm alibi pluries commendantur. Imò de illo ſic refert Poſſidonius in ejus vita, capite quinto: Factus (*inquit*) Præsbyter Auguſtinus, Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cæpit, ſecundùm modum & regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam, maximè ut nemo QUICQUAM PROPRIUM in illa Societate haberet; ſed eſſent eis OMNIA COMMUNIA, & diſtribueretur unicuique prout cuique opus erat. *Subdit præmemoratus Poſſidonius capite undecimo.* Proficiente doctrinâ divinâ ſub Sancto & cum Sancto AUGUSTINO, in Monaſterio Deo ſervientes, Hipponenſis Eccleſiæ Clerici Ordinari cæperunt. Ac deinde innoteſcente & clareſcente de die in diem, Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, Sanctorumque Servorum Dei propoſito, continentiâ & paupertate profundâ; ex Monaſterio quod per illum venerabilem virum & eſſe & creſcere cæperat, magno deſiderio poſcere atque accipere Epiſcopos & Clericos, pax Eccleſiæ atque unitas & cæpit primò & poſteà conſecuta eſt. Nam fermè decem, quos ipſe novi ſanctos ac venerabiles Viros, continentes ac doctiſſimos, Beatus Auguſtinus diverſis Eccleſiis, nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit. Similiterque & ipſi ex illorum Sanctorum propoſito venientes, Domini Eccleſiis propagatis, & Monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis Verbi Dei, cæteris Eccleſiis promotos Fratres

ad

Digitized by Google

ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt. *Hæc Poſſidonius Epiſcopus Calamenſis ibidem.*

Prætenta REFORMATA Cœlibatum Eccleſiaſticum improbat contra Auguſtinum & Eccleſiam Primitivam. Vota Monaſtica ceu *illuſionem ex officina Satanæ prodeuntem reprobat*, cum Donatiſtis & Circumcellionibus Hæreticis. Unde *Ioannes Hamerſtedius* Pſeudo-Paſtor Trajectenſis, in ſua *Meretrice*, quam Gorichemi typis *Pauli Vink* nuperrimè edidit: *Papiſtici Monachi* (ait paginâ 240.) *non Chriſtum ſed Diabolum habent authorem*. Quis ſanæ ſobriæq; mentis ſibi in animum inducat, Auguſtinum, Benedictum, Bernardum, Brunonem, Norbertum, Dominicum, Franciſcum, Ignatium, & ejuſcemodi Viros vitæ ſanctitate, ac miraculorum gloriâ conſpicuos, *Diabolum habuiſſe authorem* Inſtitutorum Ordinum? Quis exadverſo vel mediocris judicii credat Lutherum cum ſua Catharina Boræa, totque (peſſimo illius exemplo) Deſertores Monaſteriorum ac Sacrilegos Apoſtatas (ex quorum colluvie coaluit factio prætenta Reformata) *Chriſtum habuiſſe authorem*? Quis inquam hoc ſibi perſuadeat, niſi velit horrendâ quâdam execrandâque blaſphemiâ, ea quæ Chriſti ſunt, tribuere Diabolo; & vice versâ ea quæ hujus ſunt, illi aſſignare?

Auguſtini tempore *Ordini Clericorum indigniſſima fiebat injuria, ſi Monaſteriorum Deſertores ad militiam Clericatus eligerentur.* At in prætenta Reformata electi ſunt Fœdifragi, Deſertores, Apoſtatæ, velut ſelectiora quædam fundamenta: quis enim alius vel Lutheri, vel Zuinglii, vel Calvini Miniſter eſſe voluiſſet, niſi dignum aptumque talibus patellis operculum? Et etiamnùm ſi quis è Monaſteriis profugit, vel ſacrilegii vel alterius cujuſcumque criminis reus, ad Calvinianum Miniſterium tanquam aptiſſimum prætentæ Reformationis inſtrumentum aſſumitur, eique *aſſociationis dexteræ* à cæteris ejuſdem Miniſterii Confratribus *porriguntur.*

Digitized by Google

SESSIO XX.

De Ritibus Eccleſiaſticis.

ORACULA AUGUSTINIANA.

S. Aug. epiſt. 119 ad Ianuar. cap. 7.

SI quæ figuræ ſimilitudinem etiam de inferiori creatura ducuntur ad diſpenſationem Sacramentorum, eloquentia quadam eſt doctrinæ ſalutaris, movendo affectui diſcentium accommodata à viſibilibus ad inviſibilia, à corporalibus ad Spiritualia, à temporalibus ad æterna.

Lib. de cura pro mortuis cap. 5.

Orantes, de membris corporis ſui faciunt quod ſupplicantibus congruit, quum GENUA FIGUNT; *quum* EXTENDUNT MANUS, *vel etiam* PROSTERNUNTUR *ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt: quamvis eorum inviſibilis voluntas & cordis intentio Deo nota ſit; nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus: ſed his magis ſeipſum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atque ferventiùs.*

Lib. 3. Retract. cap. 11.

Hilarius quidam, Vir Tribunitius, neſcio unde adversùs Dei Miniſtros (ut fieri aſſolet) irritatus; morem qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, ut HYMNI *ad* ALTARE *dicerentur de Pſalmorum libro; ſive ante* OBLATIONEM, *ſive quum* DISTRIBUERETUR *populo quod fuiſſet* OBLATUM, *maledicâ reprehenſione ubicumque poterat, lacerabat; aſſerens fieri non oportere. Huic jubentibus Fratribus reſpondi, & vocatur* liber contra Hilarium.

Epiſt. 178.

Sciendum eſt AMEN *&* ALLELUIA, *quod nec Latino nec barbaro licet in ſuam linguam transferre, Hebræo cunctas gentes vocabulo decantare.*

De verbis Domini ſerm. 8.

In hoc ipſo quod ſonuit CONFITEOR, *pectora* TUTUDISTIS. TUNDERE *autem* PECTUS *quid eſt niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum?*

in Pſal. 141.

Uſque adeò de Cruce non erubeſco, ut non in occulto loco habeam Crucem Chriſti; ſed in FRONTE *portem.*

Nondum

Nondum quidem adhuc(ô Catechumeni)*per Sacrum Baptiſmum renati eſtis, ſed per* Crucis Signum *in utero Sanctæ Matris Eccleſiæ jam concepti eſtis.* De Symb. c. 1.

Refert B. Auguſtinus religioſiſſimam Fœminam de Primariis Civitatis Carthaginenſis, in mamilla cancrum habuiſſe. Quum autem à perito Medico, & ſuæ domui familiariſſimo accepiſſet, rem nullis eſſe medicamentis ſanabilem, niſi vel præcidendo & ſeparando à corpore membrum ubi naſcitur, vel fomentis frequentibus mitigando peſtem, ut aliquantò quietiùs vivatur & mors tardiùs adſit: illa ad ſolum Deum orando ſe converterat. Admonetur in ſomnis appropinquante Paſchâ, ut obſervanti ad baptiſterium quæcumque baptizata primitùs illi occurriſſet, Signaret ei locum Signo Crucis Christi. Fecit & confeſtim ſanitas ſecuta eſt. Medicus ſanè qui ei dixerat, ut nihil curationis adhiberet ſi paulò diutiùs vellet vivere; quum inſpexiſſet eam poſteà, & ſaniſſimam comperiſſet, quam priùs habere illud malum tali inſpectione cognoverat, quæſivit ab ea vehementer, quid adhibuiſſet curationis, cupiens noſſe medicamentum. Quumque ab ea quid eſſet factum, audiſſet: voce velut contemnentis & vultu, ita ut illa metueret ne aliquod contumelioſum verbum proferret in Chriſtum: *Putabam* (inquit) *magnum aliquid te mihi fuiſſe dicturam.* Atque illâ jam exhorreſcente, mox addidit: *Quid grande fecit Chriſtus ſanare cancrum, qui quatriduanum ſuſcitavit mortuum?* Lib. 22. de Civit. Dei c. 13.

Contradicitur Pelagianorum *contentione* Benedictionibus nostris, *ut in caſſum ſuper populum dicere videamur, quicquid eis à Domino precamur, ut rectè ac piè vivendo illi placeant: & illa quæ pro Fidelibus precatur Apoſtolus dicens,* Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jesu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in Cælo & in terra nominatur, ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum ejus; *Si ergò voluerimus* benedicendo super populum *dicere*: Da illis Domine virtute corrobo- Epiſt. 90. quæ eſt Patrum Concil. Carthag. inter quos erat Aug. Epheſ. 3.

rari per Spiritum tuum, *iſtorum nobis diſputatio contradicit.*

Lib. 4. contra Creſcon. Gram. cap. 40.

Felicianus Hæreticus Donatiſta aut Maximianiſta *in Muſtitana ſeſſus Civitate, Deo Omnipotenti* PARIETES CONSECRATOS, *Eccleſiam venerandam, quaſi quâdam obſeſſione credidit retinendam. Hunc etiam Prætextatus*(ejuſdem Sectæ cum Feliciano) *in Aſſuritanis partibus imitatur.*

Lib. 22. de Civit. Dei c. 8.

Vir Tribunitius Heſperius *acceperat ab amico ſuo* TERRAM SANCTAM *de Hieroſolymis allatam, ubi ſepultus Chriſtus die tertiâ reſurrexit: eamq; ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur* à ſpiritibus malignis cum afflictione animalium & ſervorum, domum ipſam vexantibus. *At ubi domus ejus ab illa infeſtatione purgata eſt*, oblato ibi SACRIFICIO Corporis Chriſti, *quid de illa terra fieret, cogitabat; quam diutiùs in cubiculo ſuo (reverentiæ causâ) habere nolebat. Fortè accidit ut ego & Collega tunc meus Epiſcopus Eccleſiæ Synicenſis* MAXIMINUS *in proximo eſſemus. Ut veniremus rogavit, & venimus. Quumque nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petivit ut infoderetur alicubi; atque ibi* ORATIONUM LOCUS *fieret, ubi etiam poſſent Chriſtiani ad celebranda quæ Dei ſunt, congregari. Non reſtitimus, factum eſt. Erat ibi Iuvenis Paralyticus ruſticanus, qui hoc audito petivit à Parentibus ſuis, ut ſe ad eum* LOCUM SANCTUM *non cunctanter afferrent. Quò quum fuiſſet allatus, oravit; atque inde continuò pedibus ſuis ſalvus abſceſſit.*

Lib. 10. de Civit. Dei c. 4.

Beneficiorum Dei SOLENNITATIBUS, FESTIS & DIEBUS STATUTIS, DICAMUS SACRAMUSQUE *memoriam; nè volumine temporum ingrata ſubrepat oblivio.*

Lib. contra Adimant. c. 13.

Nos & Dominicum diem & Paſcha ſolenniter celebramus, & quaſlibet alias CHRISTIANAS DIERUM FESTIVITATES. *Sed quia intelligimus quò pertineant*, non tempora obſervamus; *ſed quæ illis ſignificantur temporibus.*

Lib. 1. ſeu epiſt. ad Inqui. Ianuar. cap. 5.

Quæris an per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadrageſimæ offerendum ſit manè & rursùs poſt cœnam? An jejunandum, & poſt cœnam tantummodò offerendum? An etiam jejunandum, & poſt Oblationem (ſicut facere ſolemus) cœnandum? Ad hæc itaque ita reſpondeo, ut quid horum ſit faciendum ſi

divinæ

divinæ Scripturæ præſcribit authoritas, non ſit dubitandum. Similiter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc quin ita faciendum ſit, diſputare; inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Liquidò apparet quando primùm acceperunt Diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quòd à jejunis ſemper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut IN HONOREM TANTI SACRAMENTI, *in os Chriſtiani primùm* DOMINICUM CORPUS *intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* Ibid. cap. 6.

Chriſtus non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Ibidem

Tempore Paſchali & jejunia relaxantur, & STANTES ORAMUS, *quod eſt ſignum Reſurrectionis. Vnde etiam omnibus diebus Dominicis id ad* ALTARE *obſervatur, &* ALLELUIA *canitur: quod ſignificat actionem noſtram futuram, non eſſe niſi laudare Deum.* Lib. 2 ſeu Epiſt. ad eaſdem Inquiſ. cap. 15.

Inordinatè vivere, & diverſi generis profeſſiones velle miſcere, ut vel SANCTIMONIALIS *habeat ornamenta nuptiarum, vel ea quæ ſe non continens nupſit, ſpeciem* VIRGINIS *gerat, omnimodò peccatum eſt.* Lib. 6. cont. Fauſt. cap. 9.

De Cæremoniis Baptiſmi, vide ſupra paginâ 143. & 144. ne hîc ſuperfluè repetantur.

REFLEXIO.

In Eccleſia ROMANA obſervatur, quod in Primitiva (tempore Auguſtini) fiebat. *Figuntur genua, extenduntur manus, ſolo proſternuntur corpora, Hymni ad Altare dicuntur, Amen & Alleluia decantantur, pectora tunduntur, non erubeſcitur de Cruce Chriſti Domini, ſed ejus ſignum in fronte portatur, populis ab Epiſcopis benedictio datur, Eccleſiarum parietes conſecrantur; Solennitatibus, Feſtis & ſtatutis diebus dicatur ſacraturque memoria beneficiorum Dei, tempore Paſchali oratur ſtando, diverſi generis profeſſiones non miſcentur. Fit de-*

nique quod tota per totum orbem frequentavit olim Eccleſia.

Prætenta REFORMATA articulo vigeſimo tertio Confeſſionis Pſeudo-Fidei ſuæ, falsò aſſerit *Ritus ſeu Carcmonias non eſſe amplius in uſu.* Attamen Diſciplinæ ſuæ Eccleſiaſticæ (uti vocitant) capite decimo, articulo primo, *corrigi mandat irreverentiam nonnullorum, qui in Precibus tum publicis tum privatis, nec caput aperiunt, nec genua flectunt, & hæc repugnare Pietati* pronuntiant.

In FORMA ſeu Methodo Precum Eccleſiaſticarum, miniſtrandorum Sacramentorum, celebrandi Matrimonii, & viſitandorum infirmorum, quam Catechiſmo ſuo & Profeſſioni Fidei Calvinianæ præfixerunt prætenti Reformatores, antiquiſſimos Eccleſiæ primitivæ Ritus omnes abrogarunt, ut eorum loco ſuos, hoc eſt, à ſemetipſis fabricatos ſubrogarent & ſubſtituerent, non ex ullo Scripturæ Sacræ præſcripto; ſed ex mera cordis ſui adinventione & pro ſuo placito, prout ſequenti Methodo enucleatiùs oſtendemus.

EPILOGVS PARÆNETICVS

Ad Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos & alios quoſcumque Acatholicos & Heterodoxos.

Deutilit. creden. ad Honorat.

EN Vobis, ô prætenti *Evangelici, Proteſtantes, Reformati*, & quocumque tandem nomine *Sectarii*: en inquam vobis Auguſtinus ille, *Catholicæ Chriſtianitatis Præceptor optimus.* Huic vos *piâ Fide, alacri Spe, & ſimplici Charitate committite.* In Eccleſia Catholica non ſolùm vitæ ſanctitate, ſed etiam *doctrinæ ſanæ ſtudiis* præ reliquis omnibus *claruit. Tali poſt Apoſtolos Plantatore, Rigatore, Ædificatore, Paſtore, Nutritore crevit* eadem Eccleſia: cui *neceſſariam eſſe tanti Viri doctrinam* pronuntiavit Melanchton veſter. *Optimum* verò *ex totâ antiquitate & fideliſſimum teſtem*

Lib. 1. contra Iulian.

teſtem agnovit Calvinus; imò *unum illum ſufficere poſſe aſſeruit, ut ex illo ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu Antiquitatis habere certi voluerint. Non ſolùm Filius eſt, ſed & PATER Eccleſiæ, & ex illorum numero de quibus Pſalmo quadrageſimo quarto dicitur:* Pro Patribus nati ſunt tibi Filii.

Calvin. lib. 3. Inſtitut. c. 3. & lib. 4. c. 14.

Vos ante illum Iudicem in veſtro corde conſtituo, quem nec amicum noſtrum nec inimicum veſtrum, in noſtrâ vobiſcum diſceptatione conſtitui Cognitorem. Quod invênit in Eccleſia, tenuit: quod didicit, docuit: quod à Patribus accepit, hoc Filiis tradidit. Nondum vobiſcum apud iſtum Iudicem aliquid agebamus, & apud eum acta eſt cauſa noſtra. Nec nos nec vos ei noti fueramus, & ejus contra vos prolatas ſententias recitamus. A Lutheranis, Zuinglianis, Calvinianis, *tenebris ad hoc tam clarum Catholicum lumen provocamus; vos autem quò confugietis? An etiam* AUGUSTINUM *cæcum dicere audebitis? Et uſque adeò permiſcuit imis ſumma longus dies, uſque adeò tenebræ lux, & lux tenebræ dicuntur: ut viderint* Lutherus, Zuinglius, Calvinus, *& cæcus fuerit* AUGUSTINUS? *Ejus ergò appendite ſententias. Nolui eſſe plures, ut eas vos non pigeret numerare. Sed non ſunt leves, ut eas dedignemini appendere: imò tam ſunt graves, ut vos videam ſub earum onere laborare.*

S. Aug. lib. 2. cont. Iulian. cap. 10.

Qui autem tam crebrò nobis IDOLOLATRARUM, Anti-Chriſti ſatellitum vel aſſeclarum, aliaque ejuſcemodi infamia, probroſa & propudioſa nomina *opponitis, quem & qualem Virum, & quantum Fidei Catholicæ Defenſorem, tam execrabili criminatione appetere audeatis, ſi evigilatis, intuemini. Ite nunc, & nobis objicite* quòd in prætentæ Fidei veſtræ Profeſſione, articulo vigeſimo octavo, non minùs impiè quàm falsò ſupponitis, nimirùm ab Eccleſiis Papiſticis puram Dei veritatem eſſe proſcriptam: Sacramenta corrupta, adulterata, falſificata & ex toto annihilata; omneſque ſuperſtitiones & idololatrias illic graſſari. *Cernite cum quo veſtra maledicta ſuſtineamus.* Quum enim eaſdem cum Auguſtino & primitivâ Eccleſiâ Veritates, eoſdem Fidei articulos, eadem Sacramenta, eoſdem Ritus teneamus &

profiteamur; quid aliud ex hac veſtra accuſatione, ex hoc judicio, ex hac condemnationis ſententia conſequitur, niſi eundem Auguſtinum & tot quot Eccleſiæ Patres & Filios eo tempore, *omnibus ſuperſtitionibus & idololatriis* immerſos, pollutos & inquinatos fuiſſe: Vos autem ſolos CATHAROS ſeu puros; unde & plerique veſtrum ſeſe PURITANOS venditant & vocitant? Quòd ſi tanta eſt vel cœcitas, vel pervicacia, vel animoſitas, vel factionis veſtræ tuendæ ſtudium, ut Sanctiſſimum ac ſapientiſſimum Auguſtinum præ Novatoribus ac prætentis Reformatoribus veſtris contemnatis & repudietis: novam verò recenſque exortam (quam falsò dicitis Eccleſiam) antiquiſſimæ & veriſſimæ primitivæ Chriſti Eccleſiæ præferatis, tunc juxta ejuſdem Doctoris piiſſimum monitum, *non tam contra vos rationibus agendum eſt, quàm orationibus pro vobis ſatagendum & inſtandum.*

S. Aug. Hæreſ. 38.

CAPUT XX.

Quædam aliæ Praxes Auguſtinianæ cooperandi errantium Converſioni.

SECTIO I.

Praxis ſeu Methodus Auguſtiniana circa Honoratum Manichæum.

Lib. 1. Retract. c. 14.

AUguſtinus apud Hipponem Regium ſcripſit librum *de Vtilitate credendi* ad Honoratum amicum ſuum, quem deceptum à Manichæis, adhuc eo errore noverat detineri. Ubi (inter alia) hæc eidem amico ſuo proponit.

Aug. de utilit. credendi ad Honorat.

Noſti HONORATE *non ob aliam cauſam nos in tales homines* (Manichæos Hæreticos) *incidiſſe, niſi quod dicebant, terribili authoritate ſeparatâ, mirâ & ſimplici ratione eos qui ſe audire vellent, introducturos ad Deum. Quid enim me aliud cogebat*

gebat annos ferè novem, ſpretâ Religione quæ mihi puerulo à Parentibus inſita erat, homines illos ſequi ac diligenter audirem, niſi quòd nos SUPERSTITIONE *terreri, & Fidem nobis ante rationem imperari dicerent: ſe autem nullum premere ad Fidem, niſi priùs diſcuſſâ & enodatâ veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præſertim adoleſcentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in Scholâ Doctorum hominum diſputationibus ſuperbus & garrulus, qualem me tunc illi invenerunt, ſpernentem quaſi aniles fabulas, & ab eis promiſſum, apertum & ſincerum verum, tenere atque haurire cupientem? Sed ipſos animadvertebam, plùs in refellendis aliis diſertos, quàm in ſuis probandis firmos & certos. Nunc ubera Eccleſiæ poſt longiſſimam ſitim propè exhauſtus atque avidus, totâ aviditate repetivi, eaq; altiùs flens & gemens concuſſi & expreſſi. Nobis faciebant quod inſidioſi aucupes ſolent, qui virgatos ſurculos prope aquam defigunt, ut ſitientes aves decipiant. Obruunt enim & quoquo modo cooperiunt alias quæ circa ſunt aquas, vel inde etiam formidoloſis molitionibus deterrent; ut in eorum dolos non electione, ſed inopiâ decidatur. Sed ſeparatis nugis locorum communium, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione confligat.*

Pergit Auguſtinus. *Puta nos* (inquit) *adhuc neminem audiſſe cujuſpiam Religionis inſinuatorem. Fac nos primùm nunc quærere cuinam* RELIGIONI *animas noſtras purgandas inſtaurandaſque tradamus. Procul dubio à* CATHOLICA ECCLESIA *ſumendum eſt exordium: plures enim jam Chriſtiani ſunt, quàm ſi Iudæi ſimulachrorum cultoribus adjungantur. Eorūdem autem Chriſtianorum quum ſint* HÆRESES PLURES, *atque omnes ſe* CATHOLICOS *videri velint, alioſque præter ſe* HÆRETICOS *nominent;* UNA EST ECCLESIA (*ut omnes norunt*) *ſi totum orbem conſideres,* REFERTIOR MULTITUDINE: *ut autem qui noverunt, affirmant, etiam* VERITATE SINCERIOR *cæteris omnibus.* UNA *eſt* CATHOLICA, *cui Hæreſes diverſa nomina imponunt,* ut Papiſticæ ſeu Pontificiæ, ac etiam Meretricis Babylonicæ, quemadmodùm paſſim ſolent Pſeudo-Miniſtri, hoſtes illius juratiſſimi: *quum ipſa ſingu-* Ibid. cap. 7.

Digitized by Google

læ propriis vocabulis, quæ ab Authoribus Manichæo, Lu-
thero, Calvino & aliis *acceperunt, & quæ negare non audent, appellentur. Ex quo intelligi datur (judicantibus Arbitris quos nulla impedit gratia) cui ſit* CATHOLICUM NOMEN, *ad quod*
ibid. *omnes ambiunt, tribuendum. Sequere igitur viam* CATHOLI-
cap. 8. CÆ DISCIPLINÆ, *quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos uſque manavit; & ab hinc ad poſteros manatura eſt.*

ibid. *Sed ridiculum* (inquis) *iſtud eſt, quum omnes hanc ſe profi-*
cap. 9. *teantur tenere ac docere. Profitentur hoc* OMNES HÆRETICI, *negare non poſſum: Eóque Catholicam maximè criminantur, quòd illis qui ad eam veniunt præcipitur ut credant: ſe autem non jugum credendi imponere; ſed docendi fontem aperire gloriantur.*

ibid. *In Religione quid iniquiùs fieri poteſt, quàm ut Dei Antiſtites*
cap. 10. *nobis non fictum animum pollicentibus credant; & nos eis præcipientibus nolimus credere? Poſtremò quæ poteſt eſſe via ſalubrior, quàm idoneum primò fieri percipiendæ veritati, adhibendo iis Fidem quæ ad præcolendum & ad præcurandum animum ſunt divinitùs conſtituta: aut ſi jam idoneus ſis, circuire potiùs aliquantùm quà tutiſſimum eſt ingredi; quàm & tibi eſſe authorem periculi, & cæteris temeritatis exemplum?*

ibid. *Quod intelligimus debemus rationi; quod credimus, autho-*
cap. 11. *ritati; quod opinamur, errori.*

ibid. *Si quod neſcitur, credendum non eſt, quomodò ſerviant Pa-*
cap. 12. *rentibus liberi, eoſque mutuâ pietate diligant, quos Parentes ſuos eſſe non credant? Non enim ratione ullo pacto ſciri poteſt; ſed interpoſitâ Matris authoritate de Patre creditur. Quum de Religione agitur, nihil nobis reſtare amodò vides, ſi nobis vita optima & Religio cordi eſt, niſi ut quæramus Sapientes.*

ibid. *Hîc rurſus oritur difficillima quæſtio, quomodò enim modò*
cap. 13. *ſtulti Sapientem invenire poterimus? Huic tam immani difficultati, quoniam de Religione agitur, Deus ſolus mederi poteſt: quem niſi & eſſe, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipſam veram Religionem debemus. Rectè igitur Catholicæ Diſciplinæ majeſtate inſtitutum eſt, ut accedentibus ad Religionem Fides perſuadeatur ante omnia.*

Quid

Digitized by Google

Quid quòd omnes Hæretici Chriſto nos credere hortantur, poſſúntne ſibi magis adverſari? Etenim nullis me video de Chriſto credidiſſe, niſi populorum atque gentium confirmatæ opinioni ac famæ admodùm celeberrimæ: hos autem populos ECCLESIÆ CATHOLICÆ MYSTERIA occupaſſe. Cur non igitur apud eos potiſſimùm diligentiſſimè requiram quid Chriſtus præceperit, quorum authoritate commotus, Chriſtum aliquid utile præcepiſſe jam credidi? An Manichæi, Lutherani aut Calviniani mihi meliùs expoſituri ſunt quid Chriſtus dixerit, quem fuiſſe aut eſſe non putarem, ſi ab iis hoc mihi commendaretur eſſe credendum? Hoc ergo credidi (ut dixi) famæ, celebritate, conſenſione, & vetuſtate roboratæ. Illi autem Manichæi, Lutherani, Calviniani, & tam pauci & tam turbulenti & tam novi, nemini dubium eſt quin nihil dignum authoritate proferant. Quænam igitur iſta tanta dementia eſt, CATHOLICIS CREDE, CHRISTO ESSE CREDENDUM: & à Manichæis, Lutheranis, Calvinianis & ejuſcemodi novis hominibus diſce quid dixerit Chriſtus? Cur obſecro te? Nam ſi Catholici deficerent, nec me quicquam docere poſſent, multò faciliùs mihi perſuaderem, Chriſto non eſſe credendum; quàm de illo cuiquam, niſi ab eis per quos ei credidiſſem, diſcendum. ibid. cap. 14.

SCRIPTIS (ais) CREDE. At Scriptura omnis ſi nova & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis nullâ confirmante ratione; non illi, ſed iis qui eam proferunt, creditur. Quamobrem Scripturas illas ſi proferunt Manichæi, Lutherani, Calviniani, tam PAUCI & tam NOVI, non libet credere. Rurſus me ad multitudinem famamque revocabis. Cohibe tandem pertinaciam, & mone potiùs ut hujus multitudinis PRIMATES quæram, & quæram diligentiſſimè ac laborioſiſſimè, ut ab his potiùs de HIS LITERIS aliquid diſcam; qui ſi non eſſent, diſcendum omninò eſſe neſcirem. Tu verò in latebras tuas redi, nec quidquam inſidiare ſub nomine VERITATIS, quam conaris eis adimere, quibus AUTHORITATEM ipſe concedis. Chriſtus MIRACULIS conciliavit authoritatem: AUTHORITATE meruit Fidem: FIDE contraxit multitudinem: MULTITUDINE obtinuit vetuſtatem: VETUSTATE roboravit RELIGIONEM; quam non ſo-

lùm

lum Hæreticorum ineptiſſima NOVITAS *fraudibus agens, ſed nec Gentium quidem veternoſus* ERROR *violenter adverſans, aliqua ex parte convelleret.*

Ibidem cap. 16. *Non eſt deſperandum ab ipſo Deo* AUTHORITATEM *aliquam conſtitutam, quâ velut gradu certo innitentes attollamur in Deum. Hac autem ſepoſitâ ratione, quam ſinceram intelligere (ut ſæpè diximus) difficillimum ſtultis eſt, dupliciter nos movet: partim* MIRACULIS, *partim* SEQUENTIUM MULTITUDINE. *Nihil autem horum neceſſarium eſſe Sapienti quis negat? Sed id nunc agitur, ut Sapientes eſſe poſſimus*, id eſt, inhærere VERITATI. *Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique ſe ſinat;* AUTHORITAS *præſto eſt, quam (ut paulò antè dixi) partim* MIRACULIS, *partim* MULTITUDINE *valere nemo ambigit.*

ibid. cap. 17. *Parúmne conſultum rebus humanis arbitraris quòd* CONTINENTIA *uſque ad tenuiſſimum victum panis & aquæ; & non quotidiana ſolùm, ſed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia: quòd* CASTITAS *uſque ad Conjugii prolisq; contemptum: quòd* PATIENTIA *uſque ad cruces flammaſque neglectas: quòd* LIBERALITAS *uſque ad patrimonia diſtributa pauperibus: quòd denique totius hujus* MUNDI ASPERNATIO *uſque ad deſiderium mortis intenditur? Pauci hoc faciunt; pauciores bene prudenterq; faciunt: ſed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt poſtremò populi. Populi ſuam imbecillitatem (quòd iſta non poſſunt) nec ſine provectu mentis in Deum, nec ſine quibuſdam ſcintillis virtutis accuſant. Hoc factum eſt divinâ Providentiâ per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Chriſti, per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortes; per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his univerſis* DIGNA *rebus tantis atque virtutibus pro temporum oportunitate* MIRACULA. *Quum igitur* TANTUM AUXILIUM DEI, *tantum profectum fructumq; videamus, dubitabimus nos ejus* ECCLESIÆ *condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani ab* APOSTOLICA SEDE PER SUCCESSIONES EPISCOPORUM, *fruſtra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis*

ipſius

ipſius judicio, partim CONCILIORUM *gravitate, partim etiam* MIRACULORUM MAJESTATE *damnatis*, CULMEN AUTHORITATIS *obtinuit? Cui nolle* PRIMAS DARE, *vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. Nam quid eſt aliud ingratum eſſe opi atque auxilio divino, quàm tanto labore præditæ* AUTHORITATI *velle reſiſtere?*

Quamobrem ſi quid te vel ratio vel oratio noſtra commovit; & ſi veram (ut credo) curam tui geris, velim me audias: & bonis præceptoribus CATHOLICÆ CHRISTIANITATIS, *te piâ Fide, alacri Spe, & ſimplici Charitate committas: Deumque ipſum, cujus unus & bonitate facti ſumus, & juſtitiâ pœnas luimus, & clementiâ liberamur, orare non ceſſes. Ita tibi neque præcepta & diſputationes doctiſſimorum hominum & verè Chriſtianorum, neque libri, neque ſerenæ ipſæ cogitationes defuerint, quibus facilè quod quæris invenias. Nam iſtos verboſos & miſeros* Manichæos, Lutheranos, Calvinianos, Anabaptiſtas, & ejuſcemodi, *penitùs deſere: qui dum nimis quærunt, ſæpè auditores erigunt ad quærendum. Sed ea docent excitatos, ut vel dormire ſemper ſatiùs ſit quàm illo modo evigilare. Multa me docuit Eccleſia Catholica, ad quæ illi homines exangues corporibus, ſed craſſi mentibus aſpirare non poſſunt. Memineris nondum me eos cœpiſſe refellere, & illas nugas nondum invaſiſſe; neque de ipſa Catholica magnum aliquid aperuiſſe ſed voluiſſe tantùm eruere tibi (ſi poſſem)* FALSAM OPINIONEM *de* VERIS CHRISTIANIS *malitioſè aut imperitè inſinuatam; & erigere ad magna quædam & divina diſcenda. Quare placatiore animo tuo facto, ero fortaſſe in cæteris promptior.* Hæc Auguſtinus.

Adverte (*Benevole Lector*) hujuſce Praxis ſeu Methodi Auguſtinianæ vim in eo ſitam eſſe, & in eum potiſſimè ſcopum collimare; ut nimirùm *Honoratus* nomine quidem profeſſioneque Chriſtianus, reverà tamen Manichæus, ſupponat ſe primitùs quærere, cuinam Religioni (inter tot diverſas & adverſas Chriſtianorũ Sectas adhærere velit.

Primò, Ab Eccleſia Catholica ſumendum eſſe exordium docet Auguſtinus: tum quia plures ſunt Catholici; tum

tum quia ipſi etiam Hæretici ſe Catholicos videri volunt: tum denique quia UNA eſt CATHOLICA, cui Hæreſes diverſa pro ſuo libitu nomina imponunt, quum ipſæ ſingulæ propriis appellentur vocabulis ab Authoribus ipſarum, ut Hæreſis Lutherana, Zuingliana, Calviniana, & ejuſmodi. Quemadmodùm dictæ ſunt olim Hæreſes, Ariana, Macedoniana, Neſtoriana, Eutychiana, & aliæ ſimiles. Hinc colligit Auguſtinus ſequendam eſſe viam CATHOLICÆ DISCIPLINÆ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos uſque manavit, & ab hinc ad poſteros manatura eſt.

Secundò, Pergit Auguſtinus & oſtendit Hæreticos omnes non poſſe ſibi magis adverſari, quàm eo ipſo quo nos Chriſto credere hortantur. Quod hac ratione probat. Nullis de Chriſto credidimus, niſi iis quos ECCLESIÆ CATHOLICÆ MYSTERIA jam occupaverant. Addo nec Lutherum ipſum, nec Zuinglium, nec Calvinum (ut reliquos prætermittam) ullis de Chriſto credidiſſe, niſi Catholicis, ſeu Pontificiis (quemadmodùm ipſi vocitant) Parentibus Paſtoribúſve. Quandoquidem tum idem Lutherus, tum Zuinglius, tum Calvinus primam notitiam primamque de Chriſto Fidem non ab Huſſitis, non à Taboritis Bohemis, non à Wickleffitis, non à Valdenſibus, ſed à Catholicis ſeu Pontificiis Parentibus & Paſtoribus hauſerint. Cur non igitur quid Chriſtus vel credendum vel agendum præceperit, apud eos potiſſimùm requiramus, quorum authoritate, non ſolummodò Nos; ſed etiam Lutherus ipſe, & Zuinglius, & Calvinus, Chriſtum aliquid utile præcepiſſe crediderunt? An Lutherani, Zuingliani, Calviniani nobis meliùs expoſituri ſunt quid Chriſtus dixerit: quem fuiſſe aut eſſe non putaremus ſi hoc nobis eſſe credendum commendaretur ab iis, qui tam pauci, tam turbulenti & tam novi, nihil dignum authoritate proferunt?

SCRIPTURIS credite (*inquiunt*) at ſi illas proferunt tam pauci & tam novi: non ipſis Scripturis, ſed his qui eas

proferunt,

proferunt, credetur. Verùm undénam & à quo SCRIPTURAS SACRAS habuerunt Lutherani, Zuingliani, Calviniani, Anabaptiſtæ, & id genus Sectarii? Quis eis hæc ſacroſancta pignora conſignavit? Quis in manus tradidit? Quis Canonicos eſſe libros definivit, & ab Apochryphis diſcrevit? Si verum fateri lubet, à CATHOLICIS procul dubio qui tot ſæculis eos præceſſerunt, ſanctiſſimos illos Codices velut de manu in manum acceperunt. Niſi fortaſſis à JUDÆIS ſe emendicaſſe glorientur. Saltem non inficias ibunt Evangelia, Epiſtolas Apoſtolicas, & alias novi Teſtamenti tabulas non à Judæis, ſed à Catholicis ſe habuiſſe. A quibus & Baptiſmo initiati ſunt prætenti primi Reformatores, & Catechiſati, & in agnitione Fidei Chriſtianæ eruditi, ac etiam Ordinati, priuſquàm abruptâ diſciſsâque unitate foras prorumperent, & ſemetipſos alioſque horrendo execrandoque Schiſmate à Communione Romana divellerent, dividerent, ſepararent. Quantò igitur rationabiliùs & ſecuriùs, ut aliquid nobis certi conſtet de Scripturis & Fdei Chriſtianæ dogmatibus ad Catholicos antiquiſſimos accedemus; quàm ad noviſſimos prætentos Reformatores, qui nonniſi ab iiſdem Catholicis & Scripturas, & Baptiſmum, & primam Chriſtianorum dogmatum notitiam ſe habuiſſe (velint nolint) fateri coguntur?

Rursùs quiſnam recentiſſimis illis Apoſtolis Luthero, Calvino, Muncero & aliis *aperuit ſenſum ut intelligerent Scripturas*, & ut Pſeudo-Fidei ſuæ articulos, nulli legitimorum Conciliorum, nulli Sanctorum Patrum probatos: ſed ab Hæreſiarchis excogitatos, ab iiſdem Conciliis & Patribus reprobatos ac damnatos, omninoque conſepultos denuò ſuſcitarent, ac velut è Scripturis per fallaces & erroneas illationes eruerent? An hîc *perſuaſionem interiorem* (quam Profeſſionis ſuæ Fidei articulo quarto ſibi effingunt & affingunt) *Spirituſq; Sancti teſtimonium* prætendent & obtendent? Sed cuinam affuit Spiritus ille? Nùm Luthero? Nùm Calvino? Nùm Muncero Ana- Luc. 24.

P baptiſtarum

baptiſtarum parenti? Hi etenim de graviſſimis & fundamentalibus Religionis Capitibus, puta *de Scripturis Sacris*, *de Baptiſmo*, *de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in*
1. Cor. *Euchariſtia*, inter ſeſe acerrimè digladiantur. Sed *nunquid*
14. *Spiritus Sanctus eſt diſſenſionis & diviſionis Spiritus*, & non *potiùs pacis & unitatis*?

Verùm apertiſſimè clamitant, non ſolùm prætentæ Eccleſiæ Reformatæ Antiſtites, Miniſtri, & Seniores; ſed etiam quilibet Opifices, Sartores, Sutores, Textores, Nautæ, Aurigæ, Laniones, Piſtores, Fabri ferrarii, Lignarii: imò & mulierculæ præſumptuoſæ, curioſæ, garrulæ; clamitant inquam quod olim occinebant Manichæi Hæretici: QUUM LEGEREMUS SCRIPTURAS, PER NOS COGNOVIMUS. Per voſmet ergò novo Reformationis novæ
Lib. de Spiritu afflatos cognoviſtis: *Itáne eſt?* inquit Sanctus Do-
util. cre- ctor Auguſtinus, *nullâ imbutus diſciplinâ Poëticâ, Terentia-*
den. c.7. *num Maurum ſine Magiſtro attingere non auderes, & in eos libros, qui quoquo modo ſe habeant, Sancti tamen divinarumq́; rerum pleni, propè totius generis humani confeſſione diffamantur, ſine duce irruis* (ô prætente Reformate) *& de his ſine præceptore audes ferre ſententiam?* An ignoras non ſolùm *in Epiſtolis Apoſtoli; ſed etiam in aliis Scripturis eſſe* QUÆDAM
2. Petr. DIFFICILIA INTELLECTU, *quæ indocti & inſtabiles depravant*
cap. 3. *ad ſuam ipſorum perditionem*?

Tertiò, Auguſtinus commendat Eccleſiam Catholicam *à continentiâ ſeu abſtinentiâ, à caſtitate, patientiâ, liberalitate, mundi contemptu, auxilio Dei, profectu & fructu, Apoſtolicâ Sede per Succeſſiones Epiſcoporum, Conciliorum gravitate, miraculorum Majeſtate, ac denique Authoritatis culmine.* Quæquidem omnia cuivis Sectæ oppoſitæ prorſus deeſſe, Eccleſiæ verò Romanæ ſemper adfuiſſe, & etiamnùm adeſſe, luce meridianâ clariùs eſt. Unde ſi quæ rationis ſcintilla in prætentorum Reformatorum animis emicaret, ſi quod ſincerum ſalutis deſiderium ferveſceret, non dubitarent *illius Eccleſiæ gremio ſeſe condere, quæ* CULMEN AUTHORITATIS *obtinuit; cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis ignorantiæ.*

Digitized by Google

Hæc Auguſtinus, quem ſi legere vel audire voluerint prætenti Reformati, periculoſiſſimam vitam ſuam Lutheranis, Zuinglianis, Calvinianis, & ejuſmodi laqueis quàm citiſſimè exuent.

SECTIO II.

Methodus ſeu Praxis Auguſtiniana circa Donatiſtas Hæreticos.

D*Onatiſtæ ſunt qui primùm propter Cæcilianum, Schiſma fecerunt, objicientes ei crimina non probata. Sed poſt cauſam cum eo dictam atque finitam, falſitatis Rei deprehenſi, in Hæreſim Schiſma verterunt: tanquam Eccleſia Chriſti propter crimina Cæciliani, ſeu vera, ſeu (quod magis judicibus apparuit) falſa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promiſſa eſt: atque in Aphricâ Donati parte remanſerit, in aliis terrarum partibus quaſi contagione communionis extincta.* August. Hæreſi 69.

Magnam habent prætenti Reformati cum Donatiſtis affinitatem.

Primò quidem, ſicuti *Donatiſtæ* ſemetipſos ab Eccleſiæ corpore præciderant; ita & *Reformati*.

Secundò, Quemadmodùm contendebant *Donatiſtæ quum cœpiſſet per orbem terrarum creſcere Eccleſia, noluiſſe homines perſeverare, & defeciſſe ex omnibus gentibus Chriſtianam Religionem, exceptâ Parte Donati*: Ita prætenti *Reformati* prætendunt tempore Reformationis ſuæ *Eccleſiam fuiſſe in ruina & deſolatione, à Diabolo fuiſſe diſſipatam, & ex toto corruptam.* S. Aug. lib. de unit. Eccleſ. c. 9. Conf. Reform. art. 31. Præfat. Catech 1631.

Tertiò, Veluti Donatiſtæ quædam crimina Eccleſiæ Catholicæ imponebant, unde in illa celeberrima collatione (cujus Breviculum ſeu Compendium edidit Auguſtinus) proponebant & urgebant Epiſcopi Catholici, *ut crimina quæ ſolent Donatiſtæ communioni eorum objicere, vel probarentur vel diluerentur; ut poſſet Donatiſtarum ſeparatio vel defendi vel corrigi*: Ita prætenti Reformati plurima atrociſſima ac enormiſſima crimina objiciunt Eccleſiæ Ro- Aug. in Brevic. Collat. die tertiæ c. 4.

manæ, quæ hactenùs probare non potuerunt, quantumcumque inſtiterint Catholici, ut accuſationes illas veras eſſe, veroque fundamento niti oſtenderent.

Adversùs illam Donatiſtarum ſeparationem, prætentaque & objecta ab ipſis, ſed nuſquam & nullibi probata crimina, hoc modo inſurgebat Auguſtinus: *Quare vos ſeparaſtis? Quare contra orbem terrarum Altare erexiſtis? Propterea certè ne malorum communione periretis? Quomodò ergo non perierunt Cyprianus & tot Collegæ ejus? Si tali communione malorum pereunt juſti, jam Eccleſia temporibus Cypriani perierat. Vnde igitur extitit origo Donati? Vbi Catechiſatus eſt, ubi Baptizatus, ubi Ordinatus? Si autem erat Eccleſia, nihil obeſſe mali bonis in una communione potuerunt. Quare vos ſeparaſtis? Quomodò vos contaminare poterant non convicti ſed confiċti traditores? Quid hic reſtat niſi ut dicant* Donatiſtæ, *ſic volumus? Quid aliud reſpondent omnes flagitioſi & facinoroſi? Verumtamen eò modeſtiores, quia quum aliquid pœnarum patiuntur, non ſe Martyres dicunt:* Hæretici *autem habere volunt in ſceleratis factis pœnam nullam, & in pœnis juſtis Martyrum gloriam.* Eodem planè modo, urgere poſſumus Adverſarios noſtros, & ab iis quærere: quare vos ſeparaſtis? Quare contra Orbem terrarum prætentam Religionem Proteſtantem, Reformatam, Anabaptiſticam erexiſtis? Quomodò vos contaminare poterant non convicti, ſed confiċti à vobis Idololatræ Romanenſes? Si primorum Reformatorum veſtrorum tempore perierat Eccleſia; *undènam* Lutherus, Zuinglius, Calvinus *apparuerunt? De qua terra germinarunt? De quo mari emerſerunt? De quo Cælo ceciderunt? Quòd ſi erat etiam tunc Eccleſia, & hæreditas Chriſti non interrupta; ſed per omnes gentes augmenta accipiens permanebat; tutiſſima ratio erat in ea permanere.*

Lib. de Baptiſmo c. 6.

ibidem c. 10.

Lib. 3. de Baptiſ. contra Donat. c. 2.

Contra commentitiam illam Eccleſiæ defectionem, demptâ ſolâ Donati parte (prout falſiſſimè prætendebant & obtendebant Hæretici Donatiſtæ) deprompta è Scripturis Sacris teſtimonia proponit, exponit, & iiſdem Donatiſtis opponit Auguſtinus; hoc interim præmiſſò

miſſo Canone: Prædico atque propono, ut quæ aperta ſunt & manifeſta, deligamus. Illa ſeponenda ſunt, quæ obſcurè ſunt poſita, & figurarum velaminibus involuta. Eſt quidem acutorum hominum dijudicare atque diſcernere, quis ea probabiliùs interpretetur: ſed noluinus in has ingeniorum contentiones (in ea cauſa quam populus tenet) noſtram diſputationem committere. In hac diſputatione noſtra, apertum aliquid quo manifeſtetur Eccleſia, requiramus. Nec in rerum figuris quæramus Eccleſiam. Prorſus quæ alicujus vel talis interpretationis indigent, interim ſeponamus. Non quia falſa ſunt, quæ hoc modo de talibus tanquam involucris interpretando ſolvuntur: Sed quia vel interpretem quærunt, nolo in eis noſtra ingenia comparentur; ſed aperta veritas clamet & luceat. S. Aug. lib. de unit. Eccl. cap. 5.

Hoc inquam præmiſſo Canone, oſtendit Auguſtinus ex Scripturis Sacris indefectibilitatem Eccleſiæ.

Primò, ex Geneſis vigeſimo ſecundo capite: Per memetipſum juravi, dicit Dominus ad Abraham, benedicentur ibid. c. 6.

in ſemine tuo OMNES GENTES terræ. *Quærimus quemadmodùm ſit intelligendum ſemen Abrahæ?* Fratres (inquit Apoſtolus) ſecundùm hominem dico, hominis confirmatum teſtamentum nemo irritum facit aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. Non dicit in ſeminibus; quaſi in multis; ſed tanquam in uno, & Semini tuo quod eſt Chriſtus. *Ecce in quo Semine benedicentur* OMNES GENTES. *Ecce Teſtamentum Dei, aperite aures. Quare vos facitis irritum Teſtamentum Dei, dicendo* nec in OMNIBUS GENTIBUS eſſe completum, & periiſſe jam de gentibus in quibus erat ſemen Abrahæ? *Quare ſuperordinatis dicendo in nullis terris Hæredem permanere Chriſtum, niſi ubi potuerit Cohæredem habere Donatum*, adde Lutherum, Zuinglium, Calvinum?

Galat. 3.

Legite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Pſalmis, de ipſo Evangelio, de Apoſtolicis Literis.

Legite & credemus, ſicut nos vobis legimus de Geneſi & de Apoſtolo: quia in Semine Abrahæ quod eſt Chriſtus benedicentur OMNES GENTES.

Audite hoc idem Teſtamentum ad Iſaac etiam Filium Abrahæ, Geneſis capite vigeſimo ſexto, BENEDICENTUR in Semine tuo omnes gentes. *Reſpondete ad iſta: Semen quippe Abraham, hoc idem ſemen eſt ac Iſaac, quod eſt Chriſtus.*

Audite hoc idem Teſtamentum ad Iacob, Geneſis vigeſimo octavo capite: Benedicentur in te OMNES TRIBUS terræ, & in Semine tuo.

Date mihi hanc Eccleſiam ſi apud vos eſt (ô Donatiſtæ, Lutherani, Calviniani, Anabaptiſtæ) *oſtendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc Semine benedici. Date hanc, aut furore depoſito accipite, non à me; ſed ab illo ipſo in quo benedicuntur omnes gentes.*

ibid. c. 7. Iſaiæ c. 11. cap. 7.

Secundò, ex Prophetis, *dicat Iſaias ubi Eccleſiam Deo revelante prævideri.* Repleta eſt UNIVERSA terra (*inquit*) ut cognoſcat Dominum. Et erit in die illa Radix Jeſſe, & qui exurget principatum habere in nationes, & in eum gentes ſperabunt. *Item*, germinabit & floreſcet Iſraël, & replebitur

replebitur orbis terrarum fructu ejus. *Item,* Iacob puer meus,& in nomine ejus gentes ſperabunt. *Hoc teſtimonium de Chriſto intelligendum, in Evangelio poſitum eſt. Qui audet, contradicat: qui autem non audet, ſperet in eum cum gentibus; & ab unitate gentium in eum ſperantium non recedat, aut ſi receſſerit, redeat, ne pereat.* Item, poſui te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad fines terræ. *Quis tam ſurdus, quis tam demens, quis tam mente cæcus, ut his tam evidentibus teſtimoniis obloquatur; niſi qui neſcit quid loquatur?* Item, ideò (inquit) ipſe hæreditate poſſidebit multos, & fortium partietur ſpolia, propter quod tradita eſt in mortem anima ejus, & inter iniquos deputatus eſt. *Quid eſt Hæretici quòd de paucitate gloriamini;* ſi propterea Dominus noſter JESUS Chriſtus traditus eſt ad mortem, ut hæreditate multos poſſideret? *Vbi eſt* (inquam) *quòd de paucitate gloriamini? Nonne iſti ſunt* multi, *de quibus paulò ante dictum eſt,* ideò hæreditate poſſidebit multos? *Nam quæ eſt* HÆREDITAS *ejus, niſi* ECCLESIA *ejus?* cap. 42. cap. 49. cap. 53.

Iam pauca de Pſalmis audiamus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ. *Quis Chriſtianus unquam dubitavit hoc de Chriſto eſſe prædictum, aut hanc hæreditatem aliud quàm Eccleſiam eſſe intellexit? Et quia* bonos & malos intra eadem retia *Sacramentorum erat habitura,* Reges eos (*inquit*) in virga ferrea, & tanquam vas figuli conteres eos. *Eâdem quippe firmâ & inflexibili juſtitiâ boni reguntur, mali conteruntur. Quis tam devius & abſurdus eſt à divinis eloquiis qui non ipſum Evangelium recognoſcat, quum cantatur ille Pſalmus, ubi ſcriptum eſt,* Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt omnia oſſa mea? *Quid autem Crucis pretio, quid tantæ celſitudinis tantâ humilitate, quid illo innocentiſſimo & Divino Sanguine comparatum eſt: Niſi quod illic in conſequentibus dicitur:* commemorabuntur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ patriæ gentium: quoniam Domini Auguſt. ibid. c. 8. Pſ. 2. Pſ. 21.

Rom.10. eſt Regnum & ipſe dominabitur gentium? *Nonnè Apoſtolus de Prædicatoribus novi Teſtamenti dictum expoſuit quod* Pſal.18. *dictum eſt:* In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? *Pſalmus ſeptuageſimus primus in Salomonem titulatur. Sed quia ita dicta ſunt quæ in illum Regem temporalem, & poſteà graviter peccantem convenire non poſſunt; etiam contra ipſos Iudæos de Chriſto eſſe prædicta, invictiſſimè defenduntur. Nullus autem hoc Chriſtianus negat: talia enim dicta ſunt de quibus dubitari non poſſit, quod ad Chriſtum pertineant. Ibi etiam dicuntur hæc, ubi agnoſcatur. Eccleſia toto orbe diffuſa, omnibus etiam Regibus Chriſto ſubjugatis:* Et dominabitur (*inquit*) à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terræ. *A flumine utique, ubi eum Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie, & vox de Cælo manifeſtavit. Deinde ſequitur:* Coram illo decident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes ſervient ei. Benedicentur in eo omnes Tribus terræ, & omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus: & benedictum Nomen gloriæ ejus in æternum, & in ſæculum ſæculi. Et replebitur gloriâ ejus omnis terra. FIAT, FIAT. *Ite nunc Donatiſtæ,* Lutherani, Zuingliani, Calviniani, Anabaptiſtæ, *& clamate* NON FIAT, NON FIAT. *Vicit vos Verbum Dei* dicens FIAT, FIAT. *Ecce manifeſtata eſt in Pſalmis Eccleſia toto orbe diffuſa, ſuper quam requieſcit gloria Regis ejus.*

Ibid.c.9. *Quid ad hæc dicturi ſunt, quæ commemoravi ex Lege & Prophetis & Pſalmis, de Chriſti Eccleſia quæ toto orbe diffunditur, & cui malunt repugnare perverſi, quàm communicare correcti? Quid inquam dicturi ſunt; utrùm hæc falſa eſſe, an obſcura? Sed falſa eſſe non audent dicere; premuntur enim mole tantæ authoritatis.*

Ibid.c.10 *Audiamus & ipſius Verbi vocem, ore propriæ carnis expreſſam. Certè quum poſt Reſurrectionem præberet ſe etiam contrectandum*

ſtandum atque palpandum manibus dubitantium Diſcipulorum : & quum accepiſſet coram illis & manducaſſet quod ei porrexerant, dixit eis : Iſti ſunt ſermones quos locutus ſum ad vos, quum adhuc eſſem vobiſcum; quia oportebat adimpleri omnia ſcripta in Lege Moyſi, & Prophetis & Pſalmis de me. *De quo autem niſi de illo ſcripta ſunt, quæ nos quoque commemoravimus ex Lege, ex Prophetis & Pſalmis, ſicut per ſingula demonſtravi? Quum ergo ipſe dicat qui* VERITAS *eſt : Oportebat impleri omnia, quomodò iſti negant; niſi quia* VERITATIS *inimici ſunt? Si autem obſcura eſſe adhuc dicunt, & hinc ipſum Caput audiamus.* Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas, & dixit illis : quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die. *Hîc ipſum Caput oſtenditur quod etiam manibus Diſcipulorum præbuit contrectandum. Vide quemadmodùm de Corpore adjungat quod eſt* ECCLESIA *; ut nos nec in Sponſo nec in Sponſa errare permittat :* Et prædicari (*inquit*) in nomine ejus Pœnitentiam, & Remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. *Quid hac voce veracius? Quid divinius? Quid manifeſtius? Me piget eam commendare verbis meis; & Hæreticos non pudet oppugnare verbis ſuis. Teneamus ergo* ECCLESIAM *ex ore Domini deſignatam; unde cæptura, & quouſque perventura eſſet :* cæptura ſcilicet ab Hieruſalem, & perventura in omnes gentes. Luc. 24.

Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Judæa & Samaria, & uſque in totam terram, Actorum capite primo. *Ecce & hîc manifeſtatum eſt unde cæptura, & quouſque perventura eſſet Eccleſia. Quid ad hæc dicunt qui ſe Chriſtianos ſuperbiſſimè dicunt; & Chriſto apertiſſimè contradicunt? Nos hanc Eccleſiam tenemus. Contra iſtas divinas voces, nullas humanas criminationes admittimus. Movet enim nos plurimùm quod Dominus noſter ait : cui non credere, ſacrilegum & impium eſt. Noviſſimis verbis ſuis quæ habuit in terra, hæc primitivæ Eccleſiæ documenta ſalubria & noviſſima dereliquit : his enim dictis mox aſcendit in Cælum. Præmunire voluit aures noſtras adverſus* S. Aug. ibid. c. 11

verſùs eos quos procedentibus temporibus exſurrecturos eſſe prædixerat, & dicturos; Ecce hîc Chriſtus, ecce illic. *Quibus ne crederemus, admonuit: nec ulla nobis excuſatio eſt, ſi crediderimus contra vocem Paſtoris noſtri tam claram, tam apertam tam manifeſtam. Quid hoc eſt rogo? Quum verba noviſſima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit eſſe mentitum, & impius judicatur hæres qui illa contempſerit: quomodò ergo effugiemus iram Dei, ſi vel non credentes vel contemnentes, repulerimus verba noviſſima & Unici Filii Dei, Domini noſtri ac Salvatoris, & ituri in Cælum, & inde proſpecturi quis ea negligat, quis obſervet & inde venturi ut de omnibus judicet? Habeo manifeſtiſſimam vocem Paſtoris mei commendantis mihi, & ſine ambagibus ullis exprimentis Eccleſiam. Mihi imputabo ſi ab ejus grege (quod eſt ipſa Eccleſia) per* VERBA HOMINUM *ſeduci atque aberrare voluero. Quum me præſertim admonuerit di-*

Matt. 24

Ioan. 10. *cens:* Quæ ſunt oves meæ, vocem meam audiunt & ſequuntur me. *Ecce vox ejus clara & aperta. Hâc auditâ qui eum non ſequitur, quomodò ſe ovem ejus dicere audebit?*

Aug. ibid. cap. 12. *Certè ſicut nos legimus Eccleſias Chriſti ex Codicibus, quos & vos veneramini,* ô Donatiſtæ, Lutherani, Zuingliani, Calviniani, Anabaptiſtæ: *ſic & vos ex Codicibus quos & nos veneramur* QUEMADMODÙM PERIERINT *legite nobis. An placet vobis ut contra Eccleſias, quæ membra ſunt* UNIUS ECCLESIÆ *toto orbe diffuſa, quas nobis Spiritus Sanctus per Scripturas commendavit & tradidit, undelibet prolata qualibet hominum maledicta credamus? Hoc quidem vobis placet, ſed nobis non placet. Quibus autem juſtiùs placeat, & vos videtis: ſed victi animoſitate non vultis vinci veritate.*

Gal. 1. Doctor Gentium *in fide & veritate, hæc dicit:* Licèt ſi nos aut Angelus de Cælo vobis evangelizaverit, præterquam quod accepiſtis, Anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepiſtis, Anathema ſit. *Evangelizata eſt nobis Eccleſia per totum orbem terrarum futura.* Hoc in Lege *& Prophetis & Pſalmis eſſe prænuntiatum ipſe Dominus teſtificatus eſt,* qui eam cæpturam ab Hieruſalem, & per om-

Digitized by Google

nes permanaturam eſſe *prædixit*. Teſtes ſibi futuros in Hieruſalem, & in tota Judæa & Samaria uſque in totam terram, *quum jam in Cælum aſcenderet, prænuntiavit. Hæc verba, facta ſecuta ſunt*. Quomodò cæptum ſit ab Hieruſalem, & inde proceſſum in Judæam & Samariam; & inde in totam terram, *ubi adhuc creſcit Eccleſia: donec uſque in finem etiam reliquas gentes (ubi adhuc non eſt) obtineat, Scripturis Sanctis teſtibus conſequenter oſtenditur*. Quiſquis aliud evangelizaverit, Anathema ſit.

Aliud autem evangelizat, *qui* PERIISSE *dicit de* CÆTERO MUNDO ECCLESIAM, *&* *in* PARTE DONATI in ſola Aphrica (in Parte Lutheri vel Calvini in ſola Europa) *remanſiſſe dicit*, Anathema ſit. *Aut legat mihi hoc in Scripturis Sanctis*, & non ſit Anathema. Aug. ibid. cap. 13.

Quomodò iſti Donatiſtæ, Calviniſtæ & ejuſcemodi Sectarii *dicunt jam eſſe completum quod Dominus ait*, prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, incipientibus ab Hieruſalem: *ſed poſteà* CÆTERIS DEFICIENTIBUS *ſolam Chriſto Aphricam* remanſiſſe (adde juxta prætentos Reformatos, ſolam eamque nec integram Europam) *quum illud implendum ſit, nondum impletum? Quum autem impletum fuerit, veniet finis. Niſi fortè hoc reſtat hominum inſania, ut dicant*, non ex illis Eccleſiis quæ fundatæ ſunt per Apoſtolorum labores, adimpleri Evangelii prædicationem in omnibus gentibus: ſed illis PEREUNTIBUS, earum REPARATIONEM ex APHRICA futuram per partem DONATI (ex Europa per partem Lutheri, Calvini & ſimilium) *legant hoc*; & cum ipſa lectione NOVOS APOSTOLOS mittant ad tot gentes. Sicut *ex quo* bonum ſemen ſeminatum eſt, creſcere prædictum eſt uſque ad meſſem: *ita Apoſtolus dicit*: in omni mundo fructificans & creſcens, ſicut & in vobis ex qua die audiſtis. *Quid nobis affertis novi*, ô Donatiſtæ, ô Calviniſtæ? *Nunquid iterum* ſeminandum eſt bonum ſemen? *Si dicitis* PERIISSE *in illis locis quod per Apoſtolos erat ſeminatum; & ideò rurſus ex Aphrica*, ex Saxonia, ex Helvetia, ex Lemano Lacu Aug. ibidem cap. 17. Matt. 13 Coloſſ. 1.

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe ſeminandum: legite nobis hoc ex divinis Oraculis; quod profectò legere non poteſtis, niſi priùs oſtenderitis falſum eſſe quod ſcriptum eſt, ſemen illic ante ſeminatum creſcere uſque ad meſſem. *Et quia nullo pacto ſibi divina eloquia contradicunt, nullo modo in eis invenietis quod contra hoc tam manifeſtum recitare poſſitis. Reſtat ergo ut non ex* DIVINIS LIBRIS, *ſed* EX VOBIS *iſta dicatis. Proinde digniſſimè reſpondebitur* ANATHEMA SITIS. *Tenent enim Eccleſia, cum quanta cura ſibi prædictum ſit:* Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepiſtis, Anathema ſit.

Aug. ibidem c. 18. *O Donatiſtæ, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ & alii, ſi vos teneretis Eccleſiam toto Orbe diffuſam, quæ manifeſtiſſimis Canonicarum Scripturarum teſtimoniis deſignata & expreſſa eſt, neque vobis* PALEÆ crimina *præjudicarent, ſi vos in ea* TRITICUM *eſſetis; nec ſi vos eſſetis* PALEA, *& veſtra eſſent crimina,* TRITICO *Dominicæ ſegetis aliquid præjudicaretis, quod ita in* MUNDO SEMINATUM eſt, ut creſcat, uſque ad finem ſæculi. *Proinde removeantur, omnes moratoriæ tergiverſationes. Quicquid de peccatis hominum falſum objicitur, conveniatur conſcientia; & non objiciatur. Quicquid de peccatis hominum etiam verum objicitur, & vel probari non poteſt; vel quum probari debuit, non potuit, non objiciatur. Quicquid de peccatis hominum & verum & probatum objicitur; nec tamen* ad frumenta quæ inter paleam latent, ſed ad ipſam paleam quæ in fine ſeparabitur, *pertinet, non objiciatur. Hæc enim & nos multò copioſiùs & probabiliùs objicere poſſumus: non eâ inanitate quâ* Donatiſtæ, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, *ut in eis noſtram cauſam conſtituamus; ſed ut eis oſtendamus non ideò nos nolle talibus fidere, quia non inveniamus talia quæ dicamus, ſed ne tempus rebus neceſſariis utile, in rebus non neceſſariis conteramus. Quo propterea illi faciunt, quia robuſtâ & firmâ veritate ſubnixa documenta, quibus cauſam ſuam tueantur, invenire non poſſunt: & volunt videri aliquid dicere dum tacere erubeſcunt, & inania loqui non erubeſcunt. Remotis ergo omnibus talibus* ECCLESIAM SUAM DEMONSTRENT SI POSSUNT. *Nec ita ut ea colligant & commemorent, quæ obſcurè vel ambiguè vel figuratè dicta ſunt:*

quæ

quæ unuſquiſque ſicut voluerit, interpretetur ſecundùm ſenſum ſuum. Talia enim rectè intelligi exponique non poſſunt, niſi priùs ea quæ apertiſſimè dicta ſunt, firmâ fide teneantur. Quiſquis igitur his *reſpondere ſe præparat, ante denuntio ne mihi dicat:* Illi Simulachris ſacrificaverunt, illi nobis iniquiſſimam perſecutionem fecerunt, & vos eis in omnibus conſenſiſtis. *Breviter enim reſpondeo quod ſæpè reſpondi*, aut falſa dicitis; aut ſi vera ſunt, non ad frumenta Chriſti, ſed ad eorum paleam pertinent iſta quæ dicitis. Non inde perit Eccleſia, quæ ultimo judicio ventilata iſtorum omnium ſeparatione purgabitur. Ego ipſam Eccleſiam requiro ubi ſit, quæ audiendo Verba Chriſti & faciendo, ædificat ſupra petram: & audiendo & faciendo tolerat eos, qui audiendo & non faciendo ædificant ſuper arenam. Ubi ſit triticum quod inter zizania creſcit uſque ad meſſem; non quid fecerint vel faciant ipſa zizania. Ubi ſit proxima Chriſti in medio filiarum malarum, ſicut lilium in medio ſpinarum: non quid fecerint vel faciant ipſæ ſpinæ. Ubi ſunt piſces boni, qui donec ad littus perveniant, tolerant piſces malos pariter irretitos: non quid fecerint vel faciant ipſi piſces mali.

Matt. 7.
Matt. 18.
Cant. 1.
Mat. 13.

Omiſſis ergo iſtis morarum tendiculis, oſtendant Eccleſiam vel in ſola Aphrica, Saxonia, Hollandia, *perditis tot gentibus retinendam: vel ex ſola Aphrica*, Saxonia, Helvetiorum angulis, aut Lemano Lacu, *in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam. Ad ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet Caput Chriſtum: habere autem Caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus Corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.*

Auguſt. ibid. c. 19

Quapropter chariſſimi, non eſt obſcura quæſtio in qua vos fallant. Donatiſtæ, Lutherani, Zuingliani, Calviniani, Anabaptiſtæ. *Habetis* Eccleſiam ubique diffundi & creſcere uſque ad meſſem. *Habetis* Civitatem, *de qua ipſe qui eam condidit, ait:* Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem conſtituta. *Ipſa eſt ergò quæ non in aliqua terrarum parte, ſed ubique notiſſima eſt. Vos autem innitentes tot evidentiſſi-*

Auguſt. ibid. c. 25
Matt. 5.

mis

mis teſtimoniis de Sancta Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, *exigite ab iſtis* Donatiſtis, Proteſtantibus, Evangelicis, Reformatis, Anabaptiſtis, *ut oſtendant de Aphrica quod attinet ad partem Donati*; vel de Europa quod attinet ad partem Lutheri, Zuinglii, Calvini, Munceri, *aliqua manifeſta de Canonicis libris teſtimonia.* Neque *enim ullo modo fieri poſſet, ut* Eccleſia *(ſicut dicunt & quod abſit) ex tot gentibus peritura, tot teſtimoniis tam ſublimiter & tam indubitanter prædicaretur; & de iſta (quam volunt) ſua* Proteſtante, Evangelica, Reformata, Anabaptiſtica *taceretur.*

SECTIO III.

Hujuſce Praxis Auguſtinianæ applicatio ad Calviniſtas.

HAnc Praxim Auguſtinianam circa Donatiſtas (Benevole Lector) paulò prolixiùs operoſiùſq; expreſſi & inculcavi: quia *Lutherani*, *Zuingliani*, *Calviniani*, *Anabaptiſtæ*, cæterique Novatores & Reformatores prætenti, eandem cum Donatiſtis cantant, vel potiùs recantant cantilenam, iiſdem clavibus ſeu principiis, iiſdem notis, eidemque Hæretico tono inhærent.

S. Aug. lib. de unit. Eccleſ. c. 9.

Clamabant Donatiſtæ *defeciſſe ex omnibus gentibus Chriſtianam Religionem, exceptâ parte Donati.*

Conf. Refor. art. 31. Præfat. in Catec. Reform. 1631. Amſtelodami

Vociferantur Calviniſtæ *prætentorum Reformatorum ſuorum tempore Eccleſiam fuiſſe in ruina & deſolatione: à Diabolo fuiſſe diſſipatam & ex toto corruptam: oportuiſſe ut Deus aliquos extraordinario modo ſuſcitaret, ad erigendam de novo Eccleſiam.* Quinam autem fuerunt illi extraordinario modo ſuſcitati, niſi Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Muncerus, & ejuſmodi homines; ita ut *exceptâ eorum parte, defecerit ex omnibus gentibus Religio Chriſtiana*? Sed quum Lutherani à Calvinianis, & ab utriſque Anabaptiſtæ in graviſſimis Religionis Capitibus diſſentiant: quæ tandem Pars excipienda erit? An Lutheri? An Calvini? An verò Anabaptiſtarum?

Non noſtrum inter eos tantas componere lites.

Digitized by Google

Quæcumque hic commemoravi ex incomparabili libro Beati Auguſtini De Unitate Ecclesiæ, contra Epiſtolam Petiliani Donatiſtæ Epiſcopi, jure meritiſſimo urgeri poſſunt adversùs Calviniſtas; uti patet ſeriò legenti, perpendenti & expendenti, ſi vel tantilli ſit ingenii ac judicii, vel modicæ capacitatis: prorſus enim ſtupidos, aut affectatis opinionibus præjudiciiſque mordicùs ac immobiliter adhærentes nihil moror.

Adverte tamen Donatiſtas Hæreticos ſub aliquali ſaltem Scripturæ Sacræ umbrâ vel larvâ errorem ſuum occultaſſe, ut inde Sectariis ſuis imponerent, fucumque facerent. Quum enim premeret eos B. Auguſtinus, *ut ſicut manifeſtiſſimis teſtimoniis* aſſeruerat *Eccleſiam toto orbe diffuſam: ſic & ipſi aliquid manifeſtum afferrent, ubi oſtenderent eſſe prædictum,* cæteris gentibus *à Fide pereuntibus, ſolam Aphricam remanſuram. Scriptum eſt (inquiebant Donatiſtæ) Sponsâ id eſt Eccleſiâ dicente ad Sponſum*: Annuntia mihi quem dilexit anima mea, ubi paſcis, ubi cubas in meridie? *Hoc eſt* (ait Auguſtinus) *unicum teſtimonium quod reſonare pro ſe iſti arbitrantur, eo quòd Aphrica in* Meridiana *orbis parte ſit conſtituta. Unde primùm quæro,* quomodò interroget Chriſtum Eccleſia de Eccleſiâ; *neque enim duæ ſed Una eſt? Neque interrogat,* Ubi paſcis, ubi cubas? *Et ei reſpondetur,* in Meridie: ſed *omnia iſta verba ad interrogationem pertinent,* Ubi paſcis, ubi cubas in Meridie? *Adhuc enim ipſa dicit?* Ne fiam ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum, *id eſt, velut latens & incognita & non revelata. Hoc eſt enim* Operta fiam; *non ſuper gregem tuum, ſed* ſuper greges ſodalium tuorum; *qui quum primò* tecum *eſſent,* extra *colligere voluerunt, non* tuum gregem; ſed ſuos greges. *Nec audierunt te dicentem*; Qui mecum non colligit, ſpargit: *Nec quod Petro dixiſti,* Pasce Oves meas, *non* tuas. *Non eſt autem iſta operta*; quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. *Et de illa dictum eſt:* Non poteſt Civitas abſcondi ſuper montem conſtituta. *Sed Donatiſtis* Calviniſtis, *& aliis* operta *eſt, qui audiunt*

S. Aug. lib. de unit. Eccl. c. 15. & 16.

Cant. 1.

Matt. 12

Ioan. 21.

Matt. 5.

audiunt tam lucida & manifeſta teſtimonia quæ illam toto orbe demonſtrant; & malunt clauſis oculis offendere in montem, quàm in eum aſcendere: qui quum eſſet lapis præciſus de monte
Daniel 2. ſine manibus, crevit & factus eſt mons ingens, & implevit univerſam terram.

Adverte iterùm (*amice Lector*) hoc ſpecioſo prætextu, fallacique Verbi Dei oſtentatione, quaſi Sponſa, id eſt Eccleſia interrogaret Sponſum ſuum ſeu Chriſtum, dicens: *Annuntia mihi quem dilexit anima mea, ubi paſcis, ubi cubas in meridie*, potuiſſe Donatiſtas Sectariis ſuis rudioribus craſſioribuſque imponere, & ipſis perſuadere, Schiſma Donatianum non deſtitui divinæ Legis authoritate: Sed Calviniſtas ne vel minimum quidem apicem ex Scripturis Sacris proferre poſſe, unde pateat vel legi poſſit, *periiſſe bonum ſemen ex omnibus locis, in quibus per Apoſtolos erat ſeminatum; & ideo* rurſus è Saxoniâ, ex Helvetia, è Lemano Lacu, ex Hollandia, Zelandia & Friſia *fuiſſe ſeminandum.*

Adverte denique ſub illâ Reformationis larvâ emerſiſſe, quotquot olim prodierunt Hæreſiarchæ; eoq; potiſſimùm vel fine vel intuitu ab Eccleſia Catholica defeciſſe & eam oppugnaſſe. Ad quid enim *Arius*, ad quid *Eutyches*, ad quid *Macedonius*, ad quid *Eunomius*, ad quid *Neſtorius*, (ut famoſiores duntaxat recenſeam) foras proruperunt, niſi ad antiquæ Fidei dogmata Reformanda, & propria nova erroneaque placita invehenda, ſubſtituenda, ſtabilienda?

Nefarius ille impoſtor Mahometes, Antichriſti præcurſor primarius, hoc callido Diabolicoque Stratagemate tot gentes dementavit. Fingebat homines violatâ & corruptâ naturæ lege, fuiſſe à Moyſe per Legem ſcriptam Reformandos. Rursùs Judæos Legis tranſgreſſores, fuiſſe à Chriſto per miracula ad Legem gratiæ convertendos. Tandem Chriſtianis ipſis Chriſtianæ Legis prævaricatoribus proponendum fuiſſe Alcoranum, & homines ad illius obſervantiam ferro flammaque adigendos. Unde

impiiſſima

impiiſſima ac impuriſſima Lex Mahometana in Aſiam, Aphricam & Europam gladio invecta eſt. Nec aliter etiamnum in Pannoniam & Auſtriam invehitur, faventibus ad hoc & cooperantibus Chriſtianorum Principum æmulationibus, inteſtinis diſcordiis & bellis pluſquam civilibus.

Quòd ſi quis (infra tempus aliquod) Luthero perſpicacior, Zuinglio acutior, Calvino ſubtilior novam aliquam Reformationem moliatur, quâ Lutheranos Proteſtantes & Evangelicos, Zuinglianos, & ipſos prætentos Reformatores aut Reformatos Calvinianos rursùs reformare velit, & eorum dogmata ad incudem iterum revocare: quis tandem finis erit?

Ecce hoc ipſiſſimo noſtro tempore, Fanatici quidam Tremuli (quos vulgus QUAKERIOS appellat) in Britannia exorti, novo Reformationis novæ Spiritu inflati ac turgidi reliquos omnes Sectarios Præsbyterianos, Puritanos & alios reformare aggrediuntur: eoq; prætextu quid non turbarum movent, & quantæ molis eſt eos comprimere? Quod hi nunc faciunt, alii poſtmodùm attentare præſument, eo planè jure (vel potiùs injuriâ) iiſdem principiis, iiſdem fundamentis quibus & Lutherus in Germaniâ, & Zuinglius inter Helvetios, & Calvinus inter Gallos, prætentas Reformationes ſuas adorſi ſunt. Unde Sanctus Vincentius Lirinenſis in aureo illo COMMONITORIO adversùs prophanas omnium Hæreticorùm Novitates, ita præclarè monuit: *Iterùm atque iterùm mecum revolvens & reputans, mirari ſatis nequeo tantam quorundam hominum veſaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam poſtremò errandi libidinem; ut contenti non ſint traditâ & receptâ ſemel antiquitùs credendi regulâ: ſed nova ac nova in diem quærant; ſemperque aliquid geſtiant Religioni addere, mutare, detrahere. Quaſi non Cæleſte dogma ſit quod ſemel revelatum eſſe ſufficiat; ſed terrena inſtitutio, quæ aliter perfici niſi aſſiduâ emendatione; imò potiùs reprehenſione non poſſit: quum divina clamet Oracula,* ne transferas terminos quos poſuerunt Lirin. c. 16. & 2. Proverb. 22.

Eccleſ.8. & 10. runt Patres tui. *Et* ſuper judicantem ne judices, & ſcindentem ſepem mordebit eum Serpens; & *illud Apoſtolicum, quo omnes omnium Hæreſeon ſcelerata Novitates, velut quodam ſpirituali gladio ſæpè truncata, ſemperq; truncādæ ſunt:*
1. Tim. 6. O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum Novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. *Et poſt hæc inveniuntur aliqui tantâ inveteratæ frontis duritiâ, tantâ impudentiæ incude, tanto adamante pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cæleſtium molibus non ſuccumbant, tantis ponderibus non fatiſcant, tantis malleis non conquaſſentur, tantis poſtremò fulminibus non conterantur?* Devita (*inquit*) profanas vocum NOVITATES. *Non dixit* ANTIQUITATES, *non dixit* VETUSTATES: *imò planè quid è contrario ſequeretur, oſtendit. Nam ſi vitanda eſt* NOVITAS, *tenenda eſt* ANTIQUITAS: & ſi profana eſt NOVITAS, ſacrata eſt VETUSTAS. Et oppoſitiones (*inquit Apoſtolus*) falſi nominis ſcientiæ. *Verè falsū nomen apud doctrinas Hæreticorum, ut ignorantia, ſcientia: & caligo, ſerenitatis; & tenebræ, luminis appellatione fucentur.* Quam quidam (*inquit*) promittentes circa Fidem exciderunt. *Quid promittentes* exciderunt, *niſi* NOVAM *neſcio quam, ignoratamque doctrinam? Audias enim quoſdam ipſorum dicere:* Venite ô inſipientes & miſeri, qui vulgò CATHOLICI vocitamini; & diſcite Fidem veram, quam præter nos nullus intelligit; quæ multis ante ſæculis latuit: nuper verò revelata & oſtenſa eſt. Sed diſcite furtim atque ſecretim, delectabit enim vos: & quum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat; paucis namque conceſſum eſt tanti MYSTERII capere ſecretum. *Nónne hæc verba ſunt illius meretricis, quæ apud Salomonis* Proverbia *vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum?* Quis eſt
Proverb. 7. (*inquit*) veſtrum inſipientiſſimus? Divertat ad me. Inopes autem ſenſu *exhortatur dicens:* Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite. *Quid deinde?* At ille (*inquit*) neſcit quomodò terrigenæ apud eam pereunt. *Qui ſunt iſti terrigenæ? Exponat Apoſtolus.* Qui circa

circa Fidem (*inquit*) exciderunt. *Sed operæ pretium eſt totum ipſum Apoſtoli Capitulum diligentiùs pertractare.* O Timothee (*inquit*) Depositum Custodi, devitans profanas vocum Novitates. *Exclamatio iſta & præſcientiæ eſt, pariter & charitatis. Prævidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quis eſt hodie* Timotheus, *niſi vel generaliter univerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum Corpus Præpoſitorum, qui integram divini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent, vel aliis infundere. Quid eſt* Depositum Custodi: Cuſtodi (inquit) *propter fures, propter inimicos;* ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminaverat Filius Hominis in agro ſuo. Matt. 13 Depositum (*inquit*) Custodi. Quid eſt Depositum? *Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inventū: Quod accepiſti, non quod excogitaſti: Rem non ingenii, ſed doctrinæ: Non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis: Rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non Author eſſe debes, ſed Cuſtos, non Inſtitutor ſed Sectator: non ducens, ſed ſequens.* Depositum (*inquit*) Custodi. *Catholicæ Fidei talentum inviolatum, illibatum conſerva. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat; hoc à te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde. Nolo mihi pro aliis alia ſubjicias. Nolo pro auro, imprudenter plumbum aut fraudulenter æramenta ſupponas. Nolo auri ſpeciem, ſed naturā planè.* O Timothee! ô *Sacerdos!* ô *Tractator!* ô *Doctor! Si te divinum munus idoneum fecerit; ingenio, exercitatione, doctrinâ.* Eſto ſpiritalis tabernaculi Bezeleel. *Pretioſas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter; adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtriùs, quod antea obſcuriùs credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didiciſti, doce; ut quum dicas* nove', *non dicas* nova. Hæc Lirinenſis.

Quàm verò aptè quadrent hæc omnia in Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos, Anabaptiſtas, & ejuſcemodi Novatores ac prætentos Reformatores, diſce ſi lubet (*benevole Lector*) ex noſtris Annotationibus in eundem

Lirinenſem, quem è Latino in Gallicum verti. Eſt autem *Leodii* impreſſa hæc Verſio *typis Viduæ Bronkart* anno 1663. Si adhuc præſens Sanctus Vir, cum præſentibus Lutheranis, Zuinglianis, Calvinianis & Anabaptiſtis colluctatus fuiſſet, non potuiſſet nervoſiùs, acriùs, fortiùs ac magis appoſitè eos redarguere & revincere. Florebat autem circa annum Domini quadringenteſimum vigeſimum, prout in iiſdem Annotationibus oſtendi, quas videre poteris ſi Gallicè noſti.

SECTIO IV.

Eccleſia Romana Comparata & Oppoſita prætentæ Reformatæ.

S. Aug. lib. de Vnit. Eccleſ. cap. 2.

BEatus Auguſtinus agens contra DONATISTAS (qui ſemetipſos à Communione Eccleſiæ præciderant) ſic loquitur: *Quæſtio inter nos verſatur, ubi ſit Eccleſia, utrùm apud Nos an apud Donatiſtas? Quæ utique* UNA *eſt, quam majores noſtri* CATHOLICAM *nominarunt; ut ex ipſo nomine oſtenderent quia* PER TOTUM *eſt. Secundùm enim* TOTUM, *χαθ' ὅλον Græcè dicitur. Hæc autem Eccleſia, Corpus Chriſti eſt, ſicut Apoſtolus dicit:* Pro Corpore ejus quod eſt Eccleſia.

Coloſſ. 1.

Vnde utique manifeſtum eſt eum qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe. Membra verò Chriſti per unitatis charitatem ſibi copulantur; & per eandem CAPITI SUO *cohærent, quod eſt* CHRISTUS JESUS.

Eadem quæſtio inter nos, id eſt, inter Catholicos & Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos, ac Anabaptiſtas verſatur, *ubi nimirùm ſit Eccleſia quam majores noſtri* CATHOLICAM *nominarunt? Si enim* in ſola Saxonia, Dania, Suecia, & in aliquot liberis Germaniæ Civitatibus *deſignata eſt, non tenent Eccleſiam niſi* Lutherani. *Si in paucis* fœderatis Belgis ſeu Batavis, Genevenſibus, Rupellanis aliiſque Gallis, Britannis, & Scotis *Scriptura Sancta eam determinat*; ad Calviniſtas *utique tranſeundum eſt.* Si in rupibus ac montibus Helvetiorum *reperitur; ad eam pervenerunt*

Aug. de Vnitate Eccleſ. cap. 3.

venerunt Zuingliani. *Si enim ſolis Orientalibus*, inter Armenios, Jacobitas, Maronitas, *& ſi qui alii illic ſunt, requirenda eſt. Quis autem poſſit ſingulas quaſque Hæreſes enumerare gentium ſingularum? Si autem Chriſti Eccleſia Canonicarum Scripturarum divinis & certiſſimis teſtimoniis, in* OMNIBUS GENTIBUS *deſignata eſt; quicquid attulerint, & undecumque recitaverint qui dicunt*: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic: *audiamus potiùs (ſi oves ejus ſumus) vocem Paſtoris noſtri dicentis*: NOLITE CREDERE. *Illa quippe ſingula*, nimirùm Lutherana, Zuingliana, Calviniana, Anabaptiſtica, *in multis gentibus* (ubi Romana eſt) *non inveniuntur: hæc autem quæ ubique eſt, etiam ubi illa ſunt, invenitur.* Nam in Belgio, in Gallia, Britannia, Germania, Sarmatia, Pannonia, Thracia, Græcia, Italia, Hiſpania, India Orientali & Occidentali, in ipſa Judæa, & in omnibus terræ partibus (ſaltem huc uſque notis) inveniuntur qui Romanæ Eccleſiæ Communioni adhæreant: hoc autem nullus Lutheranus, nullus Zuinglianus, nullus Calvinianus, nullus Anabaptiſta de ſua Secta præſumere audebit, niſi ſeſe publico orbis ludibrio per impudentiam, mendaciumque & impoſturam facto ipſo facilè & citò revincendam ac confutandam exponere velit. Ut autem clariùs diſtinctiuſque procedam, unam duntaxat Theſim ſtatuo, eique oppoſitam Antitheſim.

S. Aug. ibidem.

Matt. 24

THESIS itaque hæc eſt.

ECCLESIA ROMANA ſeu Pontificia, Antiquitate ſuâ Venerabilis eſt & fundata ac firmata: Sanctitate verò, Catholiciſmo ſeu Diffuſione per orbem, Converſione Infidelium, Stabilitate, Concordiâ in rebus Fidei, Miraculis, ipſo denique Pontificiæ nomine tam illuſtris eſt & conſpicua; ut nemo prudens ambigere poſſit eam eſſe veram ac in-

dubitatam Chriſti Domini Eccleſiam, extra quam non eſt ſalus.

Dico *primò*, ANTIQUITATE *ſuâ Venerabilis eſt*, & *fundata ac firmata.*

S. Aug. lib. de Vtil. cred. c. 15.

Chriſtus (ait Auguſtinus) *multitudine obtinuit* VETUSTATEM, VETUSTATE *roboravit Religionem, quam non ſolùm Hæreticorum ineptiſſima* NOVITAS *fraudibus agens; ſed nec gentium quidem veternoſus error violenter adverſans, aliquâ ex parte convelleret.*

Romanæ Eccleſiæ ANTIQUITATI adſtipulantur tot vetuſtiſſima per orbem Chriſtianum condita Templa, erectæ Aræ, extructa Cæmeteria, collocatæ Cruces & Imagines, fundati Epiſcopatus, Collegia, Monaſteria, dotata Beneficia Eccleſiaſtica: ut *vel tacentibus nobis lapides ipſi* in Hollandia, Britannia, Germania, cæteriſque Regionibus, *clament* omnibus prætentis Reformatis, Proteſtantibus, Evangelicis & ſimilibus Novatoribus, quàm antiqua fuerit Patrum noſtrorum Religio, & quàm diverſa ab ea cujus adinventores & præcones ſuperiori ſæculo fuerunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Muncerus & ejuſcemodi Pſeudo-Apoſtoli.

Luc. 19.

His addi poſſunt Ritus antiquiſſimi, Leges & Reſcripta Principum, Cæremoniæ Inaugurationum, Ordines Equitum & Veſtes, Sepulchra, Nummi, Portæ Urbium, Viæ ipſæ aliaque publica monimenta, quæ indicant nullam aliam antiquitùs in orbe Chriſtiano Religionem quàm Romanam, imis unquam radicibus inſediſſe.

Teſtis eſt hujuſce ANTIQUITATIS non ſolùm Romanorum Pontificum ab ipſo Petro uſque ad Alexandrum VII. in Apoſtolica Sede ſucceſſio; verùm etiam aliorum Epiſcoporum, ut Lugdunenſium, Burdigalenſium, Senonenſium, Tungrenſium, Trevirenſium Colonienſium & aliorum, ab ipſis Apoſtolorum temporibus in propriis Sedibus non interrupta continuatio. Teſtes innumeri Martyres, qui unoquoque ſæculo proprii ſanguinis effuſione,

ſione, illuſtre Fidei ac Religioni Romanæ teſtimonium reddidere. Ut proinde *vox ſanguinis illorum clamet de terra* contra eos qui novam doctrinam invexerunt, & quidem diverſiſſimam ab ea pro qua ipſi glorioſiſſima martyria ſubierunt.

Teſtes infinitæ propemodùm Virgines & Viduæ, ac inter illas quidem (ut cæteras prætermittam) illuſtriſſima virgo *Euſtochium*, quæ cum ſanctiſſima & nobiliſſima Matre *Paula*, è ſplendidiſſimo Palatio opimiſq; prædiis in Speluncam Beth-lehemiticam peregrina profecta eſt; ut ad Chriſti Cunabula deliteſcens, Virginitatem, quam ei voverat, illibatam ad mortem uſque ſervaret. Inter has autem, id eſt inter Viduas, Monica Sancti Auguſtini Mater incomparabilis, *imminente die reſolutionis ſuæ, memoriam ſui ad Altare fieri deſideravit, cui nullius diei prætermiſſione ſervierat.*

S. Hier. in epiſtolis.

S. Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 13.

Teſtes denique ſunt Baſilii, Auguſtini, Benedicti, vetuſti Monachorum Conditores, Regularis vitæ Inſtitutores, Monaſteriorum antiqui Fundatores, Jejuniorum, Abſtinentiarũ & Cœlibatus Obſervatores præcipui, Caſtitatis Præcones, Paupertatis & Obedientiæ Cõmendatores, Votorum Approbatores & Laudatores. Cujúſnam quæſo Religionis fuerunt hæc fulgentiſſima & clariſſima mundi lumina, hæc ſæculorum ſuorum decora & ornamenta? Num Romanæ; an Lutheranæ, Zuinglianæ, Calvinianæ vel Anabaptiſticæ? Nemo profectò niſi voluntariâ inſaniâ laborans inficias ibit, hos omnes Romanenſes, ſeu Communioni Romanæ ſociatos & adhærentes hîc vixiſſe, hinc emigraſſe, & jam Chriſto Domino fœliciter conregnare.

Dico *ſecundò*, Eccleſiam Romanam *Sanctitate illuſtrem & conſpicuam eſſe.* Quis enim rectè ſentiens non fateatur illam eſſe veriſſimã ac ſanctiſſimam Chriſti Domini Sponſam, ejuſque Religionem omnibus aliis præferendam, quâ animæ purgantur, inſtaurãtur, perficiuntur, à vitiis & peccatis abſtrahuntur, ad virtutes promoventur, à terrenis &

temporalibus avocantur, ad cæleſtia & æterna eriguntur, ad Deum accedunt; ejus favores, dona, & gratias impetrant, amicitiæ & familiaritati ſeſe inſinuant, & tandem ad eminentem gloriæ gradum pertingunt? Quis inquam rectè ſentiens hoc abnuat? Atqui talem eſſe Romanam Eccleſiam, talem eſſe Religionem quâ ſuorum animos imbuit, teſtes ſunt omnibus retro ſæculis tot inviĉtiſſimi Martyres, tot ſanĉtiſſimi Confeſſores, tot puriſſimæ Virgines, tot caſtiſſimæ Viduæ, tot animæ Chriſto deditiſſimæ. Et ut primitivæ Eccleſiæ tempora prætercam, teſtes ſunt recentiores, Romualdus, Bernardus, Norbertus. Bruno, Dominicus, Franciſcus, Antonius Patavinus, Nicolaus Tolentinas, Ignatius, Xaverius, Carolus Barromæus, Thomas Villa-Novanus, Franciſcus de Sales Epiſcopus Genevenſis, Clara Aſſiſienſis, Elizabetha Haſſiæ Turingiæque Landgravia, Elizabetha Luſitaniæ Regina, Catharina Senenſis, & alii aliæque quàm plurimæ, quos vel quas Romanenſes fuiſſe, floruiſſe, & obiiſſe certiſſimum eſt.

S. Aug. lib. de Moribus Eccl. Cath.

Meritò (aiebat Auguſtinus contra Manichæos) *Eccleſia Catholica Chriſtianorum Mater veriſſima eſt. Meritò ibi tam multi hoſpitales, multi officioſi, multi miſericordes, multi caſti, multi* SANCTI, *multi uſque adeò amore Dei flagrantes, ut eos in ſumma continentiâ atque mundi hujus incredibili contemptu etiam ſolitudo delectet. Quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus? Hæc eſt etiam vita fœminarum ſollicitè caſteq; Deo ſervientium, quæ habitaculis ſegregatæ ac remotæ à viris quàm longiſſimè decet, piâ tantùm illis charitate junguntur & imitatione virtutis; ad quas nullus acceſſus eſt. Quàm multos etiam Epiſcopos optimos Viros ſanctiſſimoſque cognovi, quàm multos Presbyteros, quàm multos Diaconos, & hujuſmodi Miniſtros Sacramentorum divinorum; quorum virtus eò mirabilior videtur, quò difficilius eſt eam in multiplici hominum genere, & in*

iſta vita turbulentiore ſervare. Nec ideò tamen laudabile genus Chriſtianorum contempſerim, eorum ſcilicet qui in Civitatibus degunt à vulgari vita remotiſſimi. Jejunia prorſus incredibilia multos exercere didici. Non rejiciendis generibus ciborum quaſi pollutis; ſed concupiſcentiæ perdomandæ & dilectioni Fratrum retinendæ invigilant omni induſtriâ. Chriſtiani ſunt enim, non Hæretici. Intelligunt Scripturas ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam; non ſecundùm ſuperbum ac commentitium nomen Apoſtolatus. Iſtis Manichæi, Lutherani, Zuingliani, Calviniani, *ſi poteſtis, obſiſtite. Et nolite mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes aut exhibentes.*

Tertiò, Quod ad *Catholiciſmum* ſeu *diffuſionem per orbem* attinet, hanc eſſe veræ Chriſti Eccleſiæ NOTAM, ex Scripturis apertiſſimè convincit Auguſtinus adversùs Donatiſtas, ut ſupra oſtenſum eſt. Addo textum illuſtrem.

Quærimus (ait Sanctus Doctor) *unde fuerit* Diabolus homicida ab initio? *Invenimus quòd primum hominem occiderit, non gladium ſtringendo; ſed perſuadendo peccatum, & à Paradiſi fœlicitate dejiciendo. Quod tunc* PARADISUS, *hoc nunc* ECCLESIA. *Diaboli ergo Filii ſunt, qui homines ab Eccleſia ſeducendo interficiunt. Sicut autem per Verba Dei novimus, ubi plantatus ſit Paradiſus: ſic per Verba Chriſti, ubi ſit Eccleſia, didicimus.* PER OMNES (inquit) GENTES. *Ab iſto Univerſo ad partem quamlibet* ſive Donati, ſive Lutheri, ſive Calvini, *quiſquis ſeparat, ille Diaboli Filius & homicida convincitur.* S. Aug. cont. epiſt. Petil. c. 13.

Quartò, Quod ſpectat ad *Infidelium Converſionem*, eam velut conſpicuam veræ Eccleſiæ NOTAM, urgebat idem Sanctus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus adversùs memoratos Donatiſtas, ex hoc Scripturæ loco: *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ.*

Hanc autem CONVERSIONEM factam eſſe operâ Romanenſium (quos Adverſarii vocant *Pontificios*) imò Monachorum potiſſimè laboribus, ſudoribus, miſſionibus & plerumque Martyriis, jam à mille & ampliùs annis, teſtes ſunt ipſimet hoſtes noſtri *Centuriatores Magdeburgenſes.* Centur. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Addo quod omnibus manifeſtiſſimum eſt, Indorum Orientalium & Occidentalium, Sinarum, Japoniorum, & aliorum novi orbis incolarum factam eſſe non ita pridem ad Eccleſiæ gremium acceſſionem, & converſionem ad Chriſti Fidem. Sed quinam potiſſimùm tam ſancto Operi incubuerunt? An Miniſtri Lutherani, Zuingliani, Calviniani, Anabaptiſtæ? An verò Sacerdotes & Religioſi Pontificii? Planè cunctis notum eſt Franciſcanos, Dominicanos, Auguſtinenſes, Patres Societatis Jesu, alioſque Pontificios in agris illis deſudaſſe, ſeminaſſe, plantaſſe, proprio etiam cruore rigaſſe, ſegetes meſſuiſſe & in horreum Dominicum invexiſſe.

Adverſarum partium Miniſtri ad inſtar vulturum aut corvorum, victricia ſuorum caſtra ſequuntur, ut cadaveribus inhient; vel intra munitiones ſecuriſſimi, & opimis ſtipendiis exactiſſimè perſolvendis dotati ditatique degunt, extra aleam, extra periculum. Quónam enim pacto cum uxoribus, filiis & filiabus, ancillis, ac demum neceſſariâ ſupellectile, ad longinquas, barbaras & efferatas gentes, Evangelium prædicaturi commearent, vel ſecum tot impedimenta comportarent? Longè illis faciliùs eſt pervertendis & deformandis Catholicis, quàm convertendis Infidelibus incumbere.

Aug. cont. epiſt. fundam. *Quintò*, Stabilitas *ac concordia in rebus Fidei*, ſeu ut loquitur Auguſtinus, *conſenſio populorum atque gentium, quemlibet rectè ſentientem invitare & tenere debet in gremio Eccleſiæ* Romanæ. Si enim à Romanenſibus Italis, Gallis, Britannis, Germanis, Pannoniis, Sarmatis, Illyricis, Græcis, Indis, Sinis, Japoniis, & aliis ubivis gentium quæratur; quid credant Fide divinâ circa *Sacramenta*, *Sacrificium*, *Purgatorium*, *Invocationem Sanctorum* & alios articulos? Omnes idem ſapiunt, idem credunt, idem loquuntur, idem reſpondent: Omnes unum & idem uno eodemq; Epheſ. 4. ore profitentur; omnium *unus Dominus*, *una Fides*, *unum Baptiſma*. Hæc eſt illa Religio, quam nec in cunis ſuis & *vix dum natam* opprimere potuit livor Judaicus; nec Cæ-

ſarum

ſarum aut Tyrannorum carnificina & laniena *adoleſcentem* perimere, nec Philoſophorum argutia ſupprimere: nec tot inſurgentium Hæreticorum tanta multitudo, etiam ſeneſcentem hactenus valuit deprimere.

Sextò, Cui niſi huic Eccleſiæ Romanæ atteſtantur miracula, *ſive Deus per ſeipſum miro modo, ſive per ſuos miniſtros iſta faciat*? Hoc miraculorum dono inſignitam eſſe Romanam Eccleſiam, iis etiam temporibus quibus illam defeciſſe calumniantur Adverſarii, teſtis eſt Sanctus Gregorius Magnus, qui Beati Benedicti miracula conſcripſit. Teſtis mellifluus Doctor Bernardus in vita Sancti Malachiæ. Teſtis Beatus Bonaventura in vita Sancti Franciſci. Teſtes innumeri alii graviſſimi & probatiſſimi Authores. S. Aug. 22. civit. c. 9.

Poſtremò, Ipſum PONTIFICIÆ & ROMANÆ nomen, tantùm abeſt ut quemvis cordatum ab illius Eccleſiæ communione deterrere vel avertere; ut potiùs ad illam invitare, excitare, & in ipſa confirmare debeat.

Pontificius & Romanenſis fuit Auguſtinus, qui *in Eccleſia Romana, Apoſtolicæ Cathedræ Principatum vigere* agnovit; qui Melchiadem Papam *Chriſtianæ Plebis Patrem* appellavit: qui Bonifacium tanquam *præeminentem celſiore faſtigio ſpeculâ Paſtoralis* veneratus eſt. Epiſt. 162. ibid. Lib. 1. cont. duas ep. Pelag.

Pontificius & Romanenſis fuit Hieronymus, qui profeſſus eſt *ſe Cathedræ Petri communione conſociari. Nihil ſibi antiquius eſſe quàm Chriſti jura ſervare, nec Patrum tranſire terminos: ſemperq́; meminiſſe* ROMANAM *Fidem Apoſtolico ore laudatam*. S. Hier. epiſt. ad Damaſ.

Talis etiam fuit magnus Irenæus, qui cenſuit *ad* ECCLESIAM ROMANAM *neceſſe eſſe omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt* undique fideles. S. Iren. lib. 3. c. 3.

Talis denique glorioſiſſimus Martyr Cyprianus, qui *non aliunde Hæreſes obortas eſſe aut Schiſmata nata* pronuntiat, *quàm quòd* SACERDOTI *Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus* JUDEX VICE CHRISTI *cogitatur. Cui ſi ſecundùm Magiſteria divina obtemperaret* S. Cypr. epiſt. ad Cornel. Pap.

peraret Fraternitas univerſa, nemo adversùs Sacerdotum Collegium quicquam moveret. Nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Co-Epiſcoporum conſenſum, judicem ſe non Epiſcopi ſed Dei faceret. Nemo diſſidio unitatis Eccleſiam ſcinderet. Nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris novam hæreſim conderet. Aurea planè verba ſunt. Et utinam Sectarii depoſitâ animoſitate, *ac regulari ſuâ temeritate* (ut loquitur Auguſtinus) ad hæc ſeriò reflecterent.

S. Aug. epiſt. 56.

Ecce quibuſcum PONTIFICIORUM agnomen ſortimur. *Non ab Hæreſeon principibus* (inquit Chryſoſtomus) *ſed ab his qui præſunt nobis & gubernant Eccleſiam.*

Hom. 33. in Act.

ANTITHESIS.

Prætenta ECCLESIA REFORMATA non ſolummodò Novitate ſuâ eſt ſuſpectiſſima; ſed eo nomine, ac etiam Reformationis titulo prætextuque omnibus veris Chriſtianis maximè fugienda. Notorios patitur defectus Sanctitatis, Diffuſionis per orbem, Converſionis Infidelium, Stabilitatis & Conſenſionis in rebus Fidei, Miraculorum ac ejuſcemodi, quibus homo quivis prudens ac ſenſatus, juſtè removeri poſſet ab ea Fide, quæ animum tot tantiſque nexibus adſtringit Communioni Romanæ.

Primò itaque de NOVITATE prætentæ Reformatæ. Rectiſſimè monet Sanctus Vincentius Lirinenſis, INNOVARE, fuiſſe eſſeque ſemper proprium Hæreticorum. Unde apud Concilii Epheſini Patres (ait idem Author) *ut futuris exempla præberent, quum de ſanciendis Fidei Regulis diſceptaretur, ne qua illis forſitan profana* NOVITAS *in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet: univerſis Sacerdotibus qui illò ducenti ferè convenerant, hoc Catholiciſſimum, fœliciſſimum atque*

S. Vinc. Lirin. Comm. c. 42.

quæ optimum factu viſum eſt; ut in medium, Sanctorum Patrum Sententiæ proferrentur, & ritè atque ſolenniter ex eorum conſenſu atque decreto, ANTIQUI DOGMATIS RELIGIO *confirmaretur, &* PROFANÆ NOVITATIS BLASPHEMIA *condemnaretur.*

Hinc etiam in Concilio Chalcedonenſi tam operosè inculcatum eſt: SI QUIS INNOVAT, ANATHEMA SIT. Et in aliis toties illud repetitum, NIHIL INNOVANDUM. Auguſtinus denique Manichæorum NOVITATEM explodens: Vos (inquiebat) *tam* NOVI *& tam turbulenti, nemini dubium eſt quin nihil dignum authoritate proferatis.*

Concil. Chalced. actione 1.

Aug. de utilit. credend.

Hoc ipſum jure meritiſſimo Adverſariis noſtris objicere poſſumus, quorum *Anteſignanus Lutherus* non niſi ſub annum milleſimum quingenteſimum decimum ſeptimum in Saxonia: *Zuinglius* paulò poſt inter Helvetios; & tandem *Calvinus* in Galliis adversùs Eccleſiam Matrem rebellantes, longè tumultuoſiſſimos & funeſtiſſimos motus excitarunt. Imò famoſiſſima illa Gallicana prætentæ Fidei Reformatæ Profeſſio, non niſi decimâ nonâ die Maij, anno 1559. in primâ Synodo Nationali Pariſienſi, ſub Henrico II. formata & confirmata fuit: demùm Carolo IX. anno 1561. exhibita; ac tandem die decimâ tertiâ Aprilis anno 1571. perlecta in Synodo Rupellanâ, ſubſcribentibus JOANNA Navarræ Reginâ, Henrico Borbonio Condæano Principe, Ludovico Naſſovio Comite, Gaſpare Comite de Coligny ac Galliarum Archithalaſſo, Theodoro Beza Synodi Præſide ac Moderatore, & aliquot Miniſtellis, ut plurimùm Apoſtatis, Fœdifragis, Excucullatis, & Eccleſiæ Romanæ aut Monaſteriorum Deſertoribus. Ita refert Author *Harmoniæ Confeſſionum Fidei*, in libro Genevæ edito apud Choüetium anno 1612.

Jam vide (*Chriſtiane Lector*) cujuſcumque tandem Sectæ fueris, & ſi tibi vel minima rationis ſcintilla emicat, apud temetipſum expende, quàm ANTIQUA ſit illa prætentæ Fidei Reformatæ Confeſſio, quæ Avorum no-

ſtrorum

ſtrorum memoriam non excedit. Simul etiam adverte, quum nobis exprobrant Calviniſtæ, neſcio quam commentitiam ac confictam Joannam Papiſſam, quantò potiori jure poſſimus eis objicere veram illam JOANNAM Navarræam, Calviniſmi Papiſſam; quæ novæ Synodo (novo more) præſidens, omnium prima novæ Fidei Profeſſioni ſubſcripſit, decimâ tertiâ Aprilis. Quâ die Zuinglio Calviniſtarum parenti *viſus antea fuerat adeſſe è machina Monitor* (ut ipſemet narrat) *albúſne an ater fuerit, non meminerat*: quiquidem Monitor impiam de Corpore & Sanguine Chriſti doctrinam eidem Zuinglio ſuggeſſerat; tunc autem & JOANNÆ PAPISSÆ Calvinianæ, & Synodo Rupellanæ inſpirabat quod ante Zuinglio ſuo inſufflarat.

Zuing. lib. de Subſid. Euchar.

Secundò, Quod attinet ad REFORMATIONIS nomen ſeu titulum, quem ſibi pars Calvini ſuperbiſſimè arrogat, omnes ſalutis ſuæ ſtudioſos non ſolùm ab illa Secta avocare ſed etiam deterrere debet. Eccleſia enim non poteſt dici REFORMATA *in Doctrina Fidei* & morum (nam aliud eſt de reformatione quorumdam defectuum perſonalium ſeu particularium) niſi ſupponatur DEFORMATIO ſeu DEFECTIO in eadem Doctrina: & hæc DEFORMATIO ulteriùs ſupponi nequit ſine graviſſima & atrociſſima in Chriſtum Dominum blaſphemia; quaſi ipſe defuerit prædictioni & promiſſioni ſuæ, quâ tam expreſſè, tam diſertè, tam luculentè & apertè prædixit promiſitque, *Portas inferi non prævalituras adverſus Eccleſiam ſuam*. Sed de his latiùs (Deo juvante) in Methodo Impugnativa diſſeremus.

Matth. 16.

Tertiò, Prætenta Reformata patitur defectum notorium *Sanctitatis*. Nec mirum, pro vera enim *Iuſtificatione ſeu Sanctificatione* nihil aliud Sectatoribus ſuis obtrudit, quàm *commentitiam, fictitiam ac imputatitiam Iuſtitiæ participationem, & peccatorum non tam remiſſionem aut purgationem aut ablutionem*, quàm *coöperturam quamdam, imaginariamq; non imputationem*. Sacramenta primaria Sanctificationis inſtrumenta partim abrogat, partim ſuis fruſtrat effectibus.

Digitized by Google

effectibus. Media ad Sanctitatem, utpote jejunia, abſtinentias, vigilias, mortificationes corporis, auſteritates, vota & ejuſcemodi proſcribit, tollit, abdicat.

Quartò, Quòd careat *diffuſione per orbem univerſum*, adeoque nec *Catholicæ* nomen niſi impudentiſſimè & falſiſſimè ſibi vel uſurpare vel arrogare poſſit, teſtis eſt *orbis ipſe & qui habitant in eo. Lutherana* ſiquidem factio intra Germaniæ & aliquot Septemtrionis Regna: *Zuingliana* intra Helvetiorum pagos anguloſque: *Calviniana* intra aliquas Belgii Provincias, Galliæ ac Germaniæ partes, eaſque nec totas nec integras (nec niſi ubi Matrem Lutheranam peſſima pellex filia excluſit) arctatur & circumſcribitur: *Anabaptiſtica* huc & illuc Arabico more vagatur, aliaſque Sectas præ ſua condemnat. Ut proindè meritò poſſimus cum Auguſtino exclamare: *Qualem veſaniam patiuntur Hæretici, præciſi à compage Eccleſiæ Chriſti*, PARTEM *tenentes &* TOTUM *amittentes! Nolunt communicare Orbi terrarum quò diffuſa eſt gloria Chriſti: Nos autem* CATHOLICI *in omni terra ſumus, quia omni terra communicamus, quàcumque gloria Chriſti diffuſa eſt. Videmus enim quod cantatum eſt, modò impleri:* Exaltatus eſt ſuper Cælos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria ejus. *O hæretica inſania! quod non vides, credis mecum; quod vides, negas. Credis mecum* exaltatum Chriſtum ſuper Cælos, *quod non videmus: & negas* gloriam ejus ſuper omnem terram, *quod videmus.* S. Aug. in Pſal. 56. Pſal. 56.

Itaque licet ſi nos aut Angelus de Cælo evangelizaverit præter id quod evangelizatum eſt, Anathema ſit. *Evangelizatum eſt per vocem Domini* JESU *Chriſti*, quòd omnibus gentibus annuntiabitur Evangelium. *Evangelizatum eſt per Propheticas & Apoſtolicas Literas*, quòd Abrahæ dictæ ſint promiſſiones, & ſemini ejus quod eſt Chriſtus, *quum ei diceret Deus*, in ſemine tuo benedicentur OMNES gentes. *Has ergo promiſſiones tenenti, ſi Angelus de Cælo diceret*: dimitte Chriſtianitatem orbis terræ, & tene partes Donati, Lutheri, Zuinglii, Calvini, Munceri; *Anathema eſſe deberet: quia te à* TOTO *præcidere, ac in* PARTEM *contrudere* Aug. ep. 165. Matt. 24. Gal. 3. Geneſ. 22.

dere conaretur, & alienare à promiſsis Dei. Hæc Auguſtinus.

Quintò, Prætentam Reformatam Catholicis à vera Fide abducendis, nullis verò Infidelibus CONVERTENDIS, & ad primam Chriſtianæ Religionis notitiam & profeſſionem adducendis, natam eſſe tam clarum eſt ac manifeſtum, ut nihil clariùs ac manifeſtiùs eſſe poſſit. Quænam etenim vel Regio vel Natio vel Provincia, imò oppidulum aut pagus, primis per eam Fidei Chriſtianæ elementis imbutus, primis Sacramentis initiatus eſt; ut poſ-
1. Cor. 4. ſit gloriari: *In Christo* JESU *per Evangelium ego vos genui?* Quum tamen hanc inter præcipuas veræ Eccleſiæ notas recenſeat Auguſtinus: nimirum *uti Gentibus in maternam operationis ſua.* Prout ipſo facto oſtendit Eccleſia Romana in nupera Indorum, Sinarum & Japoniorum converſione.

Sextò, *Stabilitatis & conſenſionis defectum* evidentiſſimè convincunt implacabiles illæ, nulloque ſyncretiſmo ſanabiles Lutheranorum & Calvinianorum inter ſeſe contentiones, diviſiones, factiones, exprobrationes, criminationes mutuæ, quas ad nauſeam uſque non ſine graviſſimo animi dolore ingeminat *David Paraus* Calvini Miniſter, in ſuo illo *Irenico* ſeu *Votiva libro*. Nec lethalis illius diſſidii vulnus mitigare poteſt futilis umbra cataplaſmatis ab eodem *Parao* inducti; quaſi ferale & novorum Evangeliſtarum ilia ipſa depaſcens diſſenſionis ulcus, non circa FIDEI FUNDAMENTALIA graſſetur: ſed minutiores quaſdam venularum fibras depaſcat. Quum enim de LIBRIS CANONICIS, *& de* VERO *Christi Domini Corpore & Sanguine in Cœna*, à ſe invicem hoſtiliter diſcrepent, & *utrumque ſit Paternum Teſtamentum*: quis ambigat hoc diſſidium cum tanta animorum exulceratione, circa FUNDAMENTALIA verſari?

Septimò denique, In prætenta Reformata planè deficiunt MIRACULA, quæ tamen erant neceſſaria *Reformatoribus extraordinario modo miſsis* (uti ſeſe jactitant) novamque Religionem Orbi Chriſtiano annunciantibus. Si enim

enim *Moyſes*, ſi *Chriſtus* ipſe, ſi ejus *Apoſtoli* miſſionem ſuam tot ſignis & prodigiis confirmarunt; cur ne vel UNUM quidem MIRACULUM Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Muncerus, & alii novæ illius Reformationis Architecti ediderunt, quo novum Evangelium ſuum, novamq; & extraordinariam Miſſionem à Deo profectam, ſaltem ſpecie tenus comprobarent, & omnes contradicentes ac renitentes revincerent aut compeſcerent?

Quâ ergo conſcientiâ tot infœlices animæ, ſpretâ, damnatâ, repudiatâque majorum ſuorum Fide, tam evidentibus teſtimoniis conſpicuâ, tanto credentium conſenſu ac multitudine, Sacerdotum ſucceſſione, Conciliorum examine roboratâ, tot miraculis à Deo confirmatâ, audent adhærere Sectæ ob tot, tales & tantos defectus, non ſolummodò ſuſpectiſſimæ; ſed etiam falſiſſimæ, & ab omnibus (qui ſinceram ſalutis ſuæ curam gerunt) omnino fugiendæ?

SECTIO V.

Praxis circa Heterodoxos extrema valetudine laborantes, ad Fidem Orthodoxam reducendos.

HAnc poſtremam SECTIONEM ſubnectere viſum eſt, quia in iis potiſſimùm locis, ubi Catholici cum Sectariis permixti ſunt, contingit non infrequenter; ut eorumdem Sectariorum nonnulli periculoſo morbo correpti, in Eccleſiæ Romanæ Communione, & in Sacramentorum ejus participatione emori velint. Quod duplici de cauſa accidere ſolet.

Prima eſt, Quia convincente intùs conſcientiâ, Romanæ Catholicæque Religionis veritatem; oppoſitarum verò Sectarum falſitatem agnoſcunt. Unde quantumvis ſani & incolumes ob temporalis alicujus commodi aut dignitatis aut officii ſeu ſtatus (ut vocant) conſecutionem aut poſſeſſionem, adverſis factionibus adhæſerint:

attamen ſub vitæ finem nihil tutius vident, quàm ad Eccleſiæ Romanæ gremium refugere, & in illius ſinu defungi. Sed interdum evenit, ut ejuſcemodi homines, improviſo aliquo inopinatoque caſu prærepti, & citiùs quàm ipſimet cogitarant, abrepti, ad Eccleſiam Romanam redire & cum ea reconciliari nequeant: ut qui hoc ipſum noluerant quum poſſent, juſtiſſimo Dei judicio amitterent & poſſe, quum aliquatenùs vellent.

Secunda cauſa eſt, Quia plurimi noxiâ illâ adverſarum Sectarum libertate ſeu potiùs licentiâ delectati & ſeducti, vix unquam ſeriò in tota vita de ſalute cogitarunt, ſed dubiis hinc inde abrepti, modò hujus, modò illius, modò iſtius partis fundamenta expendunt: nullibi fixi, nullibi ſtabiles omnem fermè ætatem, quærendo, veſtigando, explorando, & conſultando conterunt deteruntque. At in fine vitæ tum demùm graviſſimam conſcientiæ luctam, mentiſque æſtum patiuntur, & nullam veræ tranquillitatis partem in animo experiuntur. Ita nimirùm præcipiti fluctuatione volvuntur, nec habent ubi tutò conſiſtant, qui *dimiſſâ Petri Navi*, hoc eſt *Eccleſiâ Romanâ* per variorum errorum ſyrtes, novarum doctrinarum ventis circumferuntur.

Non deſunt etiam (quos quandoque expertus ſum) tantâ pervicaciâ amentes, ut ſub vitæ finem non tam reſipiſcere, quàm reſipiſcentiam & converſionem fingere & ſimulare velint; quò ſepulturæ officium Catholico ritu obtineant: & vel ſaltem mortui in eorum Templa, Cæmeteria ac Cæremonias cadavera ſua intrudant, à quorum communione viventes tantoperè abhorruerant, & ſemetipſos ſacrilego ſchiſmate præciderant.

Itaque ſi cui Catholico ad ægrotantem quemcumque Acatholicum detur acceſſus, liberaq; loquendi, monendi & exhortandi facultas: imprimis deſumendum videtur exordium ab ECCLESIÆ INDEFECTIBILITATE. Quâ quidem ex Scripturis Sacris manifeſtè oſtenſâ, funditùs ſubruitur ac evertitur longè falſiſſimum & fallaciſſimum AD-

VERSARIORUM

Digitized by Google

VERSARIORUM FUNDAMENTUM. Simul etiam adſtruitur omnimoda certitudo & infallibilitas omnium articulorum quos Eccleſia proponit fide divinâ credendos. Exempli causâ, *de Reali præſentiâ Corporis & Sanguinis Chriſti in Eucharistia, de Sacrificio Miſſæ, de Sacramentali Pœnitentiâ, de Cultu & Invocatione Sanctorum, de Purgatorio & aliis.* Hoc ita conficio. Si ex Scripturis Sacris veriſſimum & certiſſimum eſt *Eccleſiam eſſe infallibilem*, ergo falſiſſimum eſt, & iiſdem Scripturis maximè repugnans quod prætexunt, & pro fundamento ſuo ſtatuunt novi Reformatores, nimirùm *ſuo tempore* (à ſeſqui ad ſummum ſæculo) *Eccleſiam jacuiſſe in ruinâ & deſolatione, Diabolum edidiſſe horrendam ſtragem, opus fuiſſe ut Deus extraordinario modo aliquos ſuſcitaret ad erigendam ſeu conſtruendam de* NOVO *Eccleſiam, quæ ex* TOTO *erat corrupta.* Rurſus ſi ex iiſdem Scripturis veriſſimum & certiſſimum eſt, ECCLESIAM ESSE INFALLIBILEM: ergò eâdem planè certitudine certiſſimum eſt NON FALLI ACTU; dum proponit articulos *de Reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Eucharistia, de Sacrificio Miſſæ, de Sacramentali Pœnitentia, & de aliis myſteriis*, fide divinâ credendos. Quid enim repugnantiùs quàm unum & idem ſimul eſſe infallibile ſeu indefectibile, & actu falli ſeu deficere? Unum idemque ſimul eſſe infallibile & non infallibile; indefectibile & non indefectibile? Atqui Eccleſiam eſſe infallibilem ſeu indefectibilem (loquendo de infallibilitate ſeu indefectibilitate in doctrina Fidei & morum) apertiſſimè convincunt textus illi Scripturæ: *Portæ inferi non prævalebunt adverſùs* Matt 16
eam: Eccleſia Dei vivi eſt columna & firmamentum veritatis? 1. Tim 3
Quæquidem teſtimonia divina, ſicut & alia quàm plurima intellexit & protulit B. Auguſtinus ſupra, adversùs Donatiſtas Hæreticos iiſdem erroneis præjudiciis ac fundamentis ſubnixos. Quid ergo conſequitur ex hac infallibilitate ſeu indefectibilitate Eccleſiæ, niſi eam actu non falli, actu non deficere in articulis quos fide divinâ credendos proponit: adeoque Catholicos omnimodam

habere ſecuritatem, dum ei adhærent, & ejus propoſitionibus acquieſcunt.

Quòd ſi preſſiùs agendum eſt, proponenda ſunt ſequentia.

Heb. cap. 11. SINE FIDE IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO. Axioma eſt generale & propoſitio univerſalis, quæ Fidei neceſſitatem ad Deo placendum, planè adſtruit convincitque.

Sed unde FIDES illa ad Deo placendum prorſus neceſſaria? Reſpondet Paulus, vas electionis, gentium Doctor; FIDES EST EX AUDITU.

Rom. cap. 10. Quínam verò AUDIENDI? Attende ſi lubet ac ſeriò reflecte.

Primò, CHRISTUS eſt AUDIENDUS, de quo Pater æternus pronuntiat: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* IPSUM AUDITE. Mat. 17.

Luc. 10. *Secundò*, Diſcipuli Chriſti ſunt AUDIENDI. *Qui vos* AUDIT, *me* AUDIT, dicit idem Chriſtus Dominus.

Tertiò, Eccleſia eſt AUDIENDA, de qua ipſe Servator ac Redemptor ait: ſi *Eccleſiam non* AUDIERIT, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ecce quos AUDIRE poſſis & debeas ſine periculo erroris, ſine præjudicio deceptionis, ſine diſcrimine ſalutis. Mat. 18.

Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 6. Jam perge mecum gradatim. Dicit tibi Chriſtus, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus: Caro mea verè eſt cibus, Sanguis meus verè eſt potus.* Non vis AUDIRE: non vis credere. Dicit tibi Zuinglius, dicit tibi Calvinus: *Non eſt Corpus Chriſti, non eſt Sanguis; ſed ſignum duntaxat, ſed ſola figura Corporis & Sanguinis.* Mavis AUDIRE, mavis credere. Quomodò ergo ſperas te EXAUDIENDUM à Chriſto, quem judicas non eſſe à te AUDIENDUM?

Mat. 16. Iterùm dicit tibi Chriſtus: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs Eccleſiam meam.* Ex adverſo clamitant Miniſtri tui. *Prævaluerunt portæ inferi adversùs Eccleſiam. Iacuit in ruina & deſolatione. Diabolus diſſipando Eccleſiam, edidit horrendam ſtragem. Fuit ex* TOTO *corrupta, & de* NOVO *erigenda.* Quis horum tibi videtur AUDIENDUS? Cui credendum? Confeſſ. Reform. & Catechiſ. Geneven.

Chriſtone?

Chriſtóne? An forſitan Lutheri, Zuinglii & Calvini Miniſtris diverſa & adverſa Chriſti Verbo ſentientibus, effutientibus, mentientibus?

Rursùs dicit tibi Diſcipulus Chriſti, Jacobus Apoſtolus; *Ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm.* Sed Pſeudo-Apoſtoli Reformatores tui ex oppoſito aſſerunt *hominem eſſe participem juſtitiæ per ſolàm Fidem.* Apoſtolum AUDIRE reſpuis & contemnis: Pſeudo-Apoſtolis AUDITUM præbes & aſſenſum. Quænam hæc cæcitas? Quænam dementia? Quænam pervicacia? Epiſt. Iac.c.2. Confeſſ. Reform. artic.10.

Tandem dicit tibi Eccleſia, dicit tibi Sponſa Chriſti, illius Spiritu edocta: *Septem ſunt novæ Legis Sacramenta. Licitum eſt Sanctos invocare. Poſſunt defunctorum fidelium animæ,* juvari in Purgatorio, *per Sacrificia, Eleëmoſynas, Orationes & Suffragia Fidelium ſuperſtitum,* Sed his contradicunt, & contradocēt Doctores tui, contradictionis filii. *Sunt duo duntaxat Sacramenta*, inquiunt. *Interceſſio Sanctorum eſt abuſus & fallacia Satanæ, ex cujus officina proceſſit etiam Purgatorium.* Hos tamen AUDIS, hos ſequeris, hos amplecteris: Eccleſiam autem deſeris. Quid tibi futurum aliud putas (niſi reſipiſcas) quàm ut ab Eccleſiæ Sponſo, Chriſto Domino, *ſicut Ethnicus & Publicanus* habearis, confundaris, damneris? Catech. Reform. Domin. 48. Confeſſ. Reform. art.24.

Denique juxta *prudentiæ regulas, in ſalutis negotio tutius & ſecurius ſemper eligendum eſt, ac præferendum dubiis & incertis.* Hinc ſi decem (verbi gratiâ) peritiſſimi ac expertiſſimi Medici infirmo aſſiſtentes, de medio & remedio ad ſalutem illius corporalem inter ſeſe omnes convenirent: propoſito autem alio remedio, unus quidem vel alter illud probaret, ſed reliqui novem aut octo planè diſſentirent: quis ſibi conſultum volens, non eligeret prudenter medium & remedium ab omnibus unanimi conſenſu probatum, præ medio remedioque quod unus vel alter ſuggereret; ſed alii planè improbarent ac abnuerent? Ita in ſalutis ſpiritualis negotio agendum; imò tantò cautiùs circumſpectiùſque, quantò pluris ſalus animæ

quàm corporis facienda eſt, & æſtimanda ac procuranda. Nemo reperitur inter Eccleſiæ Romanæ Adverſarios, paulò ſedatioris ac capacioris ingenii, qui *majores ſuos, avos, abavos, tritavos* damnare non erubeſcat, eò quòd ante exorta Lutheri, Zuinglii, Calvini & Munceri Schiſmata, in Romanâ communione baptizati, educati, edocti, & tandem mortui fuerint. Hinc in eadem communione ſalutem obtingere poſſe fatentur: hoc eſt, Romanenſes in Romanâ, Pontificiâ, Papiſticâque (uti nuncupant) Religione ſalvari. Hoc etiam ultrò concedunt omnes Pontificii, ſed expreſſiſſimè negant ullum mortalium in Lutheraniſmo, Zuingliani ſmo, Calviniſmo, Anabaptiſmo, & in alia quacumque Secta poſſe ſalutem conſequi, ſi *formaliter* (ut ita loquar) *Lutheranus, Zuinglianus, Calvinianus, Anabaptiſta, vel quocumque alio nomine Sectarius* diem ultimum obeat; quicquid de *Reformatorum ſalute aſſertâ* diſſerat *Samuel Mareſius*, in libro Trajecti ad Moſam typis Bucherianis edito. Quum itaque tam Catholicorum quàm Acatholicorum judicio & confeſſione poſſit quis in Eccleſia Romana ſalutem aſſequi: in alia autem quacumque non poſſit, niſi ex ſolâ Sectariorum vaniſſimâ fiduciâ, ſeu potiùs temeritate & præſumptione; quis ejuſdem ſalutis ſuæ curam ex animo gerens, non eligat prudenter, præferatque Fidem & Eccleſiam Romanam omnibus Sectis oppoſitis, tanquam tutiorem & ſecuriorem ad minus, etiam ex Adverſariorum ſententia? Hæc & alia omnia quæ in hac Methodo poſui, iiſdem Adverſariis ſeriò cogitanda ac expendenda relinquo.

Finis Methodi Converſivæ.

ME-

Digitized by Google

METHODVS
IMPVGNATIVA

SEV

AD IMPVGNANDOS
ET REVINCENDOS

Pervicaciores Eccleſiæ Hoſtes, & potiſſimè Calvinianos.

Digitized by Google

ARMA militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem Munitionum; conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs Scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. 2. Cor. 10.

Digitized by Google

SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ,

CATHOLICÆ, APOSTOLICÆ:

Perfidiæ Judaïcæ Domitrici fœliciſſimæ,
Ethnici furoris Victrici glorioſiſſimæ,
Idololatriæ Profligatrici acerrimæ,
Hæreſeon Debellatrici triumphantiſſimæ,
Veritatum Fidei Propugnatrici invictiſſimæ,
Religionis Conſervatrici fideliſſimæ,
Agni Uxori dilectiſſimæ,
Filii Dei Sponſæ pulcherrimæ, integerrimæ,
Omnium Fidelium Virgini-Matri optimæ, fœcundiſſimæ, amantiſſimæ,

D. C. Q.

TE *vera Sponſa veri Chriſti, Eccleſia Catholica, alloquor & ego* (poſt Auguſtinum tuum) *pro modulo meo, qualiſcumque Filius & ſervus tuus, poſitus in te diſpenſare cibaria conſervis meis*, & potiſſimè Fidelibus Trajectenſis Eccleſiæ Filiis, quibus & voce & corde & literis ſervivi. *Cave ſemper ut caves* Lutheranorum, Zuinglianorum, Calvinianorum, Anabaptiſtarum, aliorumq́ue Novatorum *impiam vanitatem, jam tuorum periculo expertam. Noli decipi nomine Veritatis.* Hanc *ſola tu habes & in lacte tuo, & in pane tuo: in his autem tantùm nomen ejus eſt; ipſa non eſt.*

S. Aug. lib. 15. cont. Fauſt. cap. 3.

 Et

Et in tuis quidem grandibus ſecura es: ſed appello interim parvulos tuos, Fratres, Filios, Dominos meos, quos vel tanquam ova ſollicitis alis foves; vel tanquam infantes lacte nutris, ſine corruptione fœcunda Virgo-Mater. Hos in te appello teneros fœtus tuos, ne garrulâ curioſitate ſeducantur: ſed potiùs anathematizent, Si quis eis evangelizaverit præter id quod acceperunt in te. *Nec relinquant verum veracemque Chriſtum*, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi: & magna multitudo dulcedinis ejus, quam abſcondit metuentibus ſe; perfecit autem ſperantibus in ſe. *Ibi verò*, hoc eſt apud Adverſarios tuos, *quomodò poſſunt eſſe verba veracis, in prædicatore Chriſti fallaci? Contemne inſultationes eorum, quia bene tibi es conſcia, promiſſionem vitæ æternæ te adamaſſe in muneribus Sponſi tui; id eſt, ipſum Sponſum tuum*; quia ipſe eſt vita æterna.

Galat. 1. Coloſſ. 2. Pſal. 30.

Nec eſt quod objiciant vel conquerantur Adverſarii tui ſe abs te impugnari; quum errores & Hæreſes in ipſis, potiùs quàm ipſoſmet oppugnes. *Omnibus authoritatibus rationibuſque reſiſtere malunt, quàm conſentire. Reſiſtunt autem duobus modis, aut ſæviendo aut pigreſcendo. Quid igitur hîc faciat Eccleſiaſtica medicina tua, ſalutem omnium maternâ charitate conquirens, tanquam inter phreneticos & lethargicos æſtuans? Phrenetici nolunt ligari, lethargici nolunt excitari; ſed perſeverat diligentia charitatis tuæ phreneticum caſtigare, lethargicum ſtimulare, ambos amare.*

S. Aug. epiſt. 167 ad Feſt.

Si Eccleſia vera ipſa eſt quæ perſecutionem patitur, non quæ facit; quærant ab Apoſtolo, Epiſtolæ ad Galatas capite quarto, quam Eccleſiam ſignificabat Sara, quando perſecutionem faciebat ancillæ? *magis illa perſequebatur* SARAM *ſuperbiendo, quàm illam Sara coërcendo.* Quomodò Reges ſerviunt Domino in timore, *niſi ea quæ contra juſſa Domini fiunt, Religioſâ ſeveritate corrigendo atque plectendo? Quum nondum Reges Domino ſervirent, non utique tunc poſſent impietates legibus prohiberi. Poſtquam verò cæpit impleri quod ſcriptum eſt*: adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei; *quis mente ſobrius Regibus dicat*: nolite curare

S. Aug. Epiſt. 50. ad Bonifac. Pſal. 2. Pſal. 71.

rare in Regno veſtro, à quo teneatur vel impugnetur Eccleſia Domini veſtri; & quis velit eſſe ſive Religioſus ſive ſacrilegus? *Cur enim quum datũ ſit hominibus liberum arbitriũ, adulteria legibus puniantur; Sacrilegia permittantur? Meliùs eſt quidem doctrinâ homines duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli: ſed ſicut meliores ſunt quos dirigit amor; ita plures ſunt quos corrigit timor. Vbi eſt quòd* Lutherani, Zuingliani & Calviniani *clamare conſueverunt* : liberum eſt credere vel non credere? Cui vim Chriſtus intulit? *An non pertinet ad vigilantiam Paſtoralem oves inventas, ad ovile Domini (ſi reſiſtere voluerint) flagellorum terroribus vel etiam doloribus revocare?*

Imitaris (ô Eccleſia Catholica) *Dominum tuum. Et priùs ut neminem cogeres, expectaſti* donec de *Fide Regum atque gentium, prædicatio Prophetica compleretur. Vnde & ipſe Dominus ad* MAGNAM CÆNAM SUAM, priùs ADDUCI jubet convivas, poſteà COGI, Lucæ capite decimo quarto. *Convivium Domini*, *Vnitas eſt* CORPORIS *Chriſti: non ſolùm* IN SACRAMENTO ALTARIS, SED *etiam* IN VINCULO PACIS. S. Aug. eâdem epiſt. 50. ad Bonifac. de correct. Donatiſt.

Reverà *quotquot orbem tuum Catholicum* (*quoniam Domino eis reſiſtente pervertere* nequiverant) *ſaltem commovere conati fuerant*, VIGILANTIÂ ET DILIGENTIÂ PASTORALI, *poſt factum illis competens ſufficienſque judicium, ubicumque* LUPI ISTI APPARUERUNT, *contriviſti: ſive ut* SANARENTUR; *ſive ut ob aliorum ſalutem*, VITARENTUR *adjuvante* PASTORE PASTORUM. S. Aug. lib. 4. cont. duab. epiſt. Pelag. cap. 12.

Ubi nunc *Simoniani, Menandriani, Ebionitæ, Nicolaitæ, Saturniani, Baſilidiani, Carpocratiani, Valentiniani, Gnoſtici, Cerdoniſtæ, Marcioniſtæ, Montaniſtæ ſeu Cataphryges, Novatiani, Sabelliani, Chiliaſtæ, Samoſetani, Manichæi, Donatiſtæ, Meletiani, Ariani, Macedoniani, Luciferiani, Apollinariſtæ, Priſcillianiſtæ, Helvidiani, Ioviniani ſtæ, Rogatiani, Vigilantiani, Pelagiani, Neſtoriani, Eutychiani, Thalmudiſtæ, Monothelitæ, Icono-Claſtæ ſeu Icono-Machi, Berengeriani, Petrobruſſiani, Valdenſes, Albigenſes, Wicleffitæ, Huſſitæ, Taboriſtæ, Picardi,* aliique penè innumeri? *Periit memoria eorum cum ſonitu,* ſeu veriùs, cum latratu quodam tanquam canum, vel ululatu luporum contra te inſurgentium.

Digitized by Google

Ubi *Nerones*, *Domitiani*, *Trajani*, *Severi*, *Decii*, *Diocletiani*, *Iuliani*, cæterique laniones, carnifices, & flagellatores ac oppreſſores tui, pluſquàm PHARAONES Ægiptiaci?

Ubi *Celſi*, *Porphyrii*, *Luciani*, aliique propemodùm infiniti, è Philoſophorum Scholis Academicis, Stoicis, Peripatheticis, Epicureis, in Arenam contra te deſcendentes?

Ubi *Thalmudiſtæ*, cæterique Judæorum Rabbini, & Mahometani Impoſtores *Avicenna & Averroes*, aliique hoſtes infenſiſſimi & infeſtiſſimi?

Tribus verbis dico: VENISTI, VIDISTI, VICISTI. Hoc verius addo, VICIT IN TE, ET PER TE, CHRISTUS DOMINUS, SPONSUS TUUS. Ut proinde non immeritò hoc tibi *Encomiaſticum Lemma* appendam.

IN caſſum *Iudæa* furit, movet *Ethnicus* arma,
Lunataſque acies *Turca* cruentus agit.
Fruſtra *Schiſmaticus* civilia prælia miſcet,
Hæreticus fraudes inſidiaſque parat.
Si conjuratus contra te ſurgit *Avernus*
Exerit & vires *Lucifer* ipſe ſuas.
Angelicæ tecum junguntur mille cohortes,
Lucifer hac iterum luce fugatus abit,
Si tormenta parant ſævi feritate *Tyranni*,
Martyrii ſeges eſt materieſque *tui*.
Turba *Miniſtrorum* ſi te verboſa laceſſit,
Hæc eſt doctrinæ limaque coſque tuæ.
Nunquam ſuccumbis damnis, & territa nullis
Uulneribus, nullis ictibus icta peris.
Sanior è *morbis*, è *bellis fortior* exis,
Auctior adverſis, *proſperiorque* malis.
O nimium delecta Deo, cui militat æther!
Atque laboranti promptior addit opem.
Circumdat Chriſtus ſcuto, & te (Sponſa) tuetur,
Submovet hinc fures, arcet & inde lupos.
Hoſtibus invitis perſtas Eccleſia Victrix,
Nullaque *Vis* eſt *Vi* prævalitura tuæ.

METHODI

METHODI IMPVGNATIVÆ

CAPVT I.

Quis ſit hujus Methodi ſcopus ſeu finis?

ESt in more poſitum apud eos, qui urbem aliquam obſederunt, ut Tubicinem vel Caduceatorem præmittant, qui deditionem poſtulet, antequàm admotis Machinis aut Tormentis bellicis, vel adhibitis cuniculis, ſubjectoque pulvere nitrato dejiciantur turres, proſternantur mœnia, evertantur propugnacula; adeòq; aperto Marte cogantur obſeſſi, ſeſe victoris arbitrio ſubmittere, vel invadentis militis vim ac violentiam experiri. Imò ſolent clementiores belli Duces, ipſique ſummi Imperatores, omnibus jam ad oppugnationem certiſſimam paratis, præmonere non ſolummodò legitimos hoſtes, ſed etiam perduelles ac rebelles, ut ſibi proſpiciant, imminentem cladem avertant, victoris miſericordiam & oblatæ veniæ conditiones maturè accipiant, ne ſe ſuoſque ac omnia ſua inevitabili ruinæ objiciant, & funeſtioribus caſibus involvant. Ita egit cum Rupellanis ſuis Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus cognomento Juſtus. Ita etiam plurimi alii Principes, qui humani ſanguinis effuſionem,

Digitized by Google

nem, gravioreḿque cædem ac ſtragem hominum, velut publicam quamdam carnificinam abhorrent & averſantur, niſi extrema repugnantiū pertinacia, extremos etiam conatus, extremamq; vindictam in ſuum caput accerſat. Similimodo *Clementiſſimus ille Fidei Imperator Chriſtus Ieſus, dum alienatos à vera Matre Catholica, perire non vult in ſacrilega diſcordia*, variè pro ſuâ miſericordiſſimâ bonitate cùm iis operatur, ut quandoque per Chriſtianorum Principum leges, illataſque moleſtias: interdum per lancinantis conſcientiæ graviores quoſdam remorſus: aliquando per doctiorum hominum diſputationes aut diſſertationes, vel per alios modos *ad deditionem compellantur, conſonent Paci, cohæreant Vnitati, acquieſcant Charitati, cedant Veritati, Eccleſiam Catholicam incipientem ab Hieruſalem cognoſcant uſquequaque diffundi*, & renectantur illius membrorum compagi; ſi veritatis iram, & extremum illud cum deſertoribus Angelis ſine fine ſubeundum ſupplicium effugere voluerint.

Aug. Epiſt. 56. & 166.

Aug. cont. Donatiſt poſt Collat.

In prima METHODO (quam CONVERSIVAM nuncupavi) ea quæ ad converſionem aberrantium à Fide, oportuniora videbantur, non tam præſcripſi quàm conſcripſi, & nonnullorum rogatu in lucem edidi: obſequendi potiùs & proficicendi ſtudio ac deſiderio, quàm docendi magiſterio; ut ſi qui fortaſſis vel exercitatione ac uſu ipſo, vel meditatione martéque proprio, aliquid melius ſibi hactenus non comparaverant, hæc ſaltem in promptu poſſent habere. Verùm quum non deſint aliqui è Sectariorum numero genii ac ingenii tum ſuperbiſſimi, tum pervicaciſſimi; quos proindè graviùs premere & planè revincere neceſſe eſt, nè (quod ſolent) ſimplicioribus ac rudioribus Catholicis, falſiloquâ vanitate ſua inſultent: hinc aliam METHODUM (quam IMPUGNATIVAM appello) viſum eſt apparare; ut ſciant Romanæ Eccleſiæ Adverſarii, non ei deeſſe *arma legitima*, neque etiam *armigeros* qui *Stationi Philiſtinorum* audeant apparere, eaḿque invadere, & cominùs cum hoſtibus manus conſerere.

1. Reg. c. 14.

Certiſſimum

Certiſſimum quidem eſt quod ait Beatus Auguſtinus: nimirùm *per Conventus celeberrimos Populorum atque Gentium, Sedeſque ipſas Apoſtolorum* ARCE AUTHORITATIS *munitam eſſe Eccleſiam: & per pauciores piè doctos & verè ſpiritales viros,* COPIOSISSIMIS APPARATIBUS *etiam* INVICTISSIMÆ RATIONIS *armatam. Verùm* (inquit idem Sanctus Doctor) *illa rectiſſima diſciplina eſt, in* ARCEM FIDEI, *quàm maximè recipi* INFIRMOS; *ut pro iis jam tutiſſimè poſitis,* FORTISSIMA RATIONE *pugnetur.* Aug. Epiſtol. 56. ad Dioſcor.

Quòd ſi in hac Methodo Impugnativa crebriores occurrant ratiocinationes, memineris (benevole Lector) & Chriſtum Dominum (qui eſt Sapientia Patris) contra Judæos, Scribas, Phariſæos, Sadúcæos, verbi ipſius doctrinæque obtrectatores argumentatum fuiſſe: & Paulum adversùs contradictores Reſurrectionis, ratiocinationes adhibuiſſe; & ex B. Hieronymi Epiſtola ad Paulinum, *ipſum Iob exemplar patientiæ, omnes leges* DIALECTICÆ, *propoſitione, aſſumptione, confirmatione, concluſione determinaſſe.* Deniqne *hanc Artem, quam* DIALECTICAM *vocant* (ait Auguſtinus) *quæ nihil aliud docet, quàm conſequentia demonſtrare, ſive vera veris, ſeu falſa falſis, nunquam Doctrina Chriſtiana formidat; ſicut eam in Stoïcis non formidavit Apoſtolus,* Actorum capite decimo ſeptimo.

Matt. 22

1. Cor. 15

Hieron. epiſt. ad Paulin. cap. 7.

CAPUT II.

Contra nomen & Titulum Reformationis.

NArrat Graviſſimus Scriptor *Florimundus Remundus,* Senator Burdigalenſis, in *Hiſtoria de Ortu, progreſſu & occaſu Hæreſeon, libro ſeptimo,* primam omnium Galliæ Civitatum Lutheranâ peſte infectarum, fuiſſe urbem Meldenſem. Seducti fuerunt tùm incolæ Cives, tum accolæ Ruſticani *à Farello, Fabro, Arnaldo & Rouſſelio.* Quatuor Pſeudo-Evangelii Lutherani primis portitoribus. Addit prætentorum Reformatorum *Eccleſiaſtica Hiſtoria, Tomo primo, folio* quinquageſimo, *in eadem Vrbe Meldenſi erectam fuiſſe*

Gallicè *Meaux ſur la riviere de Marne.*

fuiſſe quamdam Eccleſiæ formam, *& Cives aliquot* in unum convenientes elegiſſe in Miniſtrum ſuum, quemdam PETRUM cognomento CLERICUM. Hic Pſeudo-PETRUS Lanarius Carminarius, & veri PETRI (cui Chriſtus claves regni cælorum, & oves paſcendas commiſit) planè ANTI-PETRUS, quamvis Gallicè duntaxat ſciret nihilominus prædicandi & Sacramenta miniſtrandi officium ſuſcepit. Indeque MELDENSIUM LUTHERANORUM nomen par Gallias audiri diffundique cæptum. Sed *Calvino* tandem ad Genevenſem Pontificatum dolosè, factiosè, violentè evecto, illius Sectarii dicti ſunt *Calviniani* aut *Calviniſtæ*: tandemque Reformatorum nomen ſibi ipſis indiderunt, & prætentam Eccleſiam ſuam, REFORMATAM nuncuparunt.

Conta nomen illud, ſeu agnomen vel titulum, propono hoc primum argumentum.

Nulla Eccleſia Reformata eſt vera Chriſti Eccleſia.
Omnis Calviniſtarum Eccleſia eſt Reformata:
Nulla ergo Calviniſtarum Eccleſia eſt vera Chriſti Eccleſia.

Certa eſt *minor* ex propriâ Adverſariorum confeſſione, & valet conſequentia.

Probatur *major*.

Omnis Eccleſia REFORMATA ſupponit aut ſupponere debet *in doctrina Fidei & morum* aliquid DEFORME, quod REFORMANDUM fuerit & actu REFORMATUM.
Nulla vera Chriſti Eccleſia ſupponit aut ſupponere debet *in doctrina Fidei & morum* aliquid DEFORME, quod REFORMANDUM fuerit, & actu REFORMATUM.
Nulla ergo Eccleſia Reformata eſt vera Chriſti Eccleſia.

Hujuſce probationis *major* patet ex propriis terminis. *Minorem* ſic adſtruo.

Eccleſia

Eccleſia illa *adverſus quam Portæ Inferi non prævalebunt*: pro cujus Capite ſubalterno & Vicario *rogavit* Chriſtus, *ut non deficiat Fides ejus*: quæ eſt *Eccleſia Dei vivi, Domus Dei, Columna & Firmamentum* VERITATIS, non ſupponit aut ſupponere debet in doctrina Fidei & morum aliquid DEFORME, quod Reformandum fuerit, & actu Reformatum. Matth. 16. Luc. 22.

Atqui vera Chriſti Eccleſia eſt illa, *adverſus quam Portæ Inferi non prævalebunt*: pro cujus Capite *rogavit* Chriſtus, *ut non deficiat Fides ejus: quæ eſt Eccleſia Dei vivi, Domus Dei, Columna & Firmamentum* VERITATIS.

Vera ergo Chriſti Eccleſia non ſupponit aut ſupponere debet in *doctrina Fidei & morum* aliquid Deforme, quod Reformandum fuerit, & actu Reformatum.

Confirmatur. Si ſupponeret aut ſupponere deberet *in doctrina Fidei & morum* aliquid Deforme, quod Reformandum fuerit, & actu Reformatum; non foret illa Eccleſia *adverſus quam Portæ Inferi non prævalebunt*: pro cujus Capite ſubalterno & Vicario *rogavit* Chriſtus, *ut non deficiat Fides ejus, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, Domus Dei, Columna & Firmamentum Veritatis*: ſed conſequens eſt falſiſſimum, ergo & id unde ſequitur.

Secundum Argumentum.

Quicumque dicit Eccleſiam fuiſſe Reformandam & actu Reformatam *in doctrina Fidei & morum*; contradicit Chriſto Domino dicenti: *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*, & *roganti* pro illius Capite ſubalterno ac Vicario *ut non deficiat Fides ejus*. Contradicit Apoſtolo dicenti & docenti *Eccleſiam Dei vivi eſſe Domum Dei, eſſe Columnam & Firmamentum* VERITATIS.

Atqui prætenti Reformati Calviniani dicunt Eccleſiam fuiſſe Reformandam & actu Reformatam *in doctrina Fidei & morum*.

Prætenti ergo Reformati Calviniani contradicunt Chriſto Domino dicenti: *Portæ Inferi non prævalebunt*

adverſùs Eccleſiam, & roganti pro illius Capite ſubalterno ac Vicario, *ut non deficiat Fides ejus.* Contradicunt Apoſtolo dicenti & docenti *Eccleſiam Dei vivi eſſe Domum Dei, eſſe Columnam & Firmamentum* VERITATIS.

Rurſùs,

Quicumque contradicunt Chriſto Domino, ſunt Anti-Chriſti: & quicumque contradicunt Apoſtolo, ſunt Pſeudo-Apoſtoli:

Sed prætenti Reformatores & Reformati Calviniani contradicunt Chriſto Domino dicenti: *Portæ Inferi non prævalebunt adverſùs Eccleſiam.* Contradicunt Apoſtolo dicenti & docenti *Eccleſiam Dei vivi eſſe Domum Dei, eſſe Columnam & Firmamentum* VERITATIS.

Prætenti ergo Reformatores & Reformati Calviniani ſunt Anti-Chriſti: ſunt Pſeudo-Apoſtoli.

Tertium Argumentum.

Quiſquis ſive explicitè ſive implicitè credit & aſſerit, non id de facto eveniſſe, quod Chriſtus Dominus abſolutè & diſertè prædixerat ac promiſerat: ſed planè contrarium prorſuſque oppoſitum contigiſſe, ille Chriſtum Dominum verum eſſe Prophetam, fidelemque & ſincerum promiſſorem negat, & hoc ipſo horrendè ac nefariè blaſphemat.

Atqui prætenti Reformatores & Reformati Calviniani, ſaltem implicitè credunt & aſſerunt, non id de facto eveniſſe quod Chriſtus Dominus abſolutè & diſertè prædixerat & promiſerat: id eſt, ſaltem implicitè credunt & aſſerunt non eveniſſe, *ut Portæ inferi non prævalerent adverſùs Eccleſiam*; ſed planè contrarium prorſuſque oppoſitum contigiſſe, nimirùm *Eccleſiam jacuiſſe in ruina & deſolatione, fuiſſe de novo erigendam, Diabolum edidiſſe horrendam ſtragem, Eccleſiam fuiſſe ex toto corruptam, & illius ſtatum interruptum.* Ita profitentur in publica Confeſſione Pſeudo-Fidei Reformatæ. Ita credunt, aſſerunt, & docent ex Reformato Catechiſmo Genevenſi.

Digitized by Google

Prætenti ergo Reformatores & Reformati Calviniani, ſaltem implicitè Chriſtum Dominum verum eſſe Prophetam, fidelemque & ſincerum promiſſorem negant; & hoc ipſo horrendè ac nefariè blaſphemant.

Itaque ad ſe & in ſe redeant, ſemetipſos diſcutiant, alloquantur, & interrogent, quónam pacto, quâ conſcientiæ ſecuritate, quo prætextu, quâve excuſatione ante formidandum Chriſti Supremi Judicis tribunal, blaſphemias illas vel palliabunt vel obtegent, & ab irâ venturâ effugient? An fortaſſis prætexent obtendentque: *Lutherus dixit, Zuinglius dixit, Calvinus dixit, Muncerus dixit, Pleſſæus Mornæus dixit, Molinæus Sedanienſis dixit?*

Reverà has etiam excuſationes prætendere poterunt perfidi pervicaceſque Judæi, & blaſphemias ſuas diluere: *quia videlicet Rabbi Salomon dixit, Rabbi Eliezer, Rabbi Ionathas & ejuſcemodi dixerunt.* Imò vel ipſi Mahometani excuſationes de facili adinvenient proferentque, eò quòd *Mahometes* ita dixerit, *Homar* aliique *Alcorani interpretes* ita ſenſerint. Sed *Iudæi* quidem & *Mahometani* multò excuſabiliùs multòque tolerabiliùs hiſce ficulneis excuſationum foliis ſeſe obtegere poſſent, quia hoſtes externi & ex profeſſo, nuſquam Chriſtianis Sacris initiati, nuſquam illius myſteriis imbuti, ſed falſiſſimis contra Chriſtum Dominum ejuſque Religionem principiis imbuti, & illum & hanc oppugnant: *Lutherani* autem, *Zuingliani, Calviniani, Anabaptiſtæ*, & ejuſcemodi, *è nobis exeuntes*, & agnitam impugnantes veritatem, *odio eam habent gratis.* Hæc (ſi evigilant) intueantur.

Quartum Argumentum.

Prætenta Eccleſia quæ tollit *formam* aut *modum* à Chriſto Domino, vel ab ejus Apoſtolis & Apoſtolicis Paſtoribus inductum; ut novam aliquam *formam* aut *modum* intrudat & inducat, eſt eo ipſo *Deformatrix, Corruptrix, Adulteratrix*; non autem *Reformatrix* aut *Reformata.*

Atqui prætenta Calvinianorum Eccleſia tollit *formam*

aut *modum* à Chriſto Domino, vel ab ejus Apoſtolis & Apoſtolicis Paſtoribus inductum, ut novam aliquam *formam* aut *modum* intrudat & inducat:

Prætenta ergo Calvinianorum Eccleſia eſt eo ipſo *Deformatrix, Corruptrix, Adulteratrix*; non autem *Reformatrix* aut *Reformata*.

Major per ſe nota eſt.

Minorem probant quæcumque ſupra recenſui ex *Seſſionibus* ac *Oraculis Auguſtinianis, Reflexionibuſque* ſubnexis, à paginâ 116 ad paginam 216. & à paginâ 42. ſub finem ad paginam 44. Hâc tamen brevi ſuccinctâque inductione, potiora recolligo ac repræſento.

Primò, Prætenta Reformatrix aut Reformata, ſed veriùs Deformatrix & Deformata, tollit hanc *formam modumque* in Epiſtola Catholica Beati Jacobi Apoſtoli, capite quinto expreſſiſſimum: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum; ungentes oleo in nomine Domini: & Oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Secundò, Juſtificationis modum in eadem Epiſtola, eidem Apoſtolo divinitus revelatum & ab eo propoſitum, videlicet *ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm*, aufert prætenta Reformatrix: & contra Apoſtolum *ad ſolam Fidem* (eamque Calvinianam aut Reformatam) contrahit ac reſtringit.

Tertiò, Optimam Monarchiæ formam ſub uno viſibili, ſubalterno ac Vicario in terris Capite (quod Chriſtus Dominus toti quâ latiſſimè patet, præfecit Eccleſiæ, dicendo PASCE OVES MEAS) ſubruit prætenta *Reformatrix*: totamque penitùs Hierarchiam ſubvertit; ut novam quamdam inducat Anarchiam, Corpuſque Acephalum compingat cum Pſeudo-Paſtoribus ac Miniſtris, *eandem authoritatem, & æqualem poteſtatem, ubicumque locorum inter ſeſe habentibus.*

Denique Auguſtiſſimam Sacrificii formam, Ordines Sacros, Altaria, Officia divina, Ritus, ſolennitates, & ejuſcemodi

cemodi piiſſimas obſervationes reſecat prætenta REFORMATRIX ſpecie quidem reformandi; ſed reverà ut quæ antea optimè, pulcherrimè, antiquiſſimè conſtituta & formata fuerant, deſtituat, deformet & deſtruat.

CAPVT III.

Contra prætentam Calvinianorum Eccleſiam.

IN Catechiſmo Genevenſi ſeu Reformato, per anni Dominicas ſecundùm diverſas partes diſtributo, Dominicâ decimâ quintâ ſic habetur: *Fructus qui procedit ex morte* JESU *Chriſti eſt Eccleſia. Non ſunt plures Eccleſiæ, ſed unica per totum orbem diffuſa. Eccleſia Catholica eſt Societas Fidelium, quos Deus ordinavit & elegit ad vitam æternam.*

Dominicâ decimâ ſextâ ſic docetur: *Nemo peccatorum ſuorum remiſſionem obtinet, niſi primò fuerit incorporatus populo Dei, & perſeveret in unitate & communione cum Corpore Chriſti; adeoque ſit verum Eccleſiæ membrum. Itaque extra Eccleſiam nihil eſt aliud quàm mors & damnatio: Nam qui ſemetipſos à communitate Fidelium præcidunt, ut ſeorſim conventicula faciant; nullam debent ſperare ſalutem quamdiù manent in diviſione.*

In ejuſdem Catechiſmi Præfatione ad Lectorem, diſertis expreſſiſque verbis ita aſſeritur. *Diabolus diſſipando Eccleſiam, edidit horrendam ſtragem. Deſtruxit Sanctam politiam. Eccleſia fuit ex toto* ſeu penitùs *corrupta.*

Prætentæ Fidei Confeſſionis articulo trigeſimo primo: *Oportuit* (inquiunt novi Reformatores) *ut Deus quandoque, imò noſtro tempore quo Status Eccleſiæ interruptus erat, aliquos extraordinario modo ſuſcitaret, ad erigendam* DE NOVO *Eccleſiam, quæ erat in ruina & deſolatione.* Gallicè *pour dreſſer l'Egliſe de nouveau.*

Hi ſunt Canones Reformati, ex quibus has poſſumus conficere Ratiocinationes.

Prima Ratiocinatio.

Nulla Eccleſia de novo erecta, eſt vera Chriſti Eccleſia.

Omnis prætenta Reformata eſt Eccleſia de novo erecta ;

Nulla ergo prætenta Reformata, eſt vera Chriſti Eccleſia.

Minorem non ſolummodò admittunt Calviniſtæ; verùm etiam inter Fidei ſuæ Dogmata reponunt, & omnibus proponunt.

Probatur itaque *Major.*

Omnis vera Chriſti Eccleſia, eſt ab eodem ipſomet Chriſto Domino inſtituta, fundata, per ſæculorum decurſus propagata, ac ſucceſſionibus perpetuis & non interruptis ad nos uſque continuata.

Sed nulla Eccleſia de novo erecta, eſt à Chriſto Domino inſtituta, fundata, per ſæculorum decurſus propagata, ac ſucceſſionibus perpetuis & non interruptis ad nos uſque continuata.

Nulla ergo Eccleſia de novo erecta, eſt vera Chriſti Eccleſia.

Confirmatur hoc Dilemmate,

Vel perierat vera Chriſti Eccleſia tempore Proto-Reformatorum, vel non perierat.

Si perierat, ita ut de NOVO fuerit erigenda (quemadmodùm ultrò concedunt & aſſerunt Adverſarii) illa ergo nova & noviſſimè à noviſſimis Structoribus erecta conſtructaque Eccleſia, non eſt antiqua & vera Chriſti Eccleſia, quam periiſſe volunt contenduntque Novatores.

Si non perierat, Cur NOVAM erexerunt? Cur Conventicula ſeorſim fecerunt? Cur ab Unitate & Communione illius Eccleſiæ quæ non perierat, ſacrilego Schiſmate defecerunt, & ſemetipſos præciderunt? Certè ex

propria

propria Confeſſione *nullam debent ſperare ſalutem in illa diviſione. Nullam peccatorum remiſſionem poſſunt obtinere. Nihil aliud eos quàm mors & damnatio manet*, juxta Canones quos ipſimet ſtatuerunt.

Addo ex iiſdem Canonibus, *non eſſe plures Eccleſias*, *ſed Unicam per totum orbem diffuſam*, quæ eſt vera Chriſti Eccleſia.

Prætenta autem Reformata Calviniana, non eſt *Unica* illa *per totum Orbem diffuſa*; utpotè ante Calvinum mundo ignota, & etiamnum ad aliquot terræ angulos contracta, & in ſe variè diviſa:

Prætenta ergo Reformata Calviniana, non eſt vera Chriſti Eccleſia.

Secunda Ratiocinatio.

Omnis vera Chriſti Eccleſia poteſt viſibiliter cerni, diſcernique ab alia quacumque.

Nulla prætenta Reformata (ex ipſius principio ac definitione) poteſt viſibiliter cerni, diſcernique ab alia quacumque:

Nulla ergo prætenta Reformata eſt vera Chriſti Eccleſia.

Major conſtat apertiſſimè ex illo Chriſti Domini: Dic Ecclesiæ, *ſi autem* Ecclesiam non audierit, *ſit tibi ſicut* Ethnicus *& Publicanus.* Matt. 18. Quid ergò hîc jubet Chriſtus Dominus, ſupremus Paſtor ſummumque Eccleſiæ Caput? An ut *ſi peccarit in nos Frater noſter Chriſtianus, & neque nos neque duos aut tres teſtes audierit*, tunc *dicamus Eccleſiæ*, quæ neque viſibiliter cerni, nec omninò diſcerni poſſit à quacumque alia? Quid hoc mandati eſſet? quid præcepti, quod nec uſquam nec ullibi poſſet adimpleri?

Prima Ratiocinatio.

Nulla Eccleſia de novo erecta, eſt vera Chriſti Eccleſia.

Omnis prætenta Reformata eſt Eccleſia de novo erecta;

Nulla ergo prætenta Reformata, eſt vera Chriſti Eccleſia.

Minorem non ſolummodò admittunt Calviniſtæ; verùm etiam inter Fidei ſuæ Dogmata reponunt, & omnibus proponunt.

Probatur itaque *Major.*

Omnis vera Chriſti Eccleſia, eſt ab eodem ipſomet Chriſto Domino inſtituta, fundata, per ſæculorum decurſus propagata, ac ſucceſſionibus perpetuis & non interruptis ad nos uſque continuata.

Sed nulla Eccleſia de novo erecta, eſt à Chriſto Domino inſtituta, fundata, per ſæculorum decurſus propagata, ac ſucceſſionibus perpetuis & non interruptis ad nos uſque continuata.

Nulla ergo Eccleſia de novo erecta, eſt vera Chriſti Eccleſia.

Confirmatur hoc Dilemmate,

Vel perierat vera Chriſti Eccleſia tempore Proto-Reformatorum, vel non perierat.

Si perierat, ita ut de NOVO fuerit erigenda (quemadmodùm ultrò concedunt & aſſerunt Adverſarii) illa ergo nova & noviſſimè à noviſſimis Structoribus erecta conſtructaque Eccleſia, non eſt antiqua & vera Chriſti Eccleſia, quam periiſſe volunt contenduntque Novatores.

Si non perierat, Cur NOVAM erexerunt? Cur Conventicula ſeorſim fecerunt? Cur ab Unitate & Communione illius Eccleſiæ quæ non perierat, ſacrilego Schiſmate defecerunt, & ſemetipſos præciderunt? Certè ex

propria

propria Confeſſione *nullam debent ſperare ſalutem in illa diviſione. Nullam peccatorum remiſsionem poſſunt obtinere. Nihil aliud eos quàm mors & damnatio manet*, juxta Canones quos ipſimet ſtatuerunt.

Addo ex iiſdem Canonibus, *non eſſe plures Eccleſias*, *ſed Vnicam per totum orbem diffuſam*, quæ eſt vera Chriſti Eccleſia.

Prætenta autem Reformata Calviniana, non eſt *Vnica* illa *per totum Orbem diffuſa*; utpotè ante Calvinum mundo ignota, & etiamnum ad aliquot terræ angulos contracta, & in ſe variè diviſa:

Prætenta ergo Reformata Calviniana, non eſt vera Chriſti Eccleſia.

Secunda Ratiocinatio.

Omnis vera Chriſti Eccleſia poteſt viſibiliter cerni, diſcernique ab alia quacumque.

Nulla prætenta Reformata (ex ipſius principio ac definitione) poteſt viſibiliter cerni, diſcernique ab alia quacumque:

Nulla ergo prætenta Reformata eſt vera Chriſti Eccleſia.

Major conſtat apertiſſimè ex illo Chriſti Domini: Dic Ecclesiæ, *ſi autem* Ecclesiam non audierit, *ſit tibi ſicut* Ethnicus *& Publicanus*. Quid ergò hìc jubet Chriſtus Dominus, ſupremus Paſtor ſummumque Eccleſiæ Caput? An ut *ſi peccarit in nos Frater noſter Chriſtianus, & neque nos neque duos aut tres teſtes audierit*, tunc *dicamus Eccleſiæ*, quæ neque viſibiliter cerni, nec omninò diſcerni poſſit à quacumque alia? Quid hoc mandati eſſet? quid præcepti, quod nec uſquam nec ullibi poſſet adimpleri? Matt. 18.

Deinde velint nolint Adverſarii noſtri, neceſſariò fateri debent, vel *Chriſti Domini Eccleſiam viſibiliter cerni*, *diſcerniqúe ab alia quacumque poſſe*; vel inter Batavos, Cattos, Genevenſes, Rupellanos, Britannos, & pauculos alios Calvinianos, prætentam Reformatam (quam tamen veram eſſe Chriſti Domini Eccleſiam falſiſſimè fallaciſſimèque præſumunt & jactitant) non poſſe *viſibiliter cerni*, *& ab alia quacumque diſcerni vel ſecerni*. Adeoque Calvini Miniſtris, qui ſeſe pro Paſtoribus legitimis ingerunt & intrudunt, conſtare non poſſe de pecoribus paſcendis; nec pecoribus de Paſtoribus paſcentibus.

Quod ad *minorem propoſitionem* attinet, nimirùm *prætentam Reformatam* (ex ipſius principio ac definitione) *non poſſe viſibiliter cerni diſcerniq; ab alia quacumque*, *manifeſtiſſimè* patet ex illo eodem principio ac definitione. Sic enim *Eccleſiam* vel definiunt vel deſcribunt: Est Societas Fidelium, quos Deus ordinavit et elegit ad Vitam æternam. Quis autem hanc longè fœliciſſimam Societatem noſcit? Quis eam in hoc mundo viſibiliter cernere, diſcernere, ſecernere à Reprobata Societate poteſt? Quis ordinem, ſeriem, numerum *Ordinatorum & electorum ad vitam æternam* intuetur? Cuinam diviniſſimus ille & ſecretiſſimus vitæ liber, revelatur, aperitur & legendus porrigitur?

Quis tamen ambigat vel abnuat hæc omninò neceſſaria eſſe, ut quis dignoſcat *Societatem Fidelium*, *quos Deus ordinavit & elegit ad vitam æternam*, id eſt ex falſo principio ac definitione Pſeudo-Doctorum Calvinianorum, ut Eccleſiam Chriſti cernat, diſcernat, ſecernat ab alia quacumque?

Deinde, quum inter ſupra recenſitos Canones Reformatos, hunc ſtatuant, videlicet, *à nemine obtineri poſſe peccatorum remiſſionem*, *niſi primò incorporatus fuerit populo Dei*, *& in unitate ac communione cum Corpore Chriſti perſeveret*; *adeoque ſit verum Eccleſiæ membrum*: quæro quiſnam Calvinum illiúſve complices *populo Dei incorporarit*? Huc iterùm redit Dilemma.

Vel tunc perierat Eccleſia, vel non perierat.

Si perierat, nemo potuit Calvinum, Farellum, Viretum, & Bezam, *populo Dei incorporare.*

Si non perierat, Cur Ecclesiam de Novo crexerunt? Cur non potiùs Eccleſiæ quæ non perierat, & cujus operâ *populo Dei erant incorporati*, fideliter firmitérque adhæſerunt?

Certiſſimum eſt (moraliter ſaltem) Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Muncerum, & alios à Pontificiis fuiſſe baptizatos, *& populo Dei incorporatos.* Sed juxta Calvinianorum placitá, eo tempore quo Sacramento baptiſmi initiabantur, *pura Dei veritas à Papatu exulabat: Sacramenta erant corrupta, adulterata, falſificata, aut ex toto annihilata, omneſque ſuperſtitiones & idololatriæ in eodem Papatu graſſabantur.* Confeſſ. Fidei Reform. art. 28.

Deinde ex recentioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ Reformatæ Capite undecimo, articulo primo, *Baptiſmus collatus ab eo, qui nullam habet vocationem eſt omninò nullus.* Et ex Capite decimo quarto, articulo octavo: *Neque Epiſcopi, neque Officiati, neque Archidiaconi, quales modò ſunt, ullam de jure habent aut civilem aut Eccleſiaſticam* juriſdictionem. Gallicè EST NVL DE TOVT.

Denique ex ejuſdem decimi quarti capitis articulo duodecimo, *Romanæ Eccleſiæ Antiſtites ſemetipſos ingeſſerunt abſque ulla vocatione legitima.* Hæc prætenti Diſciplinati Reformati. Unde exurgit ex propriis illorum principiis.

Tertia Ratiocinatio.

Nulli baptizati ab iis qui carebant vocatione legitimâ, fuerunt verè baptizati.

Omnes prætenti Reformatores fuerunt baptizati ab iis, qui carebant vocatione legitima.

Nulli ergo prætenti Reformatores fuerunt verè baptizati.

Major patet, quia ex Calvinianorum ſententia, *Baptiſmus*

mus collatus ab eo qui nullam habet vocationem, eſt omninò nullus.

Minor etiam conſtat ex eorumdem Calvinianorum aſſertione, qua *Epiſcopis* aliiſque juriſdictionem detrahunt, & *Romanæ Eccleſiæ Antiſtites ſemetipſos ingeſſiſſe abſque ulla vocatione legitima*, proclamant.

Ex his tandem conficitur, Proto-Reformatores (juxta propria illorum Dogmata Reformata) *non fuiſſe incorporatos ſeu aggregatos populo Dei, non fuiſſe vera Eccleſiæ membra*; adeoque nec fuiſſe Chriſtianos. Nullos etiam potuiſſe incorporari ſeu aggregari ab ipſis, qui quum non eſſent Chriſtiani, nullam legitimam vocationem habebant, quam tamen omninò neceſſariam eſſe volunt ad alios *populo Dei incorporandos* ſeu aggregandos aut inſerendos.

CAPUT IV.

Adversùs prætentæ Reformatæ principia.

IN Gallicana prætentæ Fidei Reformatæ Confeſſione, articulo quinto, hæc fundamentalia novæ Reformationis dogmata proponuntur: nimirùm *Verbum Dei* ſcriptum, *ſeu libris Canonicis comprehenſum eſſe* REGULAM *omnis veritatis: Complecti quicquid neceſſarium eſt ad cultum Dei, & ad ſalutem noſtram: non licere hominibus, imò nec Angelis ipſis quicquam ei addere, demere, aut immutare.*

Quum autem totius præmemoratæ Reformationis Machina hiſce cardinibus nitatur, volvatur & revolvatur, urgendi ſunt Sectarii Calviniſtæ; ut ante omnia Scripturas Canonicas, tanquam Teſtamenti Divini Tabulas ab omnibus ſuſpiciendas, audiendas, credendas; & à nemine niſi Sacrilego vel reſpuendas vel contemnendas proferant. Has Catholici omnes (quos illi Pontificios nuncupant) amplectimur & reveremur. His deferimus, adhæremus, credimus, noſtraque judicia ſubmittimus.

Digitized by Google

mus. Has ergo Sacratiſſimas Divi Teſtamenti Tabulas proferant, in quibus illud potiſſimùm attendi debet, Quid in eis voluerit Testator scribi. Neque enim audiendi ſunt Calviniſtæ, quum prætentæ Fidei ſuæ Confeſſionem ſeu profeſſionem ex Verbo Dei in illis Tabulis conſignato extractam, eique per omnia conformem eſſe venditant. Reverà ſi Notarius ſeu Tabellio quiſpiam, prætermiſſis Teſtatoris verbis, ea duntaxat exſcriberet quæ ipſe per conſequentiam ſeu illationem, vel per interpretationem propriam, ex teſtamento ſe colligere putaret, non eſſet ipſi fidendum aut credendum. Quantò minùs fides iis habenda eſt, qui quum pura Teſtantis verba præ ſe ferant, nihil aliud quàm dicta ſua, illationes ac interpretationes, annotationes & gloſſemata quædam interpolata afferunt?

Hoc rurſùs Dilemmate premi conſtringique poſſunt.

Vel in Verbo Dei ſcripto (neque enim ullum aliud ab Adverſariis admittitur quàm ſcriptum) legi poſſunt ea, quæ contra Fidem Romanam credunt & credenda proponunt: vel in eodem verbo legi non poſſunt.

Si legi poſſunt, Scripturæ Sacræ codices proferantur: libri, capita, verſiculi deſignentur; textus legantur aut legere ſcientibus oſtendantur: *Sed aliquid apertum, aliquid manifeſtum, aliquid quod interprete non indigeat, flagitamus* (aiebat Auguſtinus Donatiſtis) aliquid jure meritiſſimo poſtulamus, *cui nihil addatur, nihil dematur, & in quo nihil immutetur. Quid æſtuant? Quid perturbantur?* Quid tergiverſantur: *Non inveniunt*, & idcircò pro Verbis Dei veracibus, infallibilibus, irrefragabilibus, ſua verba mendacia, fallacia & Hæretica reponunt. Aug. de unit. Eccleſ. c. 24.

Si autem legi non poſſunt: cur tot infœliciſſimis & miſerrimis animabus fucum faciunt, & falſiſſimè imponunt, ſe nihil aliud præter purum expreſſumque Dei Verbum ipſis credendum apponere & proponere?

Addo fundamentale illud Calvinianæ Reformationis, præten-

prætentorumque Reformatorum principium (videlicet, *Verbo Dei Scripto contineri quicquid neceſſarium eſt ad Dei cultum & ad ſalutem noſtram*) retorqueri poſſe in ipſos, indeque convinci, nullum omnino contra Romanam Fidem creditum ab ipſis articulum, eſſe neceſſarium ad cultum Dei & ſalutem noſtram: ac deinde tam Reformatores quàm Reformatos Calvinianos, meros ac inexcuſabiles Schiſmaticos eſſe, qui propter articulos (ex ipſorum doctrina) non neceſſarios ad cultum Dei & ad ſalutem ſemetipſos à communione Romana præciderint. Quod ſic apertiſſimè demonſtro.

Omne Dogma neceſſarium ad Dei cultum & ad ſalutem, continetur in Scriptura Sacra.

Nullum Dogma à Calviniſtis creditum contra Fidem Romanam, continetur in Scriptura Sacra.

Nullum ergo Dogma à Calviniſtis creditum contra Fidem Romanam, eſt neceſſarium ad Dei cultum & ad ſalutem.

Major hujus Syllogiſmi eſt de Fide Calvinianâ.

Minor eſt ipſo facto notoria. Si enim continetur, legendum porrigant iis qui legere norunt: Sed hactenus non potuerunt, non valuerunt, non ſuffecerunt; neque unquam poterunt, unquam valebunt, unquam ſufficient.

Poſtremò, Quicumque ſemetipſos præciderunt & ſepararunt à Matre ſua, Romana Eccleſia, ob Dogmata non neceſſaria ad Dei cultum & ad ſalutem, ii ſunt meri & inexcuſabiles Schiſmatici.

Atqui Calviniſtæ ſemetipſos præciderunt & ſepararunt à Matre ſua, Romana Eccleſia, ob Dogmata non neceſſaria ad Dei cultum & ad ſalutem, prout ipſi ex ſuis principiis neceſſariò fateri coguntur.

Calviniſtæ ergo ſunt meri & inexcuſabiles Schiſmatici.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT V.

Contra prætentam Fidem Reformatam.

SUppono hæc pronuntiata divina, certiſſima, infallibilia: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere oportet accedentem ad Deum. Qui non credit, jam judicatus eſt. Qui non crediderit, condemnabitur*, & ejuſcemodi quæ Fidei neceſſitatem adſtruunt planèque convincunt. Heb. 11. Ioan. 3. Marc. 16

Suppono inſuper hanc eſſe veram Fidem quam deſcripſit Apoſtolus, *Eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Quæ prædicata eſt ubique, Domino cooperante ac ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*; & *annuntiatur in univerſo mundo; eſtque ex Auditu, Auditus autem per Verbum Chriſti.* His itaque ſuppoſitis, hanc pono Ratiocinationem. Heb. 11. Marc. 16 Rom. 1. & 10.

Prætenta Calvinianorum Fides Reformata non eſt illa ab Apoſtolo deſcripta, nec habet proprietates, aut conditiones ad eam requiſitas.

Non eſt ergo vera Fides.

Probatur aſſumptum per partes.

Primò, Fides eſt *ſubſtantia*, Græcè ὑπόστασις, & hoc nomen etiam ſignificat *ſubſiſtentiam*, non ſolùm paſſivam; ſed etiam activam quæ ſubſiſtere faciat. Unde Fides facit in intellectu ſubſiſtere *res quæ ſperantur*, id eſt, tam certas in animo haberi, ac ſi jam de facto exiſterent. Eſt etiam *argumentum*, Græcè ἔλεγχος, ſeu *convictio* aut *demonſtratio*, quia eſt lumen quo convincitur intellectus, ad ea firmiter credenda quæ non videt, nec capit naturaliter. Hinc ad Fidem requiritur *certitudo infallibilis* deſignata per hæc verba, *argumentum ſeu convictio non apparentium.* Et aliunde neceſſaria eſt *revelatio formalis*, quam exprimit idem Apoſtolus dum ait: *Fides eſt ex Auditu, Auditus autem* Chryſ. Theod. Theoph. OEcumen. Aug. lib. 13. Trin. c. 1.

per

per Verbum Chriſti. Quòd autem prætenta Fides Reformata careat tum *certitudine illa infallibili*, tum *revelatione formali*, ſic oſtendo.

Infallibilis certitudo Fidei divinæ oritur ex objecto formali ſeu motivo (ut loquuntur Theologi) quod eſt prima, infallibilis & incommutabilis Veritas in revelando, applicata intellectui noſtro & articulis credibilibus; ut eundem intellectum determinet ad articulos illos fide divinâ credendos.

Atqui prætenta Fides Calviniana Reformata, non habet hoc infallibile motivum, ſed tantummodò fallibilem quamdam connexionem unius propoſitionis cum alia. Quæ quidem connexio non ab ullis Conciliis authenticis, non ab ullis Sanctis Patribus ab antiquo; ſed noviſſimè à recentioribus Pſeudo-Reformatoribus obſervata, collecta, & ipſorum Sectariis propoſita, totam eorum Fidei analyſim terminat.

Non habet ergo Fides Calviniana *certitudinem illam infallibilem*, quæ ad veram Fidem requiritur.

Adeoque nec mirum eſt tantam inter Adverſarios noſtros eſſe Sectarum multiplicitatem, diſcrepantiam, diverſitatem, tot mutationes, diſſenſiones, contradictiones, oppoſitiones. Dum enim unus colligit aliquid ex Scripturis, alius aliud, hic pro ſuo intellectu, ille pro ſuo arbitratu, iſte pro ſua opinione : imò pro ſuis quiſque jam conceptis formatiſque præjudiciis, in affectatæ ſententiæ patrocinium Scripturas detorquet; hinc fit ut prodigioſa illa Sectarum multitudo & varietas enaſcatur, & in dies augeſcat.

Quòd etiam Calvinianâ Fides careat *revelatione formali*, ex ipſius principiis apertiſſimè convincitur. Nam juxta illa eadem principia, non datur alia credendorum revelatio, quàm in Scripturis & ex Scripturis.

Sed in Scripturis & ex Scripturis non revelantur Articuli, quos credit contra Fidem Eccleſiæ Romanæ, ut ſupra demonſtratum eſt.

Fides ergo Calviniana caret *revelatione formali*.

Digitized by Google

Secundò, Vera Fides eſt illa, *quæ prædicata eſt ubique, Domino cooperante ac ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, & annuntiatur in univerſo mundo.*

Sed Fides Calviniana *non fuit ubique prædicata, non fuit annuntiata in univerſo mundo;* quinimò nec innotuit mundo ante ſæculum decimum ſextum: nulli poſſunt deſignari Epiſcopi aut Paſtores aut Doctores Catholici, à quibus antea fuerit prædicata: nulli poſſunt aſſignari Populi, Gentes, Nationes, Regna, Ditiones, Provinciæ, Urbes, Oppida, Pagi, quibus annuntiata fuerit: nulla poſſunt proferri Miracula vel Signa, quibus fuerit unquam *à Domino confirmata:*

Non eſt igitur vera Fides.

Tertiò denique, Non eſt vera Fides, cujus Dogmata ſeu Articuli diſertè & expreſsè contradicunt Scripturæ Sacræ.

Fidei Calvinianæ Dogmata ſeu Articuli diſertè & expreſsè contradicunt Scripturæ Sacræ:

Fides ergo Calviniana non eſt vera Fides.

Major ex ſe manifeſta eſt.

Minor probatur.

Calvinianæ Fidei Dogma ſeu Articulus hic eſt: *Credimus nos fieri participes juſtitiæ per* SOLAM FIDEM: ejuſmodi autem Dogma ſeu Articulus diſertè & expreſsè contradicit Scripturæ Sacræ dicenti: *Ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm.* Nam *fieri participem juſtitiæ*, id eſt, JUSTIFICARI PER SOLAM FIDEM; & *non juſtificari ex Fide tantùm*, id eſt, *per ſolam Fidem*, ſunt contradictoria apertiſſima & manifeſtiſſima. Conf. Reform. art. 20. Epiſt. S. Iac. cap. 2.

Calvinianæ Fidei ſenſus, in Prologo Catechiſmi Genevenſis expreſſus, hic eſt: *Diabolus diſſipando Eccleſiam, edidit horrendam ſtragem.* Ejuſcemodi Dogma diſertè & expreſsè contradicit Chriſto Domino, ſeu ipſius Evangelicæ Doctrinæ, prædicenti, aſſerenti, promittenti *Portas Inferi non prævalituras adverſùs Eccleſiam.* Quónam ergo pacto

pacto hæ duæ propoſitiones & aſſertiones tam diverſæ, tam adverſæ, tam oppoſitæ conciliabuntur: *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus Eccleſiam*; & *Diabolus diſſipando Eccleſiam, edidit horrendam ſtragem*? Annè fortaſſis aliud eſt, *Portas Inferi prævaluiſſe adverſùs Eccleſiam*, quàm *Diabolum diſſipando Eccleſiam, ediddiſſe horrendam ſtragem*? Judicet æquus Lector, vel tenuis ac mediocris ingenii, aut tantillæ capacitatis.

CAPVT VI.

Contra prætentæ Eccleſiæ Reformatæ Sacramenta.

IN Catechiſmo Genevenſi, Dominicâ quadrageſimâ ſextâ, ſic definitur ſeu deſcribitur novæ Legis Sacramentum: Eſt *externum gratiæ Dei teſtimonium, quod per viſibile ſignum repræſentat nobis res ſpirituales, ut in cordibus noſtris fortiùs imprimantur promiſſa divina, indeq; certiores reddamur.*

Hæc definitio ſeu deſcriptio favet ANABAPTISMO, eique januam planè aperit. Quod hiſce rationibus evinco.

Baptiſmus nec eſt, nec dicitur SACRAMENTUM comparatè ad miniſtrantem ſeu baptizantem, neque etiam comparatè ad eos qui præſentes adſunt, dum quiſpiam baptiſmo initiatur: ſed eſt & dicitur Sacramentum merè paſſivè reſpectu illius cui baptiſmus confertur. Sive (ut prætentorum Reformatorum verbis loquar) Baptiſmus eſt ipſi baptizato externum gratiæ Dei teſtimonium, quod per viſibile ſignum repræſentat ei res ſpirituales; ut in illius corde fortiùs imprimantur promiſſa divina, indeque certior reddatur. Adeoque parvuli (quos tamen baptizant Miniſtri Calviniani) nullo modo ſunt capaces baptiſmi, juxta definitionem ſeu deſcriptionem ſupra poſitam; Non enim poſſunt ipſis per viſibile ſignum repræſentari res ſpirituales, ut in eorum cordibus fortiùs imprimantur

primantur promiſſa divina & inde certiores reddantur; quandoquidem ejuſcemodi *repræſentatio fortiorq; impreſſio*, & major aſſecuratio neceſſariò ſupponant rationis uſum, qui tamen deeſt parvulis. Unde defectus ille reddit eos incapaces ſuſcipiendi baptiſmi, donec eam attigerint ætatem, in qua poſſint iis repræſentari res ſpirituales, & fortiùs imprimi promiſſa divina; ut inde certiores reddantur.

Addo ſupramemoratam definitionem ſeu deſcriptionem apertiſſimè favere impio ſacrilegoque rebaptizantium, ſeu baptiſmum reïterantium errori. Si enim Baptiſmus repræſentat res ſpirituales, ut in cordibus fortiùs imprimantur promiſſa divina, & inde reddamur certiores; quantò frequentiùs repetetur baptiſmus, tantò magis repræſentabuntur res ſpirituales, tantò fortiùs in corde imprimentur promiſſa divina, tantò certior quis inde reddetur.

Articulo trigeſimo quarto Confeſſionis Pſeudo-Fidei Reformatæ, verbatim ſic habetur: *Credimus Sacramenta eſſe addita Verbo Dei ad ampliorem ſeu majorem confirmationem.* Hinc poſſumus ita ratiocinari.

Quicquid alteri additur ad ampliorem ſeu majorem confirmationem, debet eſſe illo (cui additur) notius, certius & expreſſius; aut ſaltem æquè notum, certum & expreſſum.

Sacramentum additur Verbo Dei ad ampliorem ſeu majorem confirmationem.

Sacramentum igitur debet eſſe Verbo Dei (cui additur) notius, certius & expreſſius; aut ſaltem æquè notum, certum & expreſſum.

Major patet ex terminis. Si enim ignotius, incertius minùſque expreſſum foret, quónam pacto fieret ut ampliùs ſeu magis confirmaret? neceſſe eſt igitur ut notius ſit ac certius & expreſſius: vel (ad minus) æquè notum, certum & expreſſum. Quemadmodùm (verbi gratiâ) juramentum promiſſioni additum, ampliùs ſeu magis illam confirmat.

Minor non ſolummodò ab Adverſariis admittitur; verùm etiam diſertis verbis docetur. Jam quæro ab ipſis, quo ſenſu probent novæ Legis Sacramentum per Verbum Dei ſcriptum: non enim aliud Dei Verbum agnoſcunt quàm ſcriptum? Si per Dei Verbum ignotius, incertius minuſque expreſſum, nihil probant. Si autem per Verbum Dei æquè notum, certum & expreſſum, tunc idem per idem probant; adeoque vel principium petunt, vel circulum committunt.

CAPVT VII.

Contra defectum Paſtorum (in prætenta Reformata) & legitimæ eorum Vocationis.

CAtechiſmus Genevenſis Dominicâ quadrageſimâ quintâ ſic habet: *Neceſſarium eſt ut ſint Paſtores & audiantur, ſuſcipiendò in humilitate doctrinam Domini per os ipſorum: ita ut quiſquis eos ſpreverit & audire recuſaverit, ipſummet Chriſtum IESVM abjiciat, & ſeſe à Fidelium Societate ſeparet.*

Prætenta Fidei Confeſſio, articulo vigeſimo nono, ita profitetur: *Quod ad veram Eccleſiam attinet, credimus eam regi debere juxta politiam à Domino noſtro IESV Chriſto conſtitutam. Hoc eſt, ut ſint Paſtores, &c.* In articulo autem trigeſimo primo dicitur: *Credimus neminem ſeſe propriâ authoritate ingerere debere, ad regendam Eccleſiam.*

His ſuppoſitis, ejuſmodi formo Argumentum.

Quicumque non intrat per oſtium in Ovile Ovium, ſed aſcendit aliundè, ille fur eſt & latro.

Quilibet prætentus Miniſter Reformator aut Reformatus non intrat per oſtium in Ovile Ovium, ſed aſcendit aliundè.

Quilibet

Quilibet ergo prætentus Miniſter Reformator aut Reformatus, fur eſt & latro: juxta abſolutiſſimam & veriſſimam Supremi Paſtoris ſententiam.

Major eſt expreſſiſſima in Evangelio, Joannis capite decimo, verſu primo.

Probatur *Minor.*

Qui intrat per oſtium (ſubdit ibidem Chriſtus Dominus) *Paſtor eſt Ovium: huic Oſtiarius aperit. Ego ſum Oſtium: per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. Ego ſum Paſtor bonus.*

Hiſce verbis apertiſſimè oſtendit Chriſtus Dominus planè neceſſarium eſſe *ad ingreſſum in Ovile Ovium*, ut ingreſſuro *aperiatur oſtium*, & per *oſtium introeat.* Hoc eſt, ut admittatur, recipiatur, introducatur per ipſummet *Summum Oſtiarium & Oſtium*, Chriſtum Jesum, *Paſtorem & Epiſcopum animarum*, vel per eos *quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Act. cap. 20.

Reverà ipſemet Chriſtus admiſit, recepit, introduxit Apoſtolos & Diſcipulos ſuos. Hi verò aliis *aperuerunt ut introirent, & ſalvarentur & paſcua invenirent. Alioqui fruſtra* Matth. *datæ fuiſſent Claves Regni Cælorum ſi nemini* oſtium aperire 16. poſſent ad introeundum & ad paſcua invenienda. Idem hactenus præſtiterunt Apoſtolorum & Diſcipulorum in officio Succeſſores. Unde præclariſſimè Auguſtinus in Pſalmum quadrageſimum quartum, loquens de Eccleſia: *Afferentur Regi Virgines poſt eam* (inquit) *Verè ita factum eſt. Credidit Eccleſia per omnes gentes.* Proximæ ejus offerentur tibi, *id eſt, ad eam pertinentes.* Adducentur in Templum Regis. *Templum Regis, ipſa Eccleſia: intrat in Templum ipſa Eccleſia. Unde conſtruitur Templum? De hominibus qui intrant in Templum.* Adducentur in Templum Regis: *ſunt enim Virgines extra* Templum Regis, *Hæretica Sanctimoniales. Sunt quidem Virgines, ſed quid proderit eis niſi adducantur* in Templum Regis? Templum Regis *in unitate eſt.*

Templum Regis *non eſt ruinoſum, non diſciſſum, non diviſum. Junctura lapidum viventium, charitas eſt.* Adducentur in Templum Regis. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii. *Nihil evidentius. Attendite jam ipſum* Templum Regis, *inde loquimur, propter unitatem diffuſam toto orbe terrarum; quia illæ quæ Virgines eſſe voluerunt, niſi* adducantur in Templum Regis, *Sponſo placere non poſſunt.*

Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii. *Genuerunt te Apoſtoli, ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicaverunt, ipſi Patres. Sed nunquid nobiſcum corporaliter ſemper eſſe potuerunt? Et ſi unus illorum dixit:* cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multò magis melius; permanere autem in carne neceſſarium propter vos. *Dixit hoc quidem, ſed quamdiu hîc manere potuit? Nunquid uſque ad hoc tempus? Nunquid uſque in poſterum? Ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? Abſit.* Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii. *Quid eſt* pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii? *Patres miſſi ſunt Apoſtoli: pro Apoſtolis Filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putes deſertam* (ô Ecclesia) *quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es; de prole tua tibi crevit paternitas.*

Phil. cap. 1.

Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. *Vide* Templum Regis *quàm latè diffuſum eſt, ut noverint Virgines quæ non adducuntur in* Templum Regis, non *ſe ad iſtas nuptias pertinere.* Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. *Hæc eſt Catholica Eccleſia. Filii ejus conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram; Filii ejus conſtituti ſunt pro Patribus. Agnoſcant qui præciſi ſunt, veniant ad unitatem, adducantur in* Templum Regis. Templum ſuum *Deus ubique collocavit.* Fundamenta Prophetarum & Apoſtolorum *ubique firmavit. Filios genuit Eccleſia*, conſtituit eos pro Patribus ſuis principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione

&

Digitized by Google

& generatione: propterea populi confitebuntur tibi. *Quid ergo prodeſt confiteri, & extra Templum confiteri? Quid prodeſt precari, & in monte non precari?* Voce meâ (inquit) ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte Sancto ſuo. *De quo monte? De quo dictum eſt*, non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita. *De quo monte? Quem vidit Daniel* ex parvo lapide creviſſe & fregiſſe omnia regna terrarum, & impleviſſe omnem faciem terræ. *Ibi adoret qui vult accipere. Ibi petat qui vult exaudiri. Ibi confiteatur qui vult ſibi ignoſci.* Hæc Auguſtinus. Pſal. 3. Matt. 5. Dan. 2.

Sub illa paulò prolixiori, neceſſaria tamen aſſumptione ſic ſubſumo.

Prætenti Miniſtri Calviniani Reformatores aut Reformati, non fuerunt admiſſi, nec recepti, nec introducti à Chriſto Domino, *Summo Oſtiario & Oſtio, Paſtore & Epiſcopo animarum*: neque etiam ab iis quos ipſemet introduxerat *in Ovile Ovium*, & quibus poteſtatem dederat alios introducendi, ſeu quibus *Claves Regni Cælorum* commiſerat, ut aliis *oſtium aperirent, ad introeundum & ad paſcua invenienda*.

Prætenti ergò Miniſtri Calviniani Reformatores aut Reformati, *non intrarunt per oſtium ad Ovile Ovium; ſed aliundè aſcenderunt; adeoque fures ſunt & latrones.*

Hujuſce ſubſumptionis antecedens probo. Nullus Epiſcopus vocavit *Calvinum* ad *Paſtoratum Genevenſem*, nullus Ordinavit aut Inſtituit, nullus Impoſuit ei manus, nullus Miſit. Et idem prorſus eſt de quibuſcumque aliis prætentis Paſtoribus vel Miniſtris Reformatoribus aut Reformatis. Non ergo *per oſtium ad Ovile Ovium; ſed aliundè aſcenderunt*, & ſic *fures ſunt & latrones*, ex apertiſſimo Verbi Dei textu, de quo tantoperè gloriantur Adverſarii noſtri; ſed inaniſſimo fallaciſſimoque prætextu.

Quòd autem *Vocatio, Ordinatio ſeu Inſtitutio, Manuum Impoſitio & Miſſio* neceſſariæ ſint ad regendas paſcendaſque Eccleſias, ſeu ad legitimum Paſtoratum ſuſcipiendum, excercendum & adminiſtrandum, manifeſtiſſimè

Digitized by Google

Heb. 5. ex Scripturis Sacris ediſcimus. *Nemo ſibi ſumit honorem,*
Luc. 9. *ſed qui à* DEO VOCATUR *tanquam Aaron. Miſit illos prædi-*
& 10. *care Regnum Dei. Ite ecce ego mitto vos. Quomodò prædica-*
2. Tim. 1. *bunt niſi* MITTANTUR*? Admoneo te ut reſuſcites gratiam*
Dei, quæ eſt in te per IMPOSITIONEM MANUUM MEARUM.
1. Tim. 5. *Nemini citò* MANUS IMPOSUERIS. *Reliqui te Cretæ, ut* CON-
Tit. 1. STITUAS *per Civitates Præsbyteros. Paulus & Barnabas conſti-*
Act. 14. *tuerunt per ſingulas Eccleſias Præsbyteros.*

Addo neminem poſteriorum Miniſtrorum Calvinianorum ab alio anteriore vel Vocari, vel Ordinari, vel Inſtitui, vel Mitti potuiſſe; quandoquidem ex articulo trigeſimo Profeſſionis Fidei Reformatæ, *Omnes Paſtores ubicumque fuerint, eandem autheritatem & æqualem inter ſe poteſtatem habeant.*

Denique hoc *Dilemmate* coarctari poſſunt Miniſtri Reformatores aut Reformati.

Vel eorum Vocatio, Ordinatio ſeu Inſtitutio, Manuum Impoſitio & Miſſio ORDINARIA fuit: vel EXTRA-ORDINARIA.

NON ORDINARIA; quia tempore inchoatæ Reformationis, *Status Eccleſiæ erat interruptus* (juxta Reformatæ Confeſſionis articulum trigeſimum primum) *Eccleſia erat in ruina & deſolatione:* adeóque in illo *Statu Eccleſiæ interrupto* (uti prætendunt Adverſarii) nullus erat Ordo, nulla Succeſſio, nulla Dignitas, nulla Poteſtas, nulla Juriſdictio, nulli Paſtores, adeóque nulla Eccleſia: Nam prætenti Reformatores articulo vigeſimo quinto Confeſſionis Fidei Reformatæ profitentur, *Eccleſiæ ordinem debere eſſe ſacrum & inviolabilem, & idcircò Eccleſiam non poſſe conſiſtere, niſi ſint Paſtores, qui docendi munus habeant.* Denique ut rem paucis complectar, fatentur Adverſarii Proto-Reformatores, & ultrò concedunt *ſe* EXTRAORDINARIO MODO *ſuſcitatos eſſe, ad erigendam ſeu conſtruendam* DE NOVO *Eccleſiam.* Ex propria igitur eorum confeſſione, non competit ipſis *Vocatio, Ordinatio, Inſtitutio, Manuum Impoſitio & Miſſio* ORDINARIA.

Digitized by Google

Neque etiam EXTRAORDINARIA (quantumcumque illam jactitent & venditent) nam quotieſcumque Deus aliquos extraordinariè Miſit; Signis & Miraculis Miſſionem illam extraordinariam ſemper confirmavit, & à ſe profectam eſſe teſtatus eſt. Sic Moyſi dum extraordinariè Mitteretur, dictum fuit à Domino (inter alia) *Virgam hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* Sic etiam Apoſtoli Miſſi & profecti *prædicaverunt ubique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et alibi eorumdem Apoſtolorum Miſſio dicitur *conteſtata à Deo ſignis, & potentiis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus.* Denique Chriſtus Dominus de ſemetipſo ait, *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum* (utique incredulitatis & infidelitatis) *non haberent.* Et alibi, *propter opera ipſa credite.* Sed ubinam Lutheri, aut Zuinglii, aut Calvini, aut Munceri Miracula? Nuſquam paruerunt: ne vel unum quidem, aut tantillum ullibi exhibitum deſignari poteſt. Ut proinde de ipſis dicere liceat, quod olim Tertullianus de temporis ſui Hæreticis aiebat: *Probent ſe novos Apoſtolos. Dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, & dediſſe eis virtutem eadem ſigna edendi. Volo virtutes eorum proferri: niſi quod agnoſco maximam virtutem, quâ Apoſtolos in perverſum imitantur; illi enim de mortuis ſuſcitabant vivos, iſti de vivis faciunt mortuos.*

Exod. 4. Marc. 16. Heb. 2. Ioan. 15. Tertull. de Preſcript.

CAPUT VIII.

Adverſus impium errorem Calviniſtarum circa Obſervantiam Mandatorum.

CAtechiſmus Genevenſis, Dominicâ trigeſimâ ſecundâ, ſic habet: *Deus ejuſmodi perfectionem exigit, quæ ſit ſupra noſtram facultatem.* Item Dominicâ trigeſimâ tertiâ, *Lex* DEI *plus exigit, quàm ſit poſſibile facere. Durante hac vitâ mortali nunquam adimplemus legem.* Rursùs eâdem Dominicâ

minicâ trigeſimâ ſecundâ : *Quicumque non perfecerint integrè contentum Legis, erunt maledicti.*

Suppoſitis hiſce Dogmatibus Reformatis, ſic formari poteſt Argumentum.

Quicumque nunquam adimplent Legem Dei, erunt maledicti.

Prætenti Reformati Calviniani nunquam adimplent Legem Dei.

Prætenti ergo Reformati Calviniani erunt maledicti.

Major & *Minor* patent ex propria Adverſariorum confeſſione. Conſequentia & concluſio ſunt ex ſe manifeſtæ.

Rursùs oppono Calvinianis hanc Ratiocinationem.

Quicumque aſſerũt ſummum Legiſlatorem, id eſt Deum, plùs exigere à ſuis ſubditis quàm ſit poſſibile facere, & quod ſit ſupra eorum facultatem; ii hoc ipſo ſaltem implicitè aſſerunt eundem Legiſlatorem eſſe immitem & injuſtum.

Prætenti Reformatores & Reformati Calviniani aſſerunt ſummum Legiſlatorem, id eſt Deum, plùs exigere à ſuis ſubditis quàm ſit poſſibile facere, & quod ſit ſupra eorum facultatem.

Prætenti ergo Reformatores & Reformati Calviniani, hoc ipſo ſaltem implicitè aſſerunt eundem Legiſlatorem eſſe immitem & injuſtum : & conſequenter de Deo impiè blaſphemèque ſentiunt.

Major eſt nota lumine naturali. Quis enim verè rectèque ſentiens, non judicet & dicat immitem & injuſtum eſſe Legiſlatorem, qui à ſubditis plus exigat quàm ſit poſſibile facere, & quod ſit ſupra eorumdem ſubditorum facultatem?

Imò verò nimiæ ſeveritatis accuſaretur Legiſlator, qui nimis difficilia & gravia imponeret, quantò magis, qui impoſſibilia, & quæ ſunt ſupra facultatem præciperet? Hinc

Digitized by Google

Hinc prævidens benigniſſimus Redemptor noſter temporibus futuris non defuturos, qui ejuſcemodi impietates ac blaſphemias effutirent, ſuos præinſtruere ac præmunire voluit, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum* Suave *eſt & onus meum* Leve. Matt. cap. 11.

Reverà ut prætermittam Sanctos & juſtos ſub antiquo Teſtamento, nimirùm Abel quem Chriſtus Dominus Justum pronuntiavit; Henoch *qui ambulavit cum* Deo: Noe' *qui invenit gratiam coram Domino*: Zachariam & Elizabeth *juſtos ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela*: Simeonem *juſtum, timoratum, qui expectabat conſolationem Iſraël, & Spiritus Sanctus erat in eo*: ut hos (inquam) & alios prætermittam; quis credat & dicat Apoſtolos & Diſcipulos, tot Martyres ſub Lege gratiæ, tot Epiſcopos, tot Confeſſores, tot Virgines, *durante hac vitâ mortali nunquam adimpleviſſe Legem; non integrè perfeciſſe contentum Legis*, adeoque *fore maledictos*? Quis hoc credat & dicat, niſi Calviniano Spiritu afflatus, inflatus, dementatus? Matt. 23. Geneſ. 5. & 6. Luc. 1. & 2.

CAPUT IX.

Adverſùs Calvinianum errorem de Peccatis internis.

PRæmemoratus Catechiſmus Genevenſis, Dominicâ trigeſimâ primâ, dum exponit Dogmaticè hoc Decalogi præceptum: *Non concupiſces Domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus; non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec univerſa quæ illius ſunt*: ſic pergit explicando, *Voluit Dominus per cætera præcepta ordinare affectus & voluntates noſtras: hîc autem vult etiam imponere legem cogitationibus noſtris, quæ concupiſcentiam aliquam deſideriumque important; non tamen ad deliberatam uſque voluntatem pertingunt.* Exod. 20.

tingunt. Certum eſt MINIMAM TENTATIONEM, *quæ homini fideli poſſit in mentem venire*, PECCATUM *eſſe*; *quantumvis reſiſtat & ei non conſentiat. Dico hoc præceptum* (NON CONCUPISCES) *loqui de concupiſcentiis, quibus prurit & pungitur cor hominis : eſto ad deliberatum propoſitum non perveniant. Sicut pravi affectus, qui certam & veluti reſolutam voluntatem important, hìc ſupra* (id eſt ſuperioribus Decalogi præceptis) *condemnati ſunt : ita nunc* (nimirùm per præceptum non concupiſcendi) *tantam exigit Dominus integritatem, ut nulla prava cupiditas ſubintret in corda noſtra, ad ea ſollicitanda movendaque ad malum.*

Ex his, ſequentem profero Syllogiſmum.

Quicumque ſtatuunt peccatum actuale in eo quod prorsùs involuntarium eſt, & nùllo modo in poteſtate noſtrâ ut caveatur; illi impingunt & peccant contra lumen rationis naturalis.

Prætenti Reformatores & Reformati Calviniani ſtatuunt peccatum actuale in eo quod prorsùs involuntarium eſt, & nullo modo in poteſtate noſtra, ut caveatur.

Prætenti igitur Reformatores & Reformati impingunt & peccant contra lumen rationis naturalis.

Probatur *Major*.

S. Aug. lib. de duab. animab. cap. 10.

Velim experiri (ait Auguſtinus) *quid mihi* Manichæi Hæretici *reſponderent roganti; utrùm is peccaſſe videretur, de cujus dormientis manu ſcripſiſſet alius aliquid flagitioſum? Tunc quærerem ſi non dormientis, ſed ſcientis manu (qui membris tamen cæteris vinctus atque conſtrictus eſſet) quiſquam valentior aliquid ſimiliter feciſſet mali? utrùm quia id noſſet, quamvis omninò noluiſſet, ullo peccati nomine teneretur? Quid ſi dormiens ille jam ſciret quid de manu ejus facturus eſſet : & de induſtria (ipſius potius etiam ne expergiſceretur) ſe ſomno dederet, ut ali-*

quem

quem jurando falleret, num ei quicquam ſomnus ad innocentiam ſuffragaretur? Quòd ſi & ille volens vinctus eſt, ut aliquem ſimiliter prætentâ defenſione deciperet, quid ei tandem ut peccato careat, illa vincula profuerunt? Quibus conceſſis, colligerem NUSQUAM SCILICET NISI IN VOLUNTATE ESSE PECCATUM. NON IGITUR NISI VOLUNTATE PECCATUR. *Nobis autem Voluntas noſtra notiſſima eſt: neque enim ſcirem me velle, ſi quid ſit Voluntas ipſa neſcirem. Definitur itaque iſto modo:* Voluntas eſt animi motus cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum vel adipiſcendum. *An erat difficile videre invitum volenti eſſe contrarium, ita ut contrarium ſiniſtrum dextro eſſe dicimus; non ut nigrum albo? Ita invitus & volens ſimul eſſe quidem unus animus poteſt, ſed unum atque idem ſimul velle & nolle non poteſt. Et hoc modo omnis qui volens facit non cogitur: & omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit. Hæc à puero ad ſenem, à ludo literario uſque ad ſolium Sapientis natura ipſa proclamat.*

Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi id quod juſtitia vetat & unde liberum eſt abſtinere. Quanquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntarium: Nonne iſta cantant & in Montibus Paſtores, & in Theatris Poëtæ, & indocti in Circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Ibid. c. 11

Quis peccat in eo quod caveri nullo modo poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt. Aug. de lib. arbit. l. 3. c. 18.

Hæc ad probandam Syllogiſmi ſuprapoſiti *Majorem* ſufficiunt.

Quod attinet ad *Minorem*, apertiſſimè patet: quia prætenti Reformatores & Reformati ſtatuunt peccatum actuale, *in minima tentatione quæ homini fideli poſſit in mentem venire; quantumvis reſiſtat & ei non conſentiat.* Item *in concupiſcentiis quibus prurit & pungitur cor hominis; eſto ad deliberatum propoſitum non pertingant.*

Quænam autem Theologia moralis hoc docet, niſi Reformata? Certè neque Catholica, neque Chriſtiana, neque Auguſtiniana id unquam tenuit: Nam juxta Sanctum

Sanctum Doctorem, nemo *habet in poteſtate* TALI VISO, vel tali *attingi mentem ſuam*: Nemo *habet in poteſtate ut hoc vel illud occurrat. Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod* VISUM. *Quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat, eſt in poteſtate: Sed quo* VISO *tangatur, nulla eſt poteſtas.* Si autem non eſt poteſtas ad illud, ergo nec voluntarium eſt, nec peccatum, quod ita *debet eſſe voluntarium, ut ſi voluntarium non ſit, peccatum non ſit; quoniam voluntas eſt cauſa peccati.*

Lib. ſeu Q. 2. ad Simp.

Lib. 3. de lib. arb. n. 25.

Deinde juxta rectam rationem (quæ nunquam Catholicæ veritati adverſatur) *minimæ tentationes, quæ homini fideli poſſunt in mentem venire, & quibus prurit & pungitur cor hominis* (ut Reformatorum verbis utar) non ſunt voluntatis actus ELICITI, ſed potentiæ imaginativæ & ei correſpondentis appetitus ſenſitivi.

Non ſunt etiam voluntatis actus IMPERATI, vel quibus voluntas conſentiat, condelectetur, moroſè complacenterque adhæreat, aut eos foveat, aut negligentiùs comprimat, reſecet, aut reſpuat: quia prætenti Reformatores & Reformati loquuntur *de minimis tentationibus, quibus reſiſtitur, & non conſentitur, & quæ ad deliberatum propoſitum non pertingunt*, adeoque non ſunt peccaminoſæ.

Denique quum *dato uno abſurdo ſequantur multa alia* (ut habet tritum Axioma Philoſophorum) nemini mirum videri debet, ſi prætenti Reformati, publicè diebus Dominicis, præeunte Miniſtro Calviniano fateantur, coram Sanctâ Dei Majeſtate, *abſque fictione ullâ, ſe ſine fine & ſine intermiſſione tranſgredi Sancta Dei mandata. Quod quidem faciendo, ruinam & perditionem juſto judicio divino ſe acquirere*, palam agnoſcunt. Hoc (inquam) nemini mirum eſſe debet, quandoquidem *minimæ illæ tentationes*, quas Reformati aſſerunt eſſe peccata, non ſint evitabiles; *quum non ſit in poteſtate, ut mens ab iis non attingatur, vel cor non pungatur*: adeoque *peccata ſint ipſis inevitabilia*; & per conſequens, *ſine fine & ſine intermiſſione tranſgrediantur Sancta Dei mandata.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT X.

Contra Verſiones Scripturæ Sacræ in linguas vernaculas.

S*Amuel Mareſius* non ita pridem *Miniſter* Calvinianus *Trajecti ad Moſam*, nunc verò *Grœningæ* Profeſſor prætentæ Theologiæ Reformatæ, edidit typis Bucherianis anno 1635. librum, cui titulus: *Candela ſub modio poſita.* Ubi diſertis verbis, expreſſiſque terminis hanc ſtatuit propoſitionem: *Nulli Verſioni ſupremam authoritatem deferimus, hunc honorem ſolis Originalibus reſervantes.*

Adversùs pronuntiatum illud Mareſianum, à nullo Sym-myſtarum ſeu Comminiſtrorum ejus improbatum aut reprobatum; ab eodem Mareſio nuſquam & nullibi retractatum vel revocatum: imò Apologeticè defenſum & propugnatum, hoc poteſt efformari *Argumentum.*

Omnis Scriptura Sacra habet authoritatem ſupremam.

Nulla Verſio habet authoritatem ſupremam.

Nulla igitur Verſio eſt Scriptura Sacra.

Major à nemine negari poteſt, niſi ab Ethnico, vel impio vel Atheo.

Minor eſt ejuſdem Mareſii, terminis expreſſis.

Hinc reſultat alia ratiocinatio.

Quicumque legunt Verſiones carentes ſeu deſtitutas authoritate ſupremâ, non legunt in illis Verſionibus Scripturam Sacram.

Prætenti Reformati pro maxima parte legunt Verſiones carentes, ſeu deſtitutas authoritate ſupremâ.

Prætenti ergo Reformati pro maxima parte non legunt in illis Verſionibus Scripturam Sacram.

Digitized by Google

Hoc ſecundum Argumentum ſequitur manifeſtè ac evidenter ex priori.

Tertium tandem elicitur hoc modo.

Quicumque ingerunt obtruduntque Sectatoribus ſuis VERSIONES carentes ſeu deſtitutas authoritate ſupremâ, ut eas legant & habeant pro Scripturis Sacris; ii decipiunt, ſeducunt, illudunt & imponunt præmemoratis Sectatoribus ſuis in re graviſſimi momenti.

Prætenti Reformatores & Miniſtri Calviniani ingerunt obtruduntque Sectatoribus ſuis VERSIONES carentes ſeu deſtitutas authoritate ſupremâ, ut eas legant & habeant pro Scripturis Sacris.

Prætenti ergo Reformatores & Miniſtri Calviniani decipiunt, ſeducunt, illudunt & imponunt præmemoratis Sectatoribus ſuis in re graviſſimi momenti.

Reflecte (*benevole Lector*) quotuſquiſque Sectatorum Calvini (qui ſe Reformatos nuncupant) Hebraïcum, Syriacum & Græcum calleat idioma? Quotuſquiſque legat vel capax ſit legendi & intelligendi Originalia, *quibus ſolis* Samuel Mareſius *defert & reſervat honorem authoritatis ſupremæ*. Galli omnes (demptis pauciſſimis) legunt Verſiones Genevenſes. Batavi volvunt Flandricas, Germani Germanicas, Britanni Britannicas. Credunt ſe in ejuſmodi *Verſionibus* legere, imò & intelligere VERBUM DEI. At audiant (ſi ſurdi non ſunt) *Doctorem Mareſium*, audiant & ipſius Collegas. *Nulli Verſioni* (inquiunt) adeoque nec Gallicæ, nec Flandricæ, nec Germanicæ, nec Britannicæ, nec ulli cuicumque *authoritatem ſupremam deferimus*. Non eſt igitur in illis Verſionibus *purum Dei Verbum*,

cui

cui procul-dubiò *deferenda eſt authoritas ſuprema*. Non legitur in iiſdem Verſionibus *purum Dei Verbum*. O decipere! ô ſeducere! ô imponere!

CAPVT XI.

Contra Spiritum Calvinianum.

NOlite omni Spiritui credere (ait Joannes Apoſtolus 1. Ioan. 4
quem diligebat JESUS) *ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſunt: quoniam multi Pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum.* OMNIS SPIRITUS QUI SOLVIT JESUM, EX DEO NON EST; ET HIC EST ANTI-CHRISTUS.

SOLVERE JESUM, non eſt *ſubjectivè* (ut ita dicam) ſeu in ſemetipſo illum *deſtruere*; hoc enim & Anti-Chriſto,& Anti-Chriſtianis; imò & omnibus vel Tyrannicis vel Tartareis poteſtatibus impoſſibile eſt,*eò quod Chriſtus manet in æternum*: *Sed ſolvere* JESUM ad ſenſum hujus loci, idem eſt, ac quaſi-compoſitum vel quaſi-complexum, aut conflatum, aut conſtitutum ex ſuppoſito Divino & humanâ naturâ (per hypoſtaticæ unionis vinculum) annexaſque inſeparabiliter proprietates & perfectiones, *objectivè* in credentium animis diſſolvere, ſeparare, tollere,& quodammodò deſtruere ac annihilare. Quod tunc fit, quando proponitur & prædicatur alius Chriſtus ab eo, quem propoſuit Scriptura Sacra,quem Apoſtoli Diſcipulique prædicarunt, & quem primitiva agnovit ac coluit Eccleſia. Heb. 7.

Ita JESUM SOLVERUNT Cerinthus, Ebion, Menander, Carpocrates, & quotquot *ejus Divinitatem negare attentarunt*: prout & *Michaël Servetus* ſuperiori ſæculo, omneſque Servetiani in Polonia, Hungaria, Tranſ-ſylvania, Auſtria, & alibi. Quanquam enim *pejorem Hæreſiarcham Servetum*, malus Hæreticus & Hæreſiarcha *Calvinus*, atrocibus flãmis vivum & blaſphemabundum addixerit(teſte Florimundo Remundo, Senatore Burdigalenſi) attamen illius

illius ejuſdem *Serveti* blaſphemi cineres, longè ultrà Lemanum Lacum delati, verſùs Otthomanici Imperii limites evolarunt; ut Turcis poſtmodùm irrupturis, & Chriſtianos aggreſſuris ac invaſuris infauſtiſſimam januam aperirent. *Arianiſmus* enim ſemper & ubique *Mahometiſmi* præcurſor fuit & janitor.

Ita etiam JESUM SOLVERUNT quicumque *ejus Humanitatem* (ut Simon Magus, Eutyches, Manichæus, Dioſcorus & alii) vel *Perſonæ Vnitatem* (ut Neſtorius) vel *gratiæ neceſſitatem* (ut Pelagius, Celeſtius, Julianus) *vel quodcumque aliud attributum* (prout cæteri Hæretici) abrogarunt. Et illorum *Spiritus non erat ex Deo*, *ſed erat Anti-Chriſtus*, ſive ut habet textus Græcus, erat *Anti-Chriſti*, videlicet *præcurſor*. Verùm antiquiores illos hoſtes *in Inferis jam ſepultos* prætermittendo, ad recentiores Calvinianos, ejuſdem tamen genii & ingenii deſcendamus; eoſque cum præcedentibus hoc unico Argumento impetamus.

Omnis Spiritus qui ſolvit JESUM, ex Deo non eſt, & hic eſt Anti-Chriſtus.
Spiritus Calvinianus ſolvit JESUM:
Spiritus ergo Calvinianus ex Deo non eſt, & hic eſt Anti-Chriſtus.

Major eſt expreſſiſſima primæ Joannis capite quarto. Probatur *Minor*.

JESUS *eſt* AUTHOR & *Conſummator Fidei*, Epiſtolæ ad Hebræos capite duodecimo. *Eſt* SPONSUS & *Caput Eccleſiæ*, *Salvator Corporis ejus*, & exemplar omnium fidelium Conjugatorum, qui debent *diligere Vxores ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam*, ad Epheſios quinto. *Eſt* PASTOR *bonus*, Joannis decimo. *Eſt Fidelis & Verax*, Apocalypſis decimo nono. *Dei Filius* JESUS Chriſtus *qui in nobis prædicatus eſt*, *non fuit* EST & NON; *ſed* EST *in illo fuit*, ſecundæ ad Corinthios primo capite. Hunc autem, id eſt talem JESUM ſolvit Spiritus Calvinianus, & alium planè proponit Sectatoribus ſuis. Quod ſic oſtendo.

Primò,

Primò, Exhibet quoſdam Fidei Articulos, quorum JESUS non eſt Author & Conſummator per formalem revelationem; ſed Calvinus & alii prætenti Reformatores ſunt adinventores, per erroneas, falſas ac fallaces conſequentias aut illationes, interpretationes, annotationes, & gloſſemata; ut repudiatâ Fide antiquâ (*cujus Author & Conſummator eſt* JESUS) novam quamdam ſubſtituerent, & in prætentam DE NOVO à ſe erectam Eccleſiam inveherent: adeòque ſolverent JESUM, veriſſimæ, antiquiſſimæ, & Catholiciſſimæ Fidei *Authorem & Conſummatorem.*

Secundò, Idem Spiritus Calvinianus *ſolvit* JESUM *fidelem Eccleſiæ Sponſum & Salvatorem Corporis ejus*, dum Sectatoribus ſuis impiiſſimè perſuadet, *Eccleſiam fuiſſe à Diabolo diſſipatam, omninò corruptam, factam Meretricem Babylonicam, & omnium Scortationum Matrem.*

Hæc atrociſſima & maximè blaſphema in graviſſimum *Sponſi* opprobrium vergunt. Si enim vera eſſent quæ Spiritus Calvinianus eructat, quânam ratione quóve fundamento vel credi vel aſſeri poſſet JESUS *fidelis Sponſus Eccleſiæ & Salvator Corporis ejus*? An fortaſſis permittere aut non impedire *diſſipationem, corruptionem, proſtitutionem, adulterium illius continuum* (uti prætendunt Calviniani) hoc ipſum eſt *ſalvare Corpus ejus*? Addo ab eodem Spiritu Calviniano *ſolvi* JESUM *Paſtorem bonum.* Quomodò enim dicetur *Paſtor bonus*, qui *Ovile ſuum* ita neglexit, ut *Diabolus illud diſſiparet & penitus corrumperet, edendo horrendam ſtragem* Ovium: adeòque neceſſe foret, ut Ovile aliud DE NOVO *erigeretur*, aliæq; & novæ Oves conquirerentur & procurarentur? Hæc tamen ſunt Calvinianæ Reformationis fundamentalia principia. Sed ſive dixerint Sectarii Chriſtum JESUM fuiſſe negligentem Paſtorem, aut impotentem adversùs Diabolum diſſipatorem Ovilis, aut infidelem in adimplendis promiſſis: ſive aſſeruerint ex adverſo Calvinum fuiſſe Paſtorem bonum, *Erexiſſe Ovile* DE Novo, novaſque Oves in locum ac ſupplementum diſſipatarum & deperditarum conquiſiviſſe, procuraſſe,

Digitized by Google

ſubſtituiſſe; utrumque impiiſſimum eſt, & maximè blaſphemum ac horrendum.

Tertiò, Spiritus Calvinianus *ſolvit IESVM Fidelem & Veracem.* Promiſit Jesus Verax, Joannis ſexto: *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita.* Præſtitit adimplevitq; promiſſum Jesus Fidelis, quum in ultima Cœna dixit: *Accipite & comedite*, Hoc est Corpus meum. In Hoc est, ponit Spiritus Calvinianus Non est, dum credit & aſſerit, Non est *Corpus ſed mera duntaxat figura, merum Corporis ſignum*: adeoque *ſolvit IESVM Dei Filium, qui in nobis prædicatus eſt, & in quo non fuit EST & NON; ſed EST in illo fuit.* Verùm de his latiùs, infra.

CAPVT XII.

Contra poſſibilem ſalutem prætentorum Reformatorum.

Tit. 3. H*Æreticum hominem* (inquit Apoſtolus) *poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit, quum ſit proprio judicio condemnatus.*

S. Aug. lib. 4. de Baptiſ. cont. Donatiſt c. 18. *Conſtituamus aliquem caſtum* (ait Auguſtinus) *continentem, non avarum, non idolis ſervientem, hoſpitalem, patientem, ſobrium. ſed* Hæreticum *: nulli utique dubium eſt,* Propter hoc solum quòd Hæreticus eſt, *Regnum Dei non poſſeſſurum.*

Epiſt. ad Donatiſt poſt Collat. *Quiſquis ab Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe laudabiliter vivere exiſtimet; hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti Vnitate disiunctus eſt, non habebit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Homo ducens vitam ſine homicidio, furto, appetitu rei alienæ, caſtus, patientiſſimus; cum ſuis tamen iſtis velut laudabilibus moribus, ſi non in Deum fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vita Damnandus *abſcedit. Alius autem habens quidem opera bona ex fide recta quæ per dilectionem operatur; non tamen ita (ut ille) benè moratus, à Deo ſumens & indulgentiam peccatorum, & dilectionem rectè factorum, de hac vita* Liberandus,

RANDUS, *& in conſortium cum Chriſto regnaturorum recipiendus emigrat: Quare, niſi propter* FIDEM?

Diligenter etiam atque etiam (ait Theodorus Beza) *legendum eſt ac meditandum Dei Verbum, &* VETERES EX PATRUM SCRIPTIS COGNOSCENDÆ HÆRESES, *quas ſic interpolatas incipit Sathan propinare.* Beza Epiſt. 44. pag. 106. ad amic. anonym.

His ſuppoſitis, propono ſequentem Syllogiſmum.

Quicumque in Fidem *recipiunt* aliquas opiniones, *contra quas ſentiebat Eccleſia Catholica* tempore Beati Auguſtini, & quas damnabat Hæreſeos, illi habendi ſunt & damnandi tanquam Hæretici.

Atqui prætenti Reformatores & Reformati *in Fidem recipiunt* aliquas opiniones, *contra quas ſentiebat Eccleſia Catholica tempore Beati Auguſtini, & quas damnabat Hæreſeos:*

Prætenti ergo Reformatores & Reformati habendi ſunt & damnandi tanquam Hæretici.

Probatur *Major* authoritate præmemorati *Theodori Bezæ*, qui Calvini diſcipulus fuit, & in Papatu Genevenſi ſucceſſor. Is enim *veteres ex Patrum Scriptis cognoſcendas eſſe Hæreſes aſſerit.* Cognoſcamus ergo ex Auguſtino, *quem optimum ex tota antiquitate ac fideliſſimum teſtem* agnoſcit Calvinus, *unumque ſufficere poſſe* aſſerit, *ut ex illo ſumant lectores, ſi quid de ſenſu Antiquitatis habere certi voluerint.* Calvin. lib. 3. Inſt. c. 3. & lib. 4. c. 14. Calvino Magiſtro ſuccinẽs Beza diſcipulus, *De Auguſtino* (ait) *quid dicam? Ego certè de illo non aliter me ſentire profiteor, quàm de eo qui in explicandis præcipuis Chriſtianæ Religionis Capitibus, veteres omnes tum Græcos tum Latinos Scriptores (meo quidem judicio) longo intervallo ſuperavit.* Beza de Hæret. à Magiſt. puniend. pag. 141. Auguſtinus autem in Tractatu ſeu libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum Diaconum, in peroratione ſeu concluſione ejuſdem Tractatus (ubi varias recenſuit Hæreſes) ita tandem

 loquitur:

Digitized by Google

loquitur: *Quid contra iſta ſentiat Catholica Eccleſia, id ſuperfluè quæritur, dum propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire; nec aliquid horum in* FIDEM *quemquam debere* RECIPERE. Hæc Auguſtinus.

Major itaque ſupra poſiti Syllogiſmi à nemine poteſt negari, quandoquidem ipſius Hæreſeos definitionem involvat. Nam juxta Calvinum, *Hæretici & Schiſmatici vocantur, qui diſsidio facto Eccleſiæ Communionem dirimunt. Hæc porrò duobus vinculis continetur, ſanæ doctrinæ conſenſione, & fraternâ charitate. Vnde inter Hæreticos & Schiſmaticos hoc diſcriminis ponit Auguſtinus: quòd illi quidem falſis dogmatibus, Fidei ſinceritatem corrumpant; hi autem, interdum etiam in Fidei ſimilitudine, Societatis vinculum diſrumpant.* Et Beza atteſtante *Hæreticus eſt qui pietatem quidem prætexit; ſed tamen non modò* SANIS ECCLESIÆ SERMONIBUS, *ſemel atque iterum admonitus non acquieſcit: verùmetiam falſâ propoſitâ vel ab aliis acceptâ doctrinâ, pacem & conſenſionem Eccleſiæ diſſipat.*

Calvin. lib. 4. Inſtit. cap. 2 Sect. 5. Impreſſ. Roberti Stephani

Beza de hæretica Magiſtr. puniend.

Ad *Minorem* probandam deſcendamus.

Quum eiuſdem Bezæ monitu, *Veteres ex Patrum Scriptis cognoſcendæ ſint Hæreſes,* & *Auguſtinus veteres omnes, tum Græcos, tum Latinos Scriptores longo intervallo ſuperarit;* quid ni ex ejus Scriptis veteres Hæreſes cognoſcamus? *Aëriani* (inquit Sanctus Doctor) *ab Aërio quodam ſunt nominati, qui quum eſſet Præsbyter, doluiſſe fertur quòd Epiſcopus non potuit Ordinari ; & in Arianorum Hæreſim lapſus, propria quoque addidiſſe dogmata nonnulla, dicens:* Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. Nec Statuta ſolenniter eſſe celebranda jejunia ; ſed quum quiſque voluerit ; jejunandum, ne videatur eſſe ſub lege. *Dicebat etiam* Præsbyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni. Ita Auguſtinus de Hæreſibus, Hæreſi quinquageſimâ ſecundâ, ubi hæc tria Aëriana dogmata inter Hæreſes ab Eccleſia reprobatas recenſet.

Quid hîc dicent? Quid reſpondebunt? quid obgannient prætenti Reformatores & Reformati, qui eadem *dogmata Aëriana* (ut cætera erronea hæreticaque prætermittam)

Digitized by Google

mittam) *contra quæ ſentiebat Eccleſia* Catholica temporibus Auguſtini, *in Fidem ſuam* Reformatam *acceperunt*? Hoc notiſſimum eſt *notorietate facti*, ut loquuntur Juriſperiti.

Primò, Non orant, neque offerunt pro mortuis oblationem. Nec audebunt negare Adverſarii, quia praxis publica ſepeliendi mortuos, evidentiſſimè convicit nullas *fundi preces*, *nullos* inter ſepelienda Reformatorum cadavera decantari Pſalmos, *nullamq; omninò pro mortuis offerri oblationem; quia credunt Purgatorium eſſe illuſionem, quæ prodiit ex officina Sathanæ.* Conf. Reform. art. 24.

Secundò, Statuta ſolenniter jejunia non eſſe à Reformatis *celebranda*, ipſorum dogma eſt, ipſorum placitum: utpotè qui ſibi perſuadent *non eſſe niſi adinventiones humanas, quæ conſcientiis jugum imponunt.* Ibid.

Tertiò denique, Prætentæ Reformatæ Eccleſiæ Miniſtri *nullâ inter ſe differentiâ ſecernuntur.* Ita enim præſcribit Calvinianæ Fidei Profeſſio; *videlicet omnes veros Paſtores, ubicumque locorum fuerint, habere eandem authoritatem, & æqualem poteſtatem.* Art. 30.

Quid igitur ex his conficiendum reſtat, niſi prætentos Reformatores & Reformatos: ESSE HÆRETICOS; utpotè qui *in* Reformatam *Fidem receperint dogmata, contra quæ ſentiebat Eccleſia Catholica* temporibus Beati Auguſtini? Adeòque eoſdem Reformatores & Reformatos *ſubverſos eſſe delinquere, & proprio judicio condemnari*, juxta Apoſtoli veriſſimam expreſſiſſimamq; ſententiam. Conſequenter *Regnum Dei non poſſeſſuros, non habituros vitam; ſed iram Dei manſuram ſuper eos, & de hac vita* (ſi in Hæreſi formali perſiſtant) *damnandos abſcedere*, ſecundùm Sanctiſſimi Doctoris Auguſtini, & totius Eccleſiæ Dei commune judicium. Utinam ergo SAPIANT ET INTELLIGANT, AC NOVISSIMA PROVIDEANT, Deo miſerante, propitiante, inſpirante & convertente. Deut. c. 32.

Finis Methodi Impugnativæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

METHODVS
DEFENSIVA
SEV
AD DEFENDENDAM
TVENDAMque
ROMANÆ ECCLESIÆ FIDEM,
ADVERSVS
Calumnias & Impugnationes
Hæreticorum.

Digitized by Google

Aliud eſt ſcire tantummodò quid homo credere debeat; aliud autem ſcire, quemadmodùm hoc ipſum & piis opituletur, & CONTRA IMPIOS DEFENDATUR. S. Auguſtinus libro 14. de Trinitate, capite 1.

Digitized by Google

BEATISSIMO AVRELIO
AVGVSTINO,
Sanctæ Recordationis Viro:

Quem nunquam ſiniſtræ opinionis ſaltem rumor adſperſit, ſed inter Magiſtros optimos à Pontificibus Romanis ſemper fuit habitus. S. Cœleſtin. Papa Epiſt. ad Epiſcop. Galliæ c. 1.

De quo benè omnes in commune ſenſerunt; utpotè qui ubique cunctis & amori fuit & honori.

Cujus penès Catholicos univerſos ingens, & omnem laudem ſupergreſſurum nomen, novi præconii commendatione planè non eget. Alexand. VII. Epiſt. ad Decan. & Theol. Lovan.

SALI TERRÆ
Quo præcordia condiuntur:
LUCERNÆ
Super Eccleſiæ Candelabrum poſitæ. S. Paulin. Epiſt. 31. ad Auguſt.

Patri Patrum, Doctori Doctorum, Abyſſo Sapientiæ: Poſſid. Epiſt. ad Maced.

Cujus DOCTRINA disjecit Commenta Hæreticorum, & Diabolicum tumorem Pelagianæ elationis eliſit:
Cujus DUCTU viginti amplius annis, Catholica acies pugnavit & vicit:
Cujus ARMIS communis Fides eſt DEFENSATA. S. Proſper. lib. 4 pro doctrin. S. Aug. c. 1.

Digitized by Google

Severus Abbas Epiſt. 37. inter Auguſtinian.

ARTIFICIOSÆ DEI API,
Conſtruenti favos divini nectaris plenos.

Caſſiod. Prolog. in Pſalm.

DEFENSORI FIDELIUM,
Fonti puriſſimo nullâ fæce polluto, decurrenti.

S. Fulgent. lib. 2. de Prædeſt. & gratia.

Poſteris certandi & vincendi ordinem oſtédenti, ſi quando pravitas (Hæretica) infandum caput erigere nitatur.

Concil. Toletan. VIII.

Homini Sanctiſſimo,
Inveſtigationis acumine, Cauto:
Inveniendi arte, Præcipuo:
Aſſerendi copiâ, Profluo:
Eloquentiæ flore, Venuſto:
Sapientiæ fructu, Fœcundo.

Beda l. de 6. ætat. mundi.

OMNIUM DOCTORI EXIMIO ECCLESIARUM,
utique poſt Apoſtolos.

Haïmo. Epiſcop. Halbeſtad.

In elucidandis Quæſtionibus omnes Doctores Præcellenti:
Ita ut illos excedat ſicut Sol omnes Planetas;
Et ſicut Stellæ lumen à Sole recipiunt, ſic ipſi ab Auguſtino.

Rupert. lib. 7. de oper. Spirit. S. cap. 19.

COLUMNÆ NUBIS
In quâ thronum ſuum poſuit Sapientia Dei.

MAL-

Digitized by Google

MALLEO HÆRETICORUM VALIDISSIMO. S. Bernard. ſerm 80. in Cantic.

Ori & Linguæ Veteris Eccleſiæ, Card Peron. cõt. Reg. Angl.

Cujus ſuſceptam Defenſionem (poſt admirandam Converſionem divinitùs factam) nunquam omiſit aut intermiſit: ſed in hodiernum uſque diem, Spiritu in Scriptis incomparabilibus literam vivificante & animante continuat & protendit.

HANC METHODUM DEFENSIVAM

Maximo Catholicorum Protectori, Sectariorum Debellatori.

DOCTRINAM AB EO ACCEPTAM, SIVE

Ex illius Scriptis irrefragabilibus hauſtam,

REPENDO, DICO, CONSECROQUE.

ME-

Digitized by Google

Digitized by Google

METHODI DEFENSIVÆ

CAPUT I.

Quis ſit hujus Methodi ſcopus ſeu finis?

SAnctus Doctor Auguſtinus commemorans quibus vinculis illigatus in juventute ſua, captivus fuerit apud Manichæos Hæreticos: *Me duo quadam maximè* (ait) *quæ incautam illam ætatem*, nimirùm juvenilem, *facilè capiunt, per mirabiles attrivêre circuitus. Quorum unum eſt* FAMILIARITAS; *neſcio quo modo repens quadam imagine bonitatis, tanquam ſinuoſum aliquod vinculum, multipliciter collo involutum. Alterum, quòd quadam* NOXIA VICTORIA *penè mihi ſemper in* DISPUTATIONIBUS *proveniebat* DISSERENTI CUM CATHOLICIS IMPERITIS; *ſed tamen Fidem ſuam certatim (ut quiſque poterat)* DEFENDERE *molientibus*.

S. Aug. lib. de duab. Anim. cap. 9.

Reverà hæc duo eadem quæ *Auguſtinum* (tanti utique ingenii Juvenem) Manichæorum laqueis & retibus facilè illaquearunt & involverunt; longè faciliùs potuerunt quemvis alium minoris ingenii, non ſolummodò juvenem; ſed & virum jam maturum & ſenem; imò multò citiùs adoleſcentes, ac etiam mulierculas curioſas, otioſas, verboſas irretire.

Primum

Primum eſt Familiaritas, *refens quadam imagine bonitatis.* Ita Anabaptiſtæ plurimos ſub affectatæ modeſtiæ larvâ deceperunt & ſeduxerunt. Calviniani etiam, oſtentatitiis quibuſdam elemoſynis multos incautiores cõmoverunt, dum Arianorum more dicerent: *Venite, ſi neceſſitas eſt, paſcemus: ſi nuditas, veſtiemus. Dabimus pecuniam: ſtatuemus quid per ſingulos dies quiſque accipiat. Ergóne Hæretici ad hoc veſtitis nudum, ut expolietis intus Chriſto veſtitum? Ad hoc paſcitis eſurientem, ut animæ auferatis cibum cæleſtem? Ad hoc datis pecuniam, ut vobis iſti vendant Chriſtum, quemadmodùm Iudas vendidit Iudæis crucifigendum?* Ita ſe gerunt Calviniani, emunt pecuniis Auditores, comparant pretio Sectatores, *ſtatuunt quid per ſingulos dies quiſque accipiat.* Sed undénam quæſo falſa illa miſericordia, fallaceſq; elemóſynæ? Invaſerunt & occuparunt Eccleſiaſticos proventus, ſeu Epiſcopatuum, Collegiorum, Monaſteriorum, Xenodochiorum ac piarum quarumcumque Fundationum bona, & inde tantilli aliquid élargiuntur, ſed longè majorem multòque ampliorem & pinguiorem partem ſibi retinent.

S. Aug. lib. 2. de symb cap. 13.

Alterum eſt Noxiæ *cujuſdam* Victoriæ, falſa ſpecies, quæ contentioſis Calviniſtis provenire videtur; dum Scripturæ textibus, memoriæ mandatis, malè intellectis, pejuſque applicatis, & adaptatis abutuntur in diſputationibus, quas cum Imperitis Catholicis conſerere geſtiunt, iiſque inſultare ordinariè conſueverunt.

Triplici autem potiſſimùm modo ſolent Catholicos adoriri ac impetere.

Primò, *Blaſphemando* adversùs Chriſtum Dominum, & primaria Religionis Capita. Ita nuper *Ioannes Hamerſtedius* Pſeudo-Miniſter Trajectenſis in libro *Gorichemi* edito, cui titulus, *Meretrix Babylonica detecta in Romano-Pontificia.* Chriſtum Dominum in Euchariſtia, *Deum novum, Deum panaceum, Deum ſtercoreum, Deum Mauzzim, Deum miſſaticum, Deum factitium fictitiumque, Iovem Capitolinum, Iovem Olympium, Elicium, Statorem* avernalibus,

horrendis,

horrendis, execrandis planèque abominandis blaſphemiis nuncupat & vocitat.

Quid huic blaſphemo Spiritui cæteriſque ſimilibus poſſet aliud reſponderi, quàm quòd *Michaël Archangelus* reſpondit *Diabolo dum altercaretur cum eo de Moyſi corpore?* *Non enim auſus eſt inferre judicium blaſphemiæ; ſed dixit* INCREPET TE DOMINUS. Epiſt. Cathol. s. Iud.

Secundò, Solent Adverſarii & potiſſimùm Calviniani inſultare Catholicis, calumniando & inſectando Eccleſiam Romanam Summos Pontifices, omneſque ei adhærentes, vel falſa crimina confingendo ipſiſque imponendo, vel vera exaggerando, & particularia nonnullorum vitia, omnibus omninò citra ullius exceptionem adſcribendo. Ita idem *Hamerſtedius* in præmemorato Libro, Eccleſiam Romanam infami ac probroſo THAIDIS nomine nuncupat, *putidum ſcortum & omnium ſcortationum Matrem* appellat: Deinde ore impudentiſſimo linguâque maledicentiſſimâ in Romanum Pontificem debacchatur, falſiſſimè calumnians *ipſum eſſe hypocritarum Anteſignanum, Monarcham Babylonicum, Regem Superbiæ, omnium in Chriſtiano orbe malorum cauſam; eſſe* BAAL, *eſſe* MELOCH *cui etiam infantuli immaniter jugulantur: ipſum Sanctorum ſanguine atque cæde gaudere ac rubere, in proximorum tentoria ignem immittere, pauperibus atque egenis miſericordiam non exhibere, non judicare ex veritate; ſed affligere manſuetos, lædere quietos, diligere mendaces, deſtruere habitationes eorum qui ferunt fructum, & dejicere muros eorum qui non nocent.* Hi ſunt latratus Hamerſtediani in SUMMUM Pontificem.

Tandem cunctos Reges & Principes Catholicos, omneſque cujuſcumque conditionis ſive Eccleſiaſticos ſive Laïcos, Romanæ Fidei Profeſſores, aſſerit præmemoratus *Hamerſtedius* eſſe ANTI-CHRISTI SATELLITES.

Denique mos eſt Adverſariis, ut in Congreſſibus ac Diſputationibus ſive publicis ſive privatis vix unquam ſincerè procedant. Plurimas enim fallacias adhibent. Probandi onus (quantum poſſunt) à ſe amoliuntur, & in Catholicos

Digitized by Google

tholicos rejiciunt. Puncta præcisè controverſa non niſi rariſſimè ponunt; ſed Scholaſticè diſputabilia intermiſcent quò licentiùs vagari poſſint, & Auditoribus tenebras offundere. Multa per modum unius congerunt & accumulant, ut dum in aliquo premuntur, ad aliud tranſiliant, eoque modo confuſionem ſuam pallient. Quum Purum Dei Verbum Scriptum afferre & proferre debeant, quod tantoperè inflatis buccis jactitare & venditare ſolent, ut fucum faciant; attamen in Concertationibus, nihil quod ad prætentam Fidem & Religionem Reformatam pertinet probare contendunt & ſatagunt, niſi per quaſdam conſequentias ſeu illationes. Plurima imponunt Catholicis, tanquam ſi Fide divinâ ab iis crederentur, quæ tamen nullo modo ſunt Fidei; & ex his occaſionem captant Adverſarii ad decertandum bello quodam imaginario, *Aëremque* (ut dicitur) *diverberandum*. Proponunt quæſtiunculas captioſas, ſubdolas, quibuſdam veris admixtis, quibuſdam falſis additis interpolatas, ut eoſdem Catholicos exagitent. Demùm quantumvis victi, revicti, convicti nunquam cedunt, nunquam acquieſcunt; ſed vel Victores videri volunt & affectant, vel ſe ſuperatos eſſe diſſimulant, & in ſua pervicacia ſeſe obfirmant: poſtmodùm verò prius obiecta, ſemper reſumunt & repetunt, ac tanquam pultes centies recoctas, ad nauſeam uſque reponunt. Unde Auguſtinus in ſui temporis Hæreticis, genium illum qui ſui per omnia ſemper & ubique ſimilis eſt, pluries expertus, *puto* (inquiebat) *quòd ipſe Diabolus, ſi toties vinceretur, non eſſet tam impudens, ut in ea cauſa perſiſteret*. Sed de his Deo juvante, in ſequentibus Capitibus paulò fuſiùs & diſtinctiùs diſſeremus.

Aug. Epiſt. 167.

CAPUT

CAPUT II.

Defenſio Eccleſiæ adverſus falſiſſima Sectariorum præjudicia de illius lapſu, defectu & ruina.

SUpra annotavimus longè maximam errantium multitudinem in Schiſmata ac Hæreſes incidiſſe, & in eis obcæcato animo detineri, eoquòd ipſis falſiſſimè ac fallaciſſimè perſuaſum fuerit: *Eccleſiam à Fidei veritate defeciſſe, & in horrendos errores, Superſtitiones, ac etiam Idololatrias lapſam fuiſſe.* Hoc etenim eſt Capitale Dogma in publicos Pſeudo-Reformatæ Confeſſionis Articulos relatum: hoc prætentæ Reformationis fundamentum; hoc ſeparationis, præciſionis ac diviſionis præſumptum, fucatum, ementitumque motivum.

Apud quoſcumque paulò æquiores & minùs pervicaces, qui præſtigioſis hiſce præjudiciis faſcinati circumveniuntur & præoccupantur, adeoque ab Eccleſia Romana avertuntur & abalienantur, propono ſequentia ab iis (ſi dignati fuerint) ſeriò ſedulòque expendenda & perpendenda.

Nemo niſi juris & æquitatis naturalis ignarus aut oblitus, inficias ibit, atrocia & enormia crimina nunquam de hoc aut illo in particulari ſupponi: multò minus de toto aliquo Cœtu vel Familiâ; ſed per teſtes omni exceptione majores probari; planèque convinci reos, antequam in eos feratur ſententia, quâ damnentur. Ecce damnatur à Sectariis (quàcumque latiſſimè patet Eccleſia Romana) multorum errorum, ſuperſtitionum ac idololatriarum, quæquidem ſunt atrocia & enormia crimina. Sed quibus inſtrumentis vel teſtibus legitimis convincitur? An Scripturâ Sacrâ? Quæro uti antea jam iterum quæſivi, quónam illius textu, capite vel verſiculo? An Con-

cilio aliquo OEcumenico? Peto quonam tandem, & quâ illius definitione aut deciſione? Quis fuit abominandus Author illius defectionis, ſeu quiſnam errores illos, aut ſuperſtitiones, aut idololatrias in Eccleſiam invexit? Quis omnium primus advertit, hoc eſt, quis *Suſannam* illam (quam quinque prioribus ſæculis, innocentem, integram & caſtam fuiſſe fatentur ejus Adverſarii) in illa deteſtanda proſtitutione deprehendit? Quis adversùs eam inſurrexit ac inclamavit, niſi fortè *duo illi Iudices, alter Saxo-Germanus Lutherus, alter Franco-Gallus Calvinus*, tanto nimirum poſt admiſſum crimen intervallo ac interſtitio? Verùm hîc urgeo, quænam Catholica Synodus ſeſe oppoſuit? Quinam Orthodoxi Doctores adversùs defectum illum & exorientes errores publicè proteſtati ſunt? Quo anno, ſæculo, ſub quibus Imperatoribus, Pontificibus, in qua mundi plaga, Regno, Natione, Provincia, Diœceſi, Urbe, Oppido, Pago? Sic enim cum omnibus illis circumſtantiis deſignare poſſumus, quiſnam (verbi gratiâ) fuerit Author impiiſſimæ Hæreſeos adversùs Conſubſtantialitatem Filii, nimirùm *Arius*. In quo Concilio damnatus fuerit, ſcilicet in *Nicæno primo* à trecentis decem & octo *Epiſcopis*. Quinam Patres ſeſe eidem *Ario* oppoſuerint, videlicet *Athanaſius*, *Hilarius*, *Servatius*, & alii, ſub *Conſtantino* Imperatore. Hoc vel ſimili modo cum Eccleſia Romana procedendum fuerat, ſi æquo vel ſaltem plauſibili judicio cum ea contendere voluiſſent Adverſarii, antequam arrogatâ ſibi ac injuſtè uſurpatâ poteſtate eam condemnarent, & ſacrilego Schiſmate ab illius Communione recederent. Verùm quum nullo legitimo fundamento ſe niti non ignorarent, voluerunt contra omnem æquitatem, contra omnem juris ordinem, ſimul *Accuſatorum, Iudicum & executorum, in criminali cauſa partes agere ac ſuſtinere.* Nam primi Pſeudo-Reformatores Eccleſiam quæ ipſos ſpiritualiter genuerat, lactaverat, educaverat, tanquam ingrati & perduelles Filii accuſarunt. Illi ipſimet eandem Matrem ſuam per annos mil-

le &

le & quingentos Chriſto Sponſo inconcuſſa Fide adhærentem, Hæreſeon debellatricem, errorum profligatricem & Catholicorum Dogmatum invictiſſimam ac fideliſſimam aſſertricem & ſeminatricem condemnarunt: moxque ſententiam executi ſunt, diviſionibus, profanationibus, Templorum & Altarium everſionibus, Monaſteriorum incendiis & rapinis, ac infinitis violentiis, quarum teſtis fuit oculatus ſæculo ſuperiori ingemiſcens Orbis Chriſtianus.

Quâ fronte precor, ferret quiſpiam veſtrum (ô Reformati) calumniatorem aliquem, qui Matri, Uxori, Sorori vel Amitæ veſtræ fœdum ac pudendum *adulterii* flagitium aut enorme veneficii ſcelus impingeret, & ſolo teſtimonio ſuo adſtrueret, nullâque alia probatione convinceret? Quonam igitur vultu a Chriſto Domino ſuſcipiendos exiſtimatis eos, qui Sponſam illius tot propudioſis convitiis proſciderunt, vel qui ſeſe illorum factioni ac conſpirationi addixerunt? An fortaſſis adverſus accenſum & inflammatum Sponſi pro Sponſa ſua Zelum, hanc obtendetis excuſationem: *Lutherus dixit, Zuinglius dixit, Calvinus dixit: Miniſter talis dixit?* Sed qui & quales erant *Lutherus, Zuinglius Calvinus? Quis & qualis Miniſter veſter?* Si verum fateri lubet, hoſtes Eccleſiæ & quidem infenſiſſimi. An ergo hoſtibus Eccleſiæ in eam debacchantibus credendum fuit? An inimicis veſtris peſſima contra vos teſtimonia perhibentibus fidem haberi velletis? An non ſtatim contra ejuſcemodi depoſitiones exciperetis? Hîc tamen lubens prætermitto quicquid contra *Lutherum, Zuinglium, Calvinum* & alios Reformatores meritò poſſet objici; ne potiùs contra homines, quàm contra injuſtitiam proceſſus agi videatur. Hoc ſaltem adſtruo, qualeſcumque fuerint illius prætentæ Reformationis Architecti, ſaltem *Homines* fuerunt; adeoque fallibiles, & paſſionibus ac erroribus obnoxii, nullis miraculis conſpicui, nullâ legitimâ authoritate & poteſtate ſuffulti, ut vel ſaltem ſpecietenus à Deo aſſumpti viderentur,

tur, ad Reformandam ſeu potiùs Innovandam Fidem, tantâ antiquitatis prærogativâ, Conciliorum conſenſione & approbatione, populorum ac gentium unanimi & continuâ obſervatione roboratam. Quâ igitur conſcientiâ, ô *Reformati*, *Proteſtantes*, *Evangelici*, *Zuingliani*, credidiſtis ejuſcemodi hominibus, omni probabilitatis ſpecie deſtitutis, & non potius credidiſtis Chriſto Domino dicenti:
Matt. 16. *Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*? Cur non etiam
1. Tim. 3. Paulo apertiſſimè aſſerenti, *Eccleſiam eſſe Columnam & Firmamentum Veritatis*? Si vobis Chriſtus Deus eſt, ſi Propheta Verax & Fidelis, quónam pacto *prævaluerunt adversùs illius Eccleſiam Portæ Inferi*, quas ille non prævalituras promiſit, prædixit, præaſſeveravit? Si vobis Paulus Apoſtolus eſt, & præco veritatis, quomodò contra illius dictum, everſa eſt *illa Columna*, & ſubrutum ac dirutum illud *Veritatis Firmamentum*?

Repeto inculcoque peremptorium Dilemma.

Vel perierat Eccleſia temporibus Reformatorum veſtrorum, *vel non perierat.*

Eligite quod magis placet.

Si perierat, ergo jam mendax invenietur prima ipſa Veritas, quæ prædixit *non prævalituras adversùs eam Portas Inferi.* Quomodo enim perierat, niſi *prævalentibus Portis Inferi adversùs eam*, ut periret? Hoc autem auditu, horrendum eſt, ut primæ Veritati vel minimum tribuatur mendacium, vel mendacii obumbratio.

Si non perierat Eccleſia, ergo quotquot Luthero, vel Zuinglio, vel Calvino Duce ab Eccleſia Romana ſeſe ſubſtraxerunt aut ſepararunt, *ad eam quæ non perierat*, accedere, & illi utique ſe adjungere & annectere debuerant. Verùm nihil ſimile præſtitum. Nam Lutherus ſibi propriam condidit per Germaniam, Zuinglius aliam erexit in Helvetia, Calvinus aliam fabricatus eſt in Gallia, alii alibi. Imò quotidiè Novæ recenteſque prodeunt in Anglia, fœcundiori ſcilicet Eccleſiarum genitrice aut formatrice. Nec eſt quod prætendant

dant Novatores, *non periiſſe quidem Eccleſiam, ſed inviſibilem fuiſſe.* Primò enim maximè mirandum eſt, quânam arte tamdiu inviſibilem Eccleſiam videre potuerint hiſce noviſſimis temporibus? Deinde quiſnam in tam prodigioſâ multitudine Novatorum præ aliis adverterit, quis attigerit, quis ſaltem olfecerit? An *Lutherus* ipſe aliorum Patriarcha? An *Zuinglius* ab illo deficiens & Sacramentariorum Eccleſiam colligens? An *Muncerus*? An *Calvinus*? Nam de vera Eccleſia *Hæretici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.*

Poſtremò quî fieri potuit, ut viſibile Lutheranæ, aut Zuinglianæ aut Calvinianæ Eccleſiæ Corpus, inviſibili illi ſeu verius imaginariæ Eccleſiæ connexum fuerit? Quónam glutino aut viſco, eidem cohæſit? Quòd ſi poſtmodùm rurſus ab hominum oculis eripiatur ac evaneſcat Eccleſia, & iterum inviſibilis fiat (nam quod factum eſt, adhuc fieri poteſt) quid tandem agendum erit? An fortè præſtolandum donec Lutherus, aut Calvinus, aut aliquis è noviſſimis illis Apoſtolis excitetur ab inferis, qui lynceis oculis inviſibilem Eccleſiam veſtiget, exploret, & tandem nactus & aſſecutus viſibilitati iterum reſtituat?

Calviniani tamen apertiſſimè profitentur *Majores ſuos* (quorum antiquitas vixdum centeſimum annum attigit) *extraordinario modo fuiſſe ſuſcitatos, ad erigendam* (inquiunt) DE NOVO *Eccleſiam, quæ erat in ruina & deſolatione.* Et hoc ipſum tanquam Fidei Reformatæ Dogma ſuis aſſeclis obtrudunt. Sed ore proprio ſe conficiunt, ac propria confeſſione produnt ſe meros eſſe Novatores, cauſamq; ſuâ jugulant; Quia vera Chriſti Eccleſia non eſt DE NOVO erecta (ut alibi oſtendi) *ſed ab ipſo Domino fundata, & ab ipſa Sede Petri per Sacerdotum ſucceſſionem* continuata ac propagata eſt, *uſque ad præſentem Epiſcopatum. In hoc ordine ſucceſſionis, nullus Donatiſta Epiſcopus,* nullus Lutheranus, nullus Zuinglianus, nullus Calviniſta invenitur.

Aug. cont. epiſt. fund. Aug. epiſt. 165.

CAPVT III.

Defenſio Antiſtitum Eccleſiæ contra imposturas Hæreticorum.

MOnuimus ex Auguſtino, ſolertiſſimo genii Hæretici exploratore, hunc genuinum eſſe Novatorum morem, *ut non habendo quid in causâ ſuæ diviſionis defendant; non niſi hominum crimina colligere affectent; ut eos per quos prædicatur Scriptura veritas, adducant in odium.* Hâc tritiſſimâ Hæreticis omnibus viâ gradiendo, Sectatoribus ſuis perſuaſerunt, *Summum Pontificem eſſe ipſiſſimum Anti-Chriſtum.* Neque aliter *David Paræus* Miniſter & Pſeudo-Doctor Calvinianus cum opponit *Turcæ*, quàm ut Occidentalem Anti-Chriſtum Orientali. Nec aliò vergit liber ipſius *Irenicus*, quàm ut omnes omninò cujuſcumque tandem Sectæ ſint, in unum coëant (ſepoſitis de Religione Controverſiis) ad communibus viribus oppugnandum & profligandum Occidentalem Anti-Chriſtum, *Papam utique Romanum.*

Aug. epiſt. 157.

Paræus in Irenico.

Ioannes verò *Hamerſtedius* Miniſtellus Trajectenſis, in ſua *Meretrice Babylonicâ* nuperrimè editâ, poſtquam aſſeruit, *nullam poſſe pacem eſſe cum Ieſabele Romana, quamdiu illius ſtupra & veneficia continuabuntur*: ita tandem ſubdit. *Profectò ſi ullibi Claſſicum canendi, Caſtraque contra Anti-Chriſtum movendi locus ſit, erit hæc noſtra Trajectenſis Civitas; in quâ Cauſa Eccleſiarum Reformatarum quaſi in Theatro agitur; ut detecto Scelerato illo, tota ſimul Papiſmi machina corruat. Quarè non inconſultum duxerim Babylonis oppugnatoribus, hac in parte ſequi præceptum Regis Syriæ in bello Gileaditico, ſuis curruum Præfectis datum:* Ne pugnarent contra Parvum aut Magnum, ſed contra Regem Iſraëlis ſolum; *illo enim proſtrato, totum Iſraëlitarum robur concidere neceſſum erat. Etſi enim non ſine ſingulari utilitate Reipublicæ Chriſtianæ, multiplices Romanæ Synagogæ fraudes ac errores, multorum libris paſſim* ubique

ubique deteguntur : tamen compendium Fidei & Veritatis facere videntur, qui ex immotis fundamentis oſtendunt, Pontificem Romanum eſſe Anti-Chriſtum illum Magnum, ejus Regnum Beſtiam Apocalypticam, Romanam Eccleſiam Meretricem Babylonicam. *Anti-Chriſti enim doctrinam vitamque impiam ac hæreticam eſſe, nemo Chriſtianorum dubitat : ita ut ſi hoc in genere causâ ceciderint Romanenſes, omnes ipſorum diſputationes hâc unâ quaſi liturâ deleantur*. Ita præmemoratus Hamerſtedius. Sed furoris œſtro percitus Novellus ille Doctorculus, non advertit, præceptum illud Regis Syriæ (*non pugnandi contra Parvum aut Magnum, ſed contra REGEM ISRAEL ſolum*) eſſe Regis impii, Idololatræ, & hoſtis infenſiſſimi populo Dei, quod Hamerſtedius pro ſua pietate & manſuetudine Reformatâ, Calvinianis aliiſque ſuggerit, *ut conveniant in unum adversùs Dominum & adversùs Chriſtum ejus*, ac Vicarium & viſibile Caput Populi Iſraëlitici, *hoc eſt*, verè fidelis. Pſal. 2.

Ex illo pluſquam Vatiniano in Summos Pontifices odio effectum eſt, ut omnes eorum Communioni adhærentes, pro *Anti-Chriſti Satellitibus* paſſim habeant: Epiſcopos & Paſtores pro Catholicis *Cacolycos*, pro Apoſtolicis *Apoſtaticos*, pro Archidiaconis *Archidiabolos*, ſcurrilibus utique Scommatibus vocitent : omnes denique Eccleſiaſticos, ſed potiſſimùm Monachos ignominioſiſſimè apud plebem traducant, & in ipſos convitiorum plauſtra exonerent.

Adversùs ejuſcemodi hæreticas & diabolicas calumnias; indeque oriundas de Eccleſiaſticis ſiniſtras ac temerarias præſumptiones, quas de facili concipere poteſt & ſolet imperitorum ac leviter credulorum turba (ad malè quàm bene ſentiendum pronior, & obloquiis contra Præpoſitos ſuos ferè ſemper obnoxia) præſens exhibet Alexipharmacum Sanctus Doctor Auguſtinus, dum Catholicos alloquens, ſic ait ; *Quid jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt*

Aug. lib. de unic. Baptiſ. cont. Petil. c. 18. Petilianus Donatiſta (& ejus exemplo inſectantur Calviniſtæ) *objecta crimina diluamus? Humanitati debitum redditur, quum homo de homine nihil mali temerè ſuſpicatur; nec cuiquam criminanti facilè credit. Non parva eſt parùmque glorioſa* CONSOLATIO *cujuſque noſtrum, ſi ab* INIMICIS ECCLESIÆ, CUM IPSA ECCLESIA CRIMINAMUR. *Qualeſcumque fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylveſter, Melchiades*, Leo, Clemens, Pius, Paulus, Gregorius, Urbanus, Innocentius, *& alii quibus objiciunt pro ſua diſſenſione quod volunt: nihil præjudicat Eccleſia Catholica toto terrarum orbe diffuſa. Condiſcipulos mundos Iudas immundus contaminare non potuit; quid ergò nobis neſcio quorum crimina exaggerant?*

Lib. 3. cont. eund. Petil. cap. 9. & 11. *Sæpè dixi, & vehementer inculco, qualeſcumque ſimus* (Epiſcopi, Antiſtites, Sacerdotes, Monachi) SECURI ESTIS, *qui Deum* PATREM, *& ejus Eccleſiam* MATREM *habetis. Regnat Petilianus* Donatiſta, regnant Calviniſtæ, *quando qualibet convitia jaculantur. Elegerunt materiam ubi verbis faventibus loquantur; iis acclamant Sectarii. Sed nobis ſatis eſt ad rem quam nunc agimus, quòd qualeſcumque ſint ii quos infamant*, ſive ſit Summus Pontifex, ſive Epiſcopus, ſive Clericus, ſive Monachus; *tamen* ECCLESIA *pro qua loquimur*, INVICTA EST. *Veritatis inopiâ coacti ſunt cauſam relinquere, & in homines quæ potuerunt maledicta jactare.*

Lib. de morib. Eccleſ. c. 34. *Cur colligunt profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes aut exhibentes? Nec mirum in tanta copia populorum quos Eccleſia complectitur, nonnullos reperiri, quorum vitâ vituperatâ decipiant incautos; quum ipſi in ſua paucitate magnas patiantur anguſtias, dum ab iis exigitur qui illa ipſa cuſtodiat, quæ irrationabili ſuperſtitione defendunt. Itaque Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinant, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat; & quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.*

Lib. ſeu Epiſt. 118. cap. 19. *Eccleſia Dei inter multam paleam multaque zizania, conſtituta; multa tolerat: & tamen quæ ſunt* CONTRA FIDEM *&* BONAM VITAM, *nec* APPROBAT, *nec* TACET, *nec* FACIT.

Dominus

Digitized by Google

Dominus ſervorum ſuorum tolerantiam confirmavit; ne dum ſe boni putant malorum permixtione culpari, per humanas & temerarias diſſenſiones, aut parvulos perdant, aut parvuli pereant. Quod uſque adeò Cœleſtis Magiſter cavendum præmonuit, ut etiam de PRÆPOSITIS MALIS *plebem ſecuram faceret; ne propter illos, doctrina ſalutaris Cathedra deſereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim ſua ſunt quæ dicunt; ſed Dei, qui in Cathedra unitatis, Doctrinam poſuit veritatis. Proinde ille verax & ipſa veritas, de* PRÆPOSITIS *ſua mala facientibus, & Dei bona dicentibus, ait*: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere; dicunt enim & non faciunt. *Non utique diceret*, quæ faciunt, facere nolite; *niſi manifeſta eſſent mala quæ faciunt. Non ergo propter malos in mala diſſenſione pereamus. Quamvis veſtros Majores* ô Donatiſtæ, ô Calviniſtæ, *non execratores malorum; ſed accuſatores innocentium, ſi velitis poſſimus oſtendere. Sed quicumque illi & qualeſcumque fuerint, portent ſarcinas ſuas.* Hæc Auguſtinus, cujus ſaluberrimis monitis ſi acquieſcere vellent Sectarii, calumnioſè doloſèque impreſſas, & temerariè falſòque conceptas de Eccleſiaſticorum vita, moribus & doctrina opiniones, velut noxias radices ex animis evellerent. Quum enim idem ſit ſemper Genius Hæreſeos, ſuique per omnia ſimilis; quicquid olim per *Manichæos*, *Donatiſtas* & ejuſmodi inſtrumenta, adversùs Catholicos & eorum Antiſtites evomuit: nunc per *Lutheranos*, *Calviniſtas* & alios recentiores rursùs eructat & effundit; ut proinde non alio contra exitioſum virus remedio opus ſit, quàm quod Auguſtinus ſingularis animorum Medicus contra peſtiferum malum confecit ac propinavit.

Epiſt. 166. ad Donatiſt.

Matt. 23.

CAPVT IV.

Romanus Pontifex non eſt Anti-Chriſtus.

HIc repeto atque iterum inculco, quod antea commemoravi; nec ſatis repeti inculcarique poteſt Adverſariis

ſariis noſtris, donec illud inbibant & ſæpiùs ruminentur: nimirum juxta Beatiſſimi Cypriani Martyris veriſſimum pronuntiatum, *Non aliundè Hæreſes obortas eſſe aut nata Schiſmata, quàm inde quòd* SACERDOTI DEI *non obtemperatur, nec* UNUS *in Eccleſia ad tempus* SACERDOS, *& ad tempus* JUDEX VICE CHRISTI *cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret Fraternitas univerſa, nemo adversùs Sacerdotum Collegium quicquam moveret: nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Co-Epiſcoporum conſenſum, judicem ſe non jam Epiſcopi ſed Dei faceret: nemo diſſidio Vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens, foris Hæreſim novam conderet: Niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet, ſine Dei judicio fieri* SACERDOTEM, *quum Dominus in Evangelio ſuo dicat:* Nónne duo paſſeres aſſe væneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine Patris voluntate? *Quum ille nec minima fieri ſine voluntate Dei dicat, exiſtimat aliquis ſumma & magna, aut non ſciente aut non permittente Deo, in Eccleſia Dei fieri, & Sacerdotes, id eſt, diſpenſatores ejus, non de ejus ſententiâ Ordinari?*

Cyprian. epiſt. 55. ad Cornel. Pap.

Matt. 10.

Quid ergo mirum ſi tot, & tam multiplices, & tam prodigioſæ *obortæ ſint Hæreſes* hiſce noviſſimis & calamitoſiſſimis temporibus, *ſi tot enata Schiſmata*, quum tantùm abfuerit *ut Sacerdoti Dei obtemperaretur*, vel UNUS *in Eccleſia ad tempus* SACERDOS, *& ad tempus* VICE CHRISTI JUDEX *cogitaretur*; ut potiùs pro magno ANTI-CHRISTO haberetur, ab ejus obedientia recederetur, in illum conſpiraretur, imò, ſi vires animis ac odiis pares ſuppeterent, prorſus eliminaretur?

Sed hic admirari lubet, quàm cœco furore rapiantur Adverſarii noſtri, vt dum totis viribus contendunt *Pontificem Romanum eſſe purum putum Anti-Chriſtum*, hoc ipſo adſtruant *Pontificios omnes eſſe in vera Chriſti Domini Eccleſia, adeòque ſecuros eſſe*: & conſequenter omnes & quoſcumque ab iiſdem Pontificiis avulſos & ſeparatos (quales ſunt *Lutherani*, Calviniſtæ & alii) ad minus *meros eſſe Schiſmaticos*.

Samuel

Samuel Mareſius, quondam Trajectenſium Archi-Miniſter, nunc verò in Academia Groeningenſi publicus Profeſſor, Libro typis edito apud *Ezechielem Bucherium*, & prænotato *Salus Reformatorum aſſerta*, anno ſalutis 1635. pagina 147. capite 8. diſertis verbis aſſerit *Anti-Chriſtum ſeſſurum in templo Dei, id eſt, in Eccleſia Dei.* Atqui Pontifex Romanus (quem idem *Mareſius* cum ſuis credit eſſe ipſiſſimum *Anti-Chriſtum*) non ſedet in templo *Lutheri*, nec in templo *Zuinglii*, aut *Calvini*, aut *Munceri*, conſequens igitur eſt, neque *Lutheri*, neque *Zuinglii*, neque *Calvini*, neque *Munceri* templum, eſſe *Dei templum*, id eſt, *Eccleſiam Dei.* Deinde quum Papa ſedeat in Eccleſia Romana, etiam juxta Adverſarios noſtros; quid hinc aliud ſequitur, quàm Romanam Eccleſiam eſſe *templum Dei*, id eſt, *Eccleſiam Dei.* Denique quum ex Catechiſmo Reformato, Dominicâ decimâ ſextâ, *extra Eccleſiam nihil aliud ſit quàm mors & damnatio*, neceſſariò planè conficitur omnes omninò Sectarios *morti damnationique infallibili* fore obnoxios, quandoquidem ſint *extra illam Eccleſiam Dei*, in qua ſedet Anti-Chriſtus ex ipſorum utique ſententia.

Georgius quidam *Nigrinus* in Libris *Papiſticæ* (uti ipſe vocat) *Inquiſitionis*, exordium ſeu initium Regni Anti-Christi præcisè deſumit, ab anno poſt Chriſtum natum quadringenteſimo quadrageſimo primo. Videlicet *Leonis Primi* temporibus, *quibus Sedes antehac verè Apoſtolica* (ait nigerrimus ille Nigrinus) *facta eſt deinceps Sedes Anti-Chriſtiana.* Verùm regulari omnibus Hæreticis temeritate, de Anti-Chriſti tempore *quando erit*, non ſolummodo *importunè quærit*; ſed & præſumptuosè omninò definit, *Si enim hoc nobis noſſe prodeſſet* (ait Sanctus Doctor Auguſtinus) *à quo meliùs, quàm ab ipſo Deo Magiſtro interrogantibus Diſcipulis diceretur? Non enim inde ſiluerunt; ſed à præſente quæſiverunt, dicentes*: Domine ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſraël? *At ille*: non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. S. Aug. lib 18. de Civit. Dei cap. 53. Act. 1. cap.

Non

Non utique illi de hora, vel die, vel anno; ſed de TEMPORE *interrogaverant, quando illud accepere reſponſum. Omnium verò de hac re calculantium digitos reſolvit, & quieſcere jubet ille qui dicit,* Non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ Pater in ſua poſuit poteſtate.

Itaque ex mente Beatiſſimi Auguſtini, non ſolummodò *Nigrini calculantis digitos reſolvit Chriſtus Dominus;* ſed etiam *Ioannis Hamerſtedii*, qui in *Apologia* CAPUCINI *Trajectenſis Apoſtatæ, & Excucullati*, aſſerit *Anti-Chriſtum eſſe natum ſub annum ſalutis noſtræ ſexcenteſimum.*

Reverà Sanctus Bernardus qui doctrinâ non tam humanitus acquiſitâ quàm divinitus infusâ, vitæ Sanctitate & Miraculorum gloriâ, circa initium duodecimi ſæculi fulgebat, adeòque ſexcentis annis poſt diſignatum à *Nigrino* & *Hamerſtedio* Anti-Chriſtum, nihil ſimile agnovit. Quantumvis enim pro illo quo æſtuabat zelo non diſſimulaverit nævos Pontificum & aliorum Eccleſiaſticorum: ubi tamen de Pontifice Romano agit, ſic habet: *Indagemus diligentiùs quis ſis, quam geras pro tempore Perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu Hæres Apoſtolorum, tu Primatu Abel, Gubernatu Noé, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aaron, Authoritate Moyſes, Iudicatu Samuel, Poteſtate Petrus, Unctione Chriſtus. Tu es cui Claves traditæ, cui Oves creditæ ſunt. Equidem & alii ſunt Cæli Ianitores, & Gregum Paſtores: ſed tu tantò glorioſiùs, quantò & differentius præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos Greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modò Ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor. Unde id probem quæris?* EX VERBO DOMINI. *Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretim commiſſæ ſunt Oves? Si me amas Petre, paſce Oves meas. Quas? Illius vel illius Populos Civitatis, aut Regionis, aut certè Regni? Oves meas inquit. Cui non planum eſt non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur ubi diſtinguitur nihil.* Hæc Bernardus.

S. Bern. lib. 2. de Conſid. circa medium.

Digitized by Google

An etiam *iſtum cæcum dicere audebunt Adverſarii? Ergóne uſque adeo permiſcuit imis ſumma longus dies, ut videant* Nigrinus, Hamerſtedius, ac alii Pſeudo-Miniſtri *& cæci ſint* Bernardus aliique Sanctiſſimi & oculatiſſimi Viri, qui à tot ſæculis regnantem (ſi Adverſariis credendum ſit) Anti-Chriſtum conſpicere nullatenus potuerint? August. l. 2. cont Iulian. c. 10.

Quónam pacto fieri poteſt, ut ſanæ mentis quiſpiam, in animum inducat, ſibique perſuadeat, illum vel illos eſſe Anti-Chriſtos, quorum non eſt idem propoſitum ſeu finis, ſed planè diverſus & alius omninò, imò contrarius fini ipſius Anti-Chriſti? Certum quippe eſt, ea quæ ſunt ejuſdem naturæ, eoſdem fines, & quæ ſunt diverſæ aut contrariæ naturæ, etiam diverſos & adverſos fines ſectari. Contrariis autem finibus procurandis contrarias actiones: contrariis actionibus contrarias facultates, & his denique contrarias indoles ac naturas eſſe inditas. Finem aliquem habebit Anti-Chriſtus, eumque peſſimum, videlicet ut homines à Chriſto Domino, ejuſque Cultu & Fide, omnibus modis, vi, dolo, præſtigiis, minis promiſſis avertat. Hoc ipſum per ſe ſatis indicat ANTI-CHRISTI nomen, quod magis propriè ac preſsè ſumptum, non ſignificat eum qui quacumque ratione Chriſto Domino adverſatur: quo ſenſu dixit Beatus Joannes Apoſtolus: *Anti-Chriſti multi ſunt*; ſed antonomaſticè quadrat in eum, qui *in noviſſimis diebus ſeſe Chriſti Domini hoſtem ex profeſſo declaraturus eſt, & contrariis planè ſtudiis contrarios fines ſectaturus.* Ioan. epiſt. 1.

Deinde Romanum Pontificem non eſſe Anti-Chriſtum, apertiſſimè ex eo colligitur, quòd *Anti-Chriſtus* dicatur *Homo peccati, Filius perditionis*, Hæbraïcâ phraſi, *& illius adventus futurus in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt*: Atqui nihil minus veriſimile fingi vel dici poteſt, quam quòd Romani Pontifices, ejuſcemodi fines ſibi præſtituerint, eſto aliqui illorum non eâ fortaſſis vitæ morumq; integritate præfuerint ac præfulſerint, quam tanti & tam ſancti Officii ac Miniſterii ratio & dignitas ac ſublimitas 2. Theſſ. 2.

Digitized by Google

ſublimitas exigebat. Hoc nobis tacentibus proclamant tot ubique Academiæ, illorum authoritate, conſilio, auſpicio, munificentiâ & quandoque ſumptibus erectæ, tot indulta & favores in gratiam ſtudentium & docentium, tot fundata Collegia & Seminaria: tot Concilia & Synodi ad extinguendas Hæreſes, ad confirmandam Fidem, ad reformandos mores; tot Conſtitutiones, Decreta, Statuta, Leges & Legationes, Exhortationes, Miſſiones ad propagandam & ampliandam Chriſti Domini Fidem, tot egregia opera, quæ prolixius foret enumerare ac proſequi. Unde niſi Adverſariorum caligarent oculi, vel cœcitate voluntariâ cœcutirent, quàm facilè eſſet cernere tot Americæ Indiæque Occidentalis & Orientalis, Sinarumque & Japoniorum populos ad Chriſtianæ Fidei lucem & Romani Pontificis obedientiam acceſſiſſe, neque hoc eſſe Anti-Chriſti, vel emiſſariorum ipſius opus, verùm illorum quos dignatur Chriſtus Dominus adhibere, ut habeat
Pſal. 2. & 71. *Gentes hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ, ut dominetur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum, ac omnes gentes ſerviant ei.*

Adde Anti-Chriſtum fore certam aliquam ac determinatam perſonam, Apoſtolus enim vocat illum *hominem*
2. Theſſ. 2. *peccati*, non *homines*; *filium perditionis*, non *filios*; *ut quemadmodùm Abrahæ dicta ſunt promiſſiones & ſemini ejus*, non di-
Gal. 3. cit *& ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini ejus qui eſt Chriſtus*, ita etiam nobis dictæ ſint prædictiones, *de homine peccati*, non de hominibus, *de filio perditionis*, non de filiis: *non quaſi de multis, ſed de uno*, qui eſt Anti-Chriſtus. Sic etiam ante nos intellexerunt Sancti Patres Irenæus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Magnus, Theodoretus & Damaſcenus: totus igitur Romanorum Pontificum ordo non poteſt eſſe Anti-Chriſtus, quem certam definitamque fore Perſonam, tam Scriptura quàm Patres nobis prænuntiant.

Denique ſi Papa eſſet ipſiſſimus Anti-Chriſtus (ut

omnes

Digitized by Google

omnes Adverſarii noſtri ſibi perſuadent & pertinaciſſimo errore credunt) certè neceſſe foret, ut quæcumque dicuntur in Scriptura, & à Patribus intelliguntur de Anti-Chriſto, competerent Romano Pontifici.

Deberet itaque primò *magnificari adverſus omnem* Dan. 11.
Deum, nec quemquam Deorum curare.

Secundò, *Deum Patrum ſuorum non reputare.* Dan. 10.

Tertiò, *Blaſphemare Tabernaculum Dei, & eos qui in Cælo habitant.* Apoc. 13.

Quartò, *Pro Meſſia ſeſe obtrudere.* Ioan. 5.

Quintò, *Haberi pro Deo, & Sermones contra Deum loqui.* Dan. 7.

Sextò, Ex *Iudæis oriundus eſſe*, quemadmodum inſinuat Chriſtus Dominus, dum Judæis ait: *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*: neque enim credibile videtur, ut alius accipiatur à Judæis, niſi Judæus & circumciſus, & Judaicorum retuum vel Sectator vel Simulator. 2. Theſſ. 2. Ioan. 5.

Septimò, Deberet *adventus illius eſſe ſecundùm operationem Sathanæ in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus, & decipere habitantes in terra, propter ſigna quæ data ſunt illi facere.* Apoc. 13.

Octavò, Debuiſſent *duo teſtes* apparuiſſe, *amicti ſaccis & prophetaſſe diebus mille ducentis & ſexaginta, cum poteſtate claudendi Cælum, & convertendi aquam in ſanguinem, ac percutiendi terram omni plaga. Item debuiſſent occidi & corpora illorum non poni in monumento ac poſt tres dies & dimidium, Spiritus vitæ à Deo intrare in eos, ita ut ſtetiſſent ſuper pedes ſuos & aſcendiſſent in Cælum in nube, videntibus inimicis.* Apoc. 11.

Nonò, Debuiſſet *juge ſacrificium eſſe ſublatum.* Dan. 9.

Decimò, A tanto tempore debuiſſent *omnes puſilli & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi habere characterem in dextera manu aut in frontibus, ne quis voluiſſet emere aut vendere, niſi qui habuiſſet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Apoc. 13.

Oſtendant igitur Adverſarii, qui Romano Pontifici nefarium illud nomen & rem imponunt, oſtendant (inquam) hæc omnia in eum quadrare. *Sed aperta & ma-*

nifeſta

Digitized by Google

Aug. l. de unit. Eccleſ. *nifeſta deligant, illa ſeponant quæ obſcurè ſunt poſita, & figurarum velaminibus obvoluta, ac ſecundùm nos & ſecundùm illos poſſunt interpretari.* Probent evidenter, quod excœcatis Sectatoribus ſuis fallaciſſimè perſuadent, ut eos ab unius Paſtoris Ovili deterreant & avertant, dum eundem Paſtorem Anti-Chriſtum, & Ovile illius eſſe Beſtiæ ſpelæum criminantur. Quibus cum Auguſtino dicere poſſumus. Aug. l. 2. cont. Petil. c. 51. *Cathedra vobis quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie* ALEXANDER *ſedet, vel aliæ Eccleſiæ, quibus nos hodie in Vnitate Catholica connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellatis Cathedram peſtilentiæ* (ſeu Anti-Chriſti) *Cathedram Apoſtolicam? Nunquid Chriſtus propter Phariſæos, Cathedræ in qua ſedebant ullam fecit injuriam? Nonne illam Cathedram Moyſi commendavit?* Matth. 23.

Ad hæc ergo reflectant & excitentur ac evigilent tot miſerrimè decepti & ſeducti, qui Communioni Romanæ conſociari & rejungi horrent ac refugiunt, ne in Anti-Chriſti Regnum incidant. Non patiantur inſidioſiſſimo illo commento ſibi diutius imponi, nec ita apud eos prævaleat *Lutheri, Zuinglii, Calvini, Nigrini, Hamerſtedii* authoritas, ut ſit ipſis αυτος εφα, malintq; cum iis errare, quàm cum tot ſanctiſſimis, integerrimis, & doctiſſimis Viris, *unum in Eccleſia ad tempus Sacerdotem, & ad tempus Iudicem vice Chriſti cogitare, eique ſecundùm magiſteria divina obtemperare.* Cyprian. Epiſt. 55. Meminerint *tentatum Schiſma hiatu terræ fuiſſe punitum, ut non dubitent hoc eſſe ſceleratius, quod eſt graviùs vindicatum.* Num. 16 Aug. l. 2. de bapt. Caveant ſibi ne *in Contradictione Coré pereant.*

CAPVT V.

Eccleſia Romana pura ab omni prorſus Idololatriâ.

Confeſſ. Reform. art. 28. GAllicana prætentæ Fidei Reformatæ Profeſſio ſic habet terminis expreſſis: *Damnamus Cœtus Papiſticos, quando-*

quandoquidem pura Dei Veritas ſit ab ipſis proſcripta, Sacramenta ſint corrupta, adulterata, falſificata, aut prorſus annihilata, & omnes Superſtitiones ac Idololatria in iis graſſentur. Ecce atrociſſima proculdubio ſententia, *atroque notanda lapillo.*

Sed quinam ſunt (quæſo) *Areopagitæ* illi, vel *Suſannæ Iudices, qui damnant Cœtus Papiſticos?* Nunquid hoſtes ſunt & perſecutores;ut poſſimus cum Pſalmiſta dicere; *Et inimici noſtri ſunt Iudices?* Nunquid illi ipſi ſunt, qui quum à nobis receſſerint, nec bene de nobis judicare nec loqui poſſunt; alioqui & ſine cauſa ſe receſſiſſe, & ſceleris ac ſacrilegi Schiſmatis reos ſe eſſe proderent? Quomodò autem *damnant*? Inauditos prorſus ac indictâ cauſâ, abſque ulla legitima poteſtate vel authoritate. Quis enim conſtituit *Calvinum*, quis *Bezam* & ejuſmodi homines, Papiſtarum Iudices?

Quos verò damnant? Planum eſt ex ſententiæ verbis: disertè enim pronuntiant ſe *damnare Cœtus Papiſticos.* Adeòque condemnatio illa percellit Summos Pontifices, Patriarchas, Primates, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Præpoſitos, Decanos, Paſtores, Clericos omnes citra exceptionem. Hoc idem condemnatoriæ ſententiæ fulmen impetit Sacratiſſimos Cæſares, Catholiciſſimos & Chriſtianiſſimos Reges ac Principes, Magiſtratus, Populos, totam denique (quaquaverſus diffunditur) Eccleſiam Romanam. Et hoc audet Excucullatorum, Fœdifragorum, Apoſtatarum ac Deſertorum colluvies decernere, judicare, pronuntiare ac promulgare.

Ergóne Idololatræ tot Sanctiſſimi Viri, *potentes in opere & ſermone coram Deo & omni populo.* Bernardus Clarevallenſis, Bruno Carthuſianus, Norbertus Præmonſtratenſis, Malachias Hibernus, Staniſlaus Cracovienſis, Thomas Cantuarienſis, Dominicus Calarogitanus, Franciſcus Aſſiſias, Antonius Patavinus, Thomas Aquinas, Nicolaus Tolentinas, Bonaventura Balneoregienſis, Ludovicus Galliarum Rex Pientiſſimus, Ludovicus Epiſ-

copus Toloſanus, Franciſcus de Paula, Ignatius de Loïola, Franciſcus Xaverius, Philippus Nerius, Carolus Mediolanenſis, Franciſcus de Sales & plurimi alii, quos omnes de Cœtu Papiſtico fuiſſe nemo ambigit?

Ergóne Idololatræ tot illuſtriſſimi ac invictiſſimi Martyres, qui Fidei ardore ſucceņſi tam vaſta terrarum ſpatia emenſi, tot maria prætervecti, & ad Tartaros, Japonios, Sinas, Indoſque ultimos delati, Doctrinam Evangelicam prædicarunt, ſuoque ſanguine ſigillarunt; dum interim Novatores in Europæ angulis, opimis ſpoliis inhiantes, armatorum præſidio circumſepti, munitionum aggeribus vallati ac ſecuri, non tam Infidelibus ad Fidem adducendis, quàm Fidelibus ab Orthodoxa Religione abducendis incumbunt? Itáne forſan Chriſto Domino ſucceſſit infœliciter, ut poſt deletam proprio ſuo, Apoſtolorumque ac Martyrum ſuorum Sanguine Idololatriam, aliquanto tempore poſt non ſolùm ipſa reſurgeret; verùm etiam longè altiùs cornua erigeret, & velut poſtliminio reſtituta glorioſiùs triumpharet? Si enim vera eſt Adverſariorum ſententia, id eſt, *Si in Cœtibus Papiſticis omnis Superſtitio & Idololatria graſſantur*, profectò conſequens eſt, ante Chriſti Domini adventum, nunquam fuiſſe Idololatriam in eo gradu ac faſtigio, in quo nunc eſt, poſt ejuſdem Domini adventum, poſt Paſſionem, poſt Mortem, poſt Spiritus Sancti Miſſionem, poſt Evangelii Prædicationem, & quidem in illis Regionibus, in quibus (juxta Adverſarios noſtros) *omnis Superſtitio & Idololatria graſſantur.*

Cogitet & reflectat prudens Lector, quanta ſit Romani Pontificis Dignitas & Authoritas, quanta Poteſtas, quanta Præcellentia, quanta Majeſtas, quantum ei deferant Catholici cujuſcumque conditionis. Quis Splendor Sacri Cardinalium Senatus, in quem Regum ac maximorum Principum filii cooptantur, & hoc ſibi maximo ducunt honori.

Perpendat & expendat quis, qualis, & quantus ſit

Ordo

Ordo Epiſcoporum, Abbatum, Cathedralium & Collegiatorum Canonicorum, aliorumque Eccleſiæ Miniſtrorum, quæ Dotes & Fundationes, quales Templorum ſtructuræ, quantus Sacrorum Vaſorum apparatus, quæ & qualia Altarium ornamenta, Sacerdotum indumenta & ejuſcemódi. Hæc demùm omnia conferat cum Gentilium Idololatria, cum ſacrilegarum Superſtitionum Antiſtitibus, cum Sacrificis & ſimilibus, videbit quanto intervallo impia & Ethnica ſacra abſint, non jam dico à veritate & pietate noſtrorum, ſed à ſplendore & cultus externi decore ac magnificentiâ: ut proinde ſi verum foret quod pronuntiant inimici noſtri, non tam deſtructa ſeu abrogata foret Idololatria; quàm in longè honorificentiorem ſtatum mutata & erecta.

Invexit Dæmon Hæreſes, invexit Schiſmata, invexit Mahometiſmum ſeu Alcoranum, ſed proſtratam ac profligatam Idololatriam nec erigere, nec reparare, nec inſtaurare hactenus valuit. Neque enim Græci vel Abiſſini vel Rutheni Schiſmatici in Idolomaniam lapſi ſunt, neque Mahometani ad eam defecerunt. Quodque magis mirandum eſt, ipſi perfidi ac obſtinati Judæi, qui ante Chriſti Domini adventum, proclives erant ad Idolorum cultum, non leguntur ab illius tempore, nec cernuntur vitulos aureos vel ulla alia Idola coluiſſe. Quomodò ergò ita *prævalere potuerunt Inferi Portæ*, adverſùs Eccleſiam Romanam (*cujus Fides*, teſte Apoſtolo, *annuntiatur in univerſo mundo*) ut in ea *omnis Superſtitio & Idololatria graſſarentur*? Nec valet quod prætexunt Adverſarii, nimirùm ſe Romanam dumtaxat Eccleſiam (quam Papiſticam indigetant) condemnare, abſolutè enim in monitione præfixa Catechiſmo Reformato aſſerunt *Diabolum diſſipaſſe Eccleſiam, feciſſe horribilem ruinam, deſtruxiſſe Sanctam Politiam*, verba ſunt ipſiſſima. Et inter Articulos Profeſſionis Fidei Reformatæ ponunt, *Eccleſiæ ſtatum fuiſſe interruptum, erigendam fuiſſe de novo Eccleſiam quæ erat in ruina & deſolatione*: Ergò tempore Reformatorum, Catech. Refor m. in præfat. Confeſſ. Fidei art. 31.

matorum,

matorum, hoc eſt, à centum & paulò ampliùs annorum curriculo, nulla erat vera Eccleſia: alioqui non fuiſſet *de novo erigenda*, ſed veræ (ſi quæ ſuperſtes fuiſſet & ab Idololatria immunis) debuiſſent ſeſe conjungere & aggregare prætenti Reformatores, quod minimè fecerunt. Hinc etiam atrociſſima infertur Chriſto Domino injuria ac blaſphemia; quum enim dixerit & promiſerit *Portas Inferi non prævalituras adversùs Eccleſiam ſuam*: ſi de facto ſic prævaluerunt, ut *Diabolus diſſiparit Eccleſiam & fecerit horribilem ruinam* (prout credunt & profitentur Adverſarii noſtri) quid aliud inde ſequitur, quàm quod Chriſtus Dominus, vel adversùs Diabolum prævalentem infirmus fuerit, vel infidelis in promiſſis, vel fallax in verbis. Quicquid horum dicatur impium eſt, blaſphemum eſt, Anti-Chriſtianum eſt, ita ut vel aures ipſæ verorum Chriſtianorum hoc refugiant audire.

Matth. 16.

Denique ut hujus Controverſiæ (quæ fundamentalis eſt) ſtatum accuratiùs explicemus, non alia de cauſa condemnantur Papiſtæ ſeu Papiſtici Cœtus, quàm quia *Corpus & Sanguinem Chriſti Domini adorant in Euchariſtia; deinde quia Sanctos colunt & invocant, ac eorum Reliquiis honorem deferunt: poſtremò quia Crucifixi* JESU, *Beatiſſimæ illius Matris, Apoſtolorum ac aliorum Sanctorum imagines piè venerantur.* Atqui ſi in his omnibus nullam eſſe ſuperſtitionem nec Idololatriam, imò nec Superſtitionis ac Idololatriæ umbram demonſtraverimus (quod ſequentibus Capitibus faciemus) per ſe corruet accuſatio illa (veriùs criminatio) ac iniquiſſima condemnatio, & non ſolùm nulla & inanis, verùm etiam injuſtiſſima Sole Meridiano clariùs apparebit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VI.

Eccleſia Romana pura ab omni prorſus Artolatria in adoratione Corporis & Sanguinis Chriſti Domini in Euchariſtiæ Sacramento.

IDololatriæ latiùs acceptæ nomen (& quidem juxta Etymologiam) tribuitur *avaritiæ* ab Apoſtolo, dum ait: *Mortificate membra veſtra, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Item attribuitur Gaſtrimargiæ, dum ad Philippenſes ſcribit: *Multi ambulant quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Quum enim lex ſit ac ordo generalis, ut unumquodque in finem ſuum rectà tendat; ſi homo contempto vel prætermiſſo unico fine ultimo, qui eſt Deus, alium ſibi eligat aut præſtituat, ſive divitias, ſive honores, ſive voluptates, hoc ipſo Idololatra quodammodo efficitur ac conſtituitur: peccat enim contra præceptum illud: *Non habebis Deos alienos coram me.*

Coloſſ. 3
Philip. 3.
Exod. 20

Sed propriè & preſsè loquendo, ex uſu jam recepto, *Idololatria eſt cultus impius, quo divinus honor exhibetur creaturæ*, juxta illud Sancti Ambroſii: *Idololatria honorificentiam Dei uſurpat, & vendicat creatura.* Adeóque neceſſe eſt hæc ad Idololatriam concurrere, nimirùm *ut quod honoris & cultus exhibetur creaturæ, id uni Deo debeatur, & hoc quod eſt honoris ac Cultus divini, ita exhibeatur creaturæ, quemadmodum uni Deo debuiſſet exhiberi*: alioqui his ſecluſis non *uſurpatur honorificentia Dei ut vendicetur creaturæ.* Unde *Hottonius* Miniſter Calvinianus in illa celeberrima Collatione cum Reverendo Patre noſtro *Matthia Hauzeur*, anno 1633. *Limburgi* publicè habitâ, aſſumens hoc velut indubitatum principium: *Quicumque honorem ſoli Deo debitum transfert ad creaturam eſt Idololatra*, eo ipſo ſuppoſuit

S. Ambroſ. Cōment. in 5. epheſ.

nihil

nihil aliud eſſe Idololatriam propriè ac preſsè ſumptam, quàm *honoris ſoli Deo debiti translationem ad creaturam.*

Trident. Seſſ. 13. can. 6. His prænotatis, fatemur quidem *in Sancto Euchariſtiæ Sacramento unigenitum Dei Filium eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum*: Imò & ipſum adoramus. Sed quid hinc colligunt aut inferunt Adverſarii noſtri? An fortaſſis nos *Artolatras eſſe*? Verùm in eodem Sacramento nec Panem agnoſcimus nec adoramus *Vnigenitum Dei Filium cultu latriæ, etiam externo colimus.* An idcirco vel Artolatriæ vel Idololatriæ accuſandi & condemnandi ſumus? Profectò ſi ita eſſet, duo clariſſima Eccleſiæ Lumina, duæ firmiſſimæ Fidei Columnæ, duo maximi & Sanctiſſimi Doctores poſt Apoſtolos, in eadem nobiſcum infidelitate verſarentur, *Ambroſius* ſiquidem explicans illud Pſalmi *Adorate ſcabellum pedum ejus quoniam* ſanctum eſt, ſic ait: *Diligentius conſideremus quid ſit ſcabellum, legimus enim alibi Cælum mihi thronus, terra autem ſcabellum pedum meorum: ſed nec terra adoranda nobis, quia Creatura eſt Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus* JESUS *in carnis aſſumptione ſuſcepit. Itaque per Scabellum terra intelligatur, per terram* CARO CHRISTI, *quam hodie quoque in Myſteriis adoramus.* Hæc Ambroſius. Sed in quibus (oro te) *Myſteriis adoratur Caro Chriſti,* niſi in Myſteriis Sacrificii & Sacramenti Euchariſtiæ? Si forſan dubitas, ecce manifeſtiùs tibi exponit *Auguſtinus* Ambroſii Auditor, & eundem Pſalmi Verſiculum (*adorate Scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt*) explicat hoc modo, *Cælum mihi Sedes eſt, terra autem Scabellum pedum meorum* (ait Dominus per Iſaïam Prophetam) *converto me ad Chriſtum, & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ Carnem accepit, & in ipſa Carne hîc ambulavit, & ipſam Carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam Carnem manducat niſi priùs adoraverit. Inventum eſt quemadmodùm adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.*

S. Ambroſ. lib. 3. de Spirit. S. cap. 12.

Auguſt. in Pſal. 98.

Iſai. 66.

Quid

Digitized by Google

Quid hîc dicent; quid reſpondebunt Adverſarii, niſi fortè calumnientur *Ambroſium* & *Auguſtinum* etiam Idololatriæ ſcelere contaminatos fuiſſe? Quandoquidem non poſſint Catholicos Idololatriæ criminis arguere, & condemnare, quin eâdem ſententiâ duos illos fulgentiſſimos & Sanctiſſimos Eccleſiæ Doctores involvant.

Addo hanc ratiocinationem ex præmemorati Miniſtri *Hottonii* principio formatam ac deductam.

Quicumque honorem ſoli Deo debitum transfert ad creaturam, eſt Idololatra.
Atqui nullus Papiſta honorem ſoli Deo debitum transfert ad creaturam:
Ergo nullus Papiſta eſt Idololatra.

Major eſt certa, & ut talis aſſumpta ab eodem Miniſtro *Hottonio*, in prædicta publica Collatione Limburgenſi cum *Reverendo Patre Hauzeur Ordinis Sancti Franciſci Recollecto.*

Minor patet, quia in Euchariſtia (de aliis poſtmodùm agemus) exhibetur quidem ſummus & ſupremus latriæ cultus, non tamen ulli creaturæ, ſed unigenito Dei Filio, JESU Chriſto, Domino noſtro, quem (ut verbis S. Ambroſii utar) *adoravit Maria prænuntia reſurrectionis, adoraverunt & Apoſtoli, adoraverunt Angeli de quibus ſcriptum eſt*, & adorent eum omnes Angeli ejus: *adorant autem non ſolùm divinitatem ejus, ſed etiam ſcabellum pedum ejus: & Carnem hodie quoque in myſteriis adoramus.* S. Amb. eod. lib. 3. de Spir. S. c. 12.

Si objiciat Adverſarius, Chriſti Domini Carnem non eſſe in Euchariſtia, proindeque nec illic adorandam. Reſpondeo hanc eſſe ſpecialem Controverſiam, quam ex profeſſo operoſiùs ac enucleatiùs, infra enodare conabimur. Interim dico & Ambroſium & Auguſtinum tantos utique & tales Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos & Doctores, veræ Fidei lumine illuſtratos, Carnem Domini illic agnoviſſe, quandoquidem ille diſertis verbis aſſerat *in Myſteriis adorari*: hic verò teſtetur *neminem illam Car-*

nem manducare, niſi prius adoraverit: & non ſolum non peccari adorando, ſed peccari non adorando.

Hic ego te compello, quiſquis es Sacramentariorum errore dementatus, quibus magis credendum putes? *Zuinglione Helvetio*, ejusque Sectario *Calvino*: an verò Sanctis *Ambroſio* & *Auguſtino*? Si tibi vel rationis ſcintilla reliqua eſt, expende, perpende & pondera quos quibus anteponere debeas. Neque enim dubito, ſi ſapias, quin Auguſtiſſimos, Sanctiſſimos, Antiquiſſimos & Sapientiſſimos Patres, novis hominibus (ne quid deterius dicam) & Novatoribus ac ſomniatoribus prælaturus ſis: maximè quum *Ambroſius* & *Auguſtinus* à Spiritu Sancto edocti fuerint, *Zuinglius* autem calamo proprio faſſus fuerit ſe à phantaſmate tenebricoſo monitum, nocturno tempore; ut veram Chriſti Domini Carnem in Euchariſtia negaret, & pro ea ſolam ac nudam duntaxat figuram agnoſceret & propalaret.

CAPVT VII.

Eccleſia Romana pura eſt ab omni prorſus Hagiolatria, in Cultu & Invocatione Sanctorum.

EX ſupradictis conſtat, Idololatriam nullatenùs committi, niſi *cultus vel honor ſoli Deo debitus transferatur ad creaturam*; atqui in cultu & invocatione Sanctorum (prout in praxi eſt apud Eccleſiam Romanam) honor ſoli Deo debitus non transfertur ad creaturam, nulla igitur intervenit Idololatria.

Minor patet, quià quantumvis Sancti cum Domino regnantes ſint creaturæ; attamen invocatio, cultus vel honor (quem illis exhibet Eccleſia Romana) ejuſmodi eſt, ut nec ex natura vel conditione ſua, nec ex lege ulla vel conſuetudine, nec ex intentione quâ Catholici Sanctos

ctos colunt, poſſit cenſeri divinus. Quod hâc inductione probari poteſt.

Primò, Sanctos colimus, quum ab illis petimus ut pro nobis Deum orent.

Secundò, Quum Deum ipſum deprecamur, ut Sanctorum intuitu aliquid nobis elargiatur.

Tertiò, Quum in eorum Memorias templa conſtruimus, aras erigimus, feſta celebramus, & ſacra facimus.

Quartò, Quum in eorum honorem aliquid promittimus vel vovemus.

Quintò, Quum eorum ſanctitatem vel excellentiam prædicamus, vel externis actibus teſtamur, ut genu flexione, corporis inclinatione & ejuſcemodi.

Atqui in his omnibus nullus eſt omninò colendi modus, qui jure poſſit cenſeri divinus aut ſoli Deo debitus, nulla igitur intervenire poteſt Idololatria.

Probatur *Subſumptum* per ſingulas partes.

Quod enim ſpectat ad *primum modum* ſupramemoratum, tantùm abeſt ut ſit divinus; ut potiùs nihil magis poſſit eſſe à Deo alienum: quandoquidem habere ſuperiorem, & accedere ſupplicem alteri tanquam ſuperiori (quod ut Sancti pro nobis faciant, poſtulamus) planè Deo repugnet: modus ergo ille colendi Sanctos, quo ipſorum pro nobis interceſſionem poſtulamus, nullatenus poteſt eſſe divinus, quum nec Deo ſit debitus, nec ei ullo modo poſſit competere.

Quòd attinet ad ſecundum modum, quo videlicet *Deum ipſum obſecramus ut Sanctorum intuitu aliquid nobis elargiatur*, hoc ipſo proteſtamur Sanctos eſſe Deo inferiores, unde nihil poteſt in hoc ſubeſſe Idololatriæ: alioquin Idololatra fuiſſet Moyſes, dum oraret & diceret Domino; *Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël ſervorum tuorum.* Idololatra fuiſſet Azarias ſic orans: *neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſraël Sanctum tuum*: Idololatra fuiſſet qui dicebat: *Memento miſericordiarum David ſervi tui.*

Exod. 32.
Daniel. 3.
2. Paralip. 6.

Digitized by Google

tui. Adde Deum ipſum ſic olim Ezechiæ Regi promiſiſſe, *protegam Vrbem hanc* (Hieruſalem) *& ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.*

4. Reg. 19.

Quid eſt quæſo *propter me & propter David ſervum meum*, niſi meiipſius & David ſervi mei intuitu? Quod ergo Deus ſe facturum promittebat, etiam ut faceret, rogari poterat; ut nimirùm *protegeret urbem & ſalvaret eam propter David ſervum ſuum.* Si verò ejuſcemodi precatio eſſet Idololatrica, in quem tandem refundenda foret, niſi in eum qui decrevit & diſertis verbis affirmavit *ſe protecturum urbem, & ſalvaturum propter David ſervum ſuum*? Itaque (quod horrendum eſt cogitare) Deus ipſemet Idololatriæ Author habendus eſſet.

Venio ad tertium modum ſupra recenſitum, quo Catholici Sanctos colunt, dum *in eorum Memorias templa conſtruunt, aras erigunt, feſta celebrant, & ſacra faciunt.*

Verùm in his omnibus nihil aliud facit Eccleſia, quàm quod Auguſtini tempore faciebat. Audiamus igitur quem Calvinus *optimum ex tota Antiquitate & fideliſſimum teſtem* agnoſcit. Audiamus inquam Auguſtinum Eccleſiæ patrocinantem adversùs Fauſtum Manichæum, *qui calumniabatur Catholicis quòd Martyrum Memorias honorarent, in hoc dicens eos Idola convertiſſe.* Huic calumniæ reſpondens Sanctus Doctor: *Populus Chriſtianus* (inquit) *Memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo ſacrificemus, quamvis in Memorias Martyrum conſtituamus Altaria. Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Corporum aſſiſtens Altari, aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud Memorias eorum quos coronavit: ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus.* Hæc Auguſtinus, qui illud ipſum alibi repetit & inculcat, dum ſic adversùs *Trimegiſtum* ait: *nec tamen*

Calvin. l. 4. Inſtit. c. 4. Aug. l. 20. contra Fauſt. c. 21.

Lib. 8. de Civitate Dei, cap. 27.

tamen nos Martyribus templa, Sacerdotalia Sacra & Sacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè Memorias eorũ tanquam ſanctorum hominum Dei. Quis autem audivit aliquãdo Fidelium, ſtantem Sacerdotem ad Altare (etiam ſuper Sanctum Corpus Martyris) ad Dei honorẽ cultumq́ conſtructum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane? quum apud eorũ Memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & Sanctis ſuis Angelis cœleſti honore ſociavit: ut ea celebritate & Deo vero de illorum Victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem, eodem invocato in auxilium, ex eorum Memoriæ renovatione adhortemur. Quæcumque igitur adhibentur Religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt Memoriarum, non ſacra vel ſacrificia mortuorum tanquam Deorum. Quicumque etiam epulas ſuas eò deferunt, Sanctificare ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum. Non autem iſta eſſe Sacrificia Martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur Sacrificium Chriſtianorum.

Porrò ſi juxta eundem Sanctum Doctorem, *inſolentiſſima inſania eſt, diſputare quin faciendum ſit, quod tota per orbem frequentat Eccleſia*: quantæ erit non ſolummodo inſaniæ, verùm etiam arrogantiæ, velle tanquam idololatricum condemnare, quod *tota per orbem* (teſte Auguſtino) *frequentavit Eccleſia*, & etiam nunc frequentat. Aug. epiſt. 118. ad Ianuar. c. 5.

Quartus colendi modus ſupra fuit aſſignatus, quum nimirum *in honorem Sanctorum aliquid promittimus vel vovemus*. Sed nec in hoc ſubeſſe quicquam Idololatriæ, patet ex publicâ primitivæ Eccleſiæ conſuetudine, quam Chriſtianorum omnium nomine exprimit Euſebius, dum ait: *Nos veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaq́ illis facimus, tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum, non parum nos juvari profitemur.* Euſeb. l. 13. præp. Evang. c. 7.

Deinde ex cõmuni ac recepto uſu Eccleſiæ votum eſt quid commune & analogum ad promiſſionem factã Deo & Sanctis. Quemadmodum oratio eſt quid Generale & ana-

analogum ad eam quâ Deum ipſum oramus, & ad eam quâ Sanctos, ut pro nobis intercedant, obſecramus: & illa quidem eſt latriæ, hæc verò non. Item communi obedientiæ vocabulo nuncupatur tam illa quæ Deo, quàm illa quæ Superioribus exhibetur: quod & de honore, & de charitate (quantumvis ſit virtus theologica) etiam dici conſuevit: ita etiam voti nomen ad eam promiſſionem quæ fit Deo, & ad eam quæ fit Sanctis extenditur: cum hoc tamen diſcrimine, quòd promiſſio Deo facta ſit cultus latriæ, non autem promiſſio quæ fit Sanctis; quamvis illis voveant Catholici ex illorum reverentia, quos teſtes adhibent obligationis voti, & quibus tanquam Dei amicis gratam eſſe promiſſionem non ambigunt: & quorum interceſſione adjuti ſtatuunt adimplere quod vovent.

Denique quintus colendi modus ſupra allatus fuit, quum Sanctorum excellentiam prædicamus, vel externis actibus teſtamur, ut genuflexione, corporis inclinatione & ejuſcemodi. Verùm hæc & ſimilia officia, tum ex natura & conditione ſua, tum ex uſu & conſuetudine ipſa, ad honorandas etiam creaturas uſurpari ita evidens eſt, ut à nemine poſſit in dubium revocari. Quid enim frequentius in Scripturis quàm præconia ſanctitatis & excellentiæ Sanctorum? Hoc manifeſtè patet in *Eccleſiaſtico* à Capite quadrageſimo quarto uſque ad quinquageſimum, & in *Paulo* per totum Caput undecimum Epiſtolæ ad Hebræos. Quid etiam uſitatius apud Patres Latinos & Græcos, quàm orationes, & ſermones in Natalitiis

Ioſ. 5. Sanctorum? Quod autem attinet ad corporis inclinationes, genuflexiones & ejuſcemodi, *nunquid Ioſuè cecidit*

1. Paral. c. 29. *pronus in terram, & adoravit Principem exercitus* Domini? Nunquid tempore David Regis piiſſimi, *benedixit omnis*

4. Reg. c. 1. *Eccleſia Domino Deo Patrum ſuorum, & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem*? Nónne *Princeps quinquagenarius curvavit genua contra Eliam, & precatus eſt eum*? Sed de his fuſiùs infra.

CAPUT

CAPVT VIII.

Eccleſia Romana pura eſt ab omni Iconolatria in Veneratione Sacris Imaginibus & Reliquiis exhibitâ.

DUpliciter honorantur Sanctorum Reliquiæ. Primò, *Quum reverenter tractantur & aſſervantur*, quia videlicet Sanctorum hominum (qui viva Chriſti Domini membra, & Spiritus Sancti templa fuerunt) vel corpora ſunt, vel corporum partes, vel corpora attigerunt, vel iis ad uſum aliquem ſervierunt. In his autem omnibus nihil poteſt eſſe aut fingi, quod vel minimam Idololatriæ ſpeciem præ ſe ferat, quandoquidem nihil prorſus interveniat cultus divini: adeòque honor vel cultus ſoli Deo debitus nullo modo transferatur ad creaturas.

Quis abominandi criminis Idololatriæ arguerit mulierem illam, *quæ quum Sanguinis fluxum pateretur à duodecim annis, acceſſit retrò & tetigit fimbriam veſtimenti* JESU, *dicens intrà ſe, ſi tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero*? Matt. 9. Quis (inquam) audeat arguere Idololatriæ; quum ore Dominico fides & devotio piæ mulieris laudata fuerit? Quis improbet factum Moyſis, qui quum educeret Populum fidelem ex Ægypto, *tulit oſſa Ioſeph ſecum*? Exod. 13. Certè Deus ipſe Sanctorum ſuorum Reliquias magno affecit honore, *dum projectum cadaver in Sepulchrum Elizæi Prophetæ, ubi primùm tetigit oſſa ejuſdem Prophetæ, revixit & ſtetit ſuper pedes ſuos*: 4. Reg. 13. dum *virtutes non modicas fecit Deus per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur à Corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* Act. 19.

Addo *umbram* longè quid minus eſſe quàm vel corpus, vel corporis partem, vel indumentum aut quid ſimile: Ecce tamen Apoſtoli ſui *umbram* ita honoravit Deus, *ut in plateas ejicerentur infirmi, & ponerentur in lectu-* Act. 5.

lis

lis ac grabatis; ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis.

Secundò, Reliquiæ Sacræ honorantur *relativè*, hoc eſt cultu relativo ac relato ad Sanctos ipſos, quorum ſunt Reliquiæ; quemadmodum honorantur Imagines: ita tamen ut honor referatur ad prototypa; ſed potiori nihilominus jure honorentur Reliquiæ, quo majorem & potiorem habent cum Sanctis connexionem, quam Imagines cum prototypis, quorum duntaxat ſimilitudines ſunt.

Dico itaque ulteriùs (quod antea toties inculcatum eſt) tunc *Idololatriam committi, quando cultus vel honor ſoli Deo debitus transfertur ad creaturam:* Atqui dum Eccleſia Romana veneratur Imagines (eademque eſt ratio dum cultum relativum exhibet ſacris Reliquiis) nullatenus honorem ſoli Deo debitum transfert ad creaturas; ergo nullatenus committit Idololatriam.

Probo *Subſumptum*: quia ſicut ad ipſoſmet Sanctos colendos non uſurpat honorem vel cultum divinum, ſic nec ad eorum Imagines venerandas; quandoquidem has nonniſi relativè ad illos veneretur. Itaque quemadmodùm Imagines ipſas ad aliud quidpiam, nimirùm ad ipſas res repræſentatas, cogitatione ac intentione refert, ita dum coram iiſdem Imaginibus, honorificas quaſdam actiones exercet, nullo modo cogitat vel intendit excitare opinionem aut exiſtimationem aliquam excellentem de Imaginibus, ſed de prototypis ad quæ referuntur Imagines, eaque repræſentant. Hoc eſt quod perſpicuè declararunt Patres ſeptimæ Synodi, actione tertiâ, his verbis, *Imagines colimus, non in materia aut coloribus honorem conſtituentes; ſed hoc officium noſtrum, ipſis quorum typum Imagines geſtant, impertientes: quum ſciamus ſecundùm Baſilii magni ſententiam, honorem Imaginis exhibitum referri ad prototypum.* Quod ipſum repetunt iidem Patres actione quartâ, & aliorum Sanctorum Patrum authoritatibus confirmant. Tridentina verò Synodus poſtquam Seſ-

ſione

ſione vigeſima quinta, venerationem Imaginibus ſacris impertiendam eſſe ſtatuit, hoc ſenſu deciſionem ac intentionem ſuam explicat: *Non quòd credatur* (inquit) *ineſſe aliqua in iis divinitas vel virtus, ſed quoniam honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa. Ita ut per Imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus; & Sanctos quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Hæc Synodus Tridentina.

Quum autem hæc ſit *controverſia facti* potiùs *quàm Iuris*, utrùm videlicet Catholici, dum Sanctos colunt, dum eorum Reliquias aut Imagines venerantur; ita ſint affecti, ut ſibi perſuadeant eoſdem Sanctos aut Reliquias, aut Imagines eſſe Deos, proindèque actu cogitent vel intendant honorem aut cultum divinum iis tanquam Diis exhibere? à nemine ſciri meliùs poteſt, quàm ab iiſdem Catholicis, qui probè ſciunt & interrogati reſpondere poſſunt, ſe nec Sanctos aut eorum Reliquias aut Imagines pro Diis habere, nec ut talibus cultum vel honorem exhibere.

CAPUT IX.

De variis Beati Auguſtini Collationibus & Concertationibus cum diverſis Hæreticis.

NEmini dubium eſſe poteſt, quin Sanctus Doctor Auguſtinus, tantus utique Catholicæ militiæ pugil & Athleta, ac *Hæreticorum validiſſimus malleus* (ut ait Sanctus Bernardus) multiplices cum Eccleſiæ hoſtibus Colluctationes habuerit; ſed quatuor duntaxat ipſemet commemorat, ex quibus genuina Hæretici Genii indoles evidentiſſimè dignoſci poteſt ac diſcerni. Ut autem diſtinctiùs procedamus, eaſdem Colluctationes per aliquot ſequentes Sectiones compendiosè proponemus.

S. Bern. Serm. 80. in Cant.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

Diſputatio Publica inter S. Auguſtinum & Fortunatum Manichæum.

Aug. lib. Retract. cap. 16.

PRimus itaque Congreſſus fuit cum *Fortunato Manichæo, qui plurimùm temporis apud Hipponem vixerat, ſeduxeratque tam multos, ut propter illos ibi eum delectaret habitare. Diſputatio excepta eſt à Notariis. Tandem confeſſus eſt, nihil ſe adversùs* CATHOLICOS *invenire quod diceret.* Nec ſanè *Catholicus factus eſt; ſed tamen ab Hippone diſceſſit.*

Aug. lib. cont. fortunat. Manich.

In prima Diſputatione Fortunatus dixit: *Ex te præſentes audiant Viri boni, utrùm vera ſint ſuper quibus criminamur.* Reſpondit Auguſtinus, *Alia eſt quæſtio de Fide, alia de moribus.* Fortunatus dixit: *Purgare me priùs volo.* Ita nimirùm declinare & ſubterfugere ſolent Hæretici; ſed illicò ſubjunxit Auguſtinus: *Ad aliud vocas, quum ego de FIDE propoſuerim.* Fortunatus iterùm dixit, *Noſtra profeſſio ipſa eſt, quòd incorruptibilis ſit Deus. Vnam Fidem ſectamur hujus Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Auguſtinus reſpondit: *Non debemus fruſtrare tantos qui præſentes ſunt, & de quæſtione propoſita ire in aliud.* Hoc familiariſſimum eſt Hæreticis, ut propoſito Articulo aliquo diſcutiendo, mox ante illius ſolutionem ad alium tranſiliant. Fortunatus rursùs oppoſuit: *Anima Deus eſt, an non? Si juſtum eſt* (ait Auguſtinus) *ut interrogatis meis non reſpondeatur & ego interroger, reſpondebo.* Rurſus Fortunatus dixit: *Si in proprio agit anima, hoc à te quæro.* Reſpondit Auguſtinus: *Memineris te noluiſſe reſpondere interrogatis meis, me autem tuis reſpondere. Illud reſpondeo de Anima, non eſſe Deum.* Fortunatus dixit: *Ergo negaſti animam ex Deo eſſe.* Reflecte benevole Lector, ſic ſolere ab Hæreticis inverti ordinem diſputationis, & perverti verba & ſenſum diſputantis. Reſpondit autem Auguſtinus, *Animam ſic negavi eſſe ſubſtantiam Dei, ut negem illam eſſe Deum; ſed tamen ex Deo Authore eſt, quia à Deo facta eſt.*

Digitized by Google

In ſecunda cum eodem *Fortunato* diſputatione, Fortunatus dixit: *Conſtátne apud conſcientiam veſtram, à Deo veniſſe Chriſtum*? Reſpondit Auguſtinus: *Iterum me interrogas, ad interrogata reſponde.* Fortunatus tandem, *Quid ergo dicturus ſum*, inquit? *Si confiteris* (ait Auguſtinus) *non habere te quod reſpondeas, omnibus audientibus & recognoſcentibus, quoniam* Fideles ſunt, CATHOLICAM FIDEM (ſi permittunt & volunt) EXPONAM. Fortunatus dixit: *Sine præjudicio Profeſſionis meæ dixerim; illa quæ à te opponuntur quum retractavero meis cum Majoribus, ſi minùs reſponderint erit in mea contemplatione (quia & ego animam meam cupio certâ fide liberari) venire ad hujus rei inquiſitionem, quæ à te mihi offertur.* Auguſtinus dixit, *Deo gratias.*

SECTIO II.

Collatio Publica cum Donatiſtis Hæreticis.

SEcunda, eaque celeberrima fuit Collatio Beati Auguſtini ac aliorum ducentorum octoginta quinque Catholicæ Communionis Epiſcoporum, cum ducentis ſeptuaginta noveni Donatiſtis Epiſcopis, Carthagine in Aphrica, in Thermis Gargilianis, coram Marcellino Viro Illuſtri, Cognitore dato ab Imperatore, ut nimirùm *de quæſtione facti cognoſceret & pronuntiaret.* Hoc enim erat *principale negotium* (teſte Beato Auguſtino) *ut* CRIMINA *quæ ſolebant Donatiſtæ dicere in Eccleſiam toto orbe diffuſam,* SI POSSENT, PROBARENT. Sive *ut crimina quæ ſolebant Donatiſtæ Communioni Catholicæ objicere, vel probarentur vel diluerentur, ut poſſet Donatiſtarum ſeparatio vel defendi, vel corrigi.* Hoc ipſiſſimum eſt benevole Lector, quod & toties & tam operosè hactenus à Catholicis efflagitatum eſt, videlicet ut Lutherani, Zuingliani, Calviniſtæ, & alii probent crimina, quæ ſolent Communioni Catholicæ objicere; adeòque eorum *Separatio* vel *defendi* poſſit, ſi probaverint; vel *corrigi* ſi non probaverint. Sed nihil horum

Aug. in Brevic. Collat. cum Donatiſt. Et in lib. ſeu epiſt. poſt Collat.

 præſtant,

Digitized by Google

præſtant, quia ſufficit ipſis ut criminentur; ſed ut probent convincantque, nec laborant nec ſatagunt.

In illa autem Carthaginenſi Collatione mirùm dictu, quot dolos regulari Hæreticorum omnium more adinvenerint Donatiſtæ, quas fraudes contexuerint, quos laqueos innexuerint, quot ſubterfugia & diverticula quæſierint, quibus impoſturis artificiosè fucatis & palliatis abuſi fuerint. Teſtis eſt Auguſtinus omni exceptione major, omnibus Collationis Actionibus præſens, & in iis Collator Primarius, Genii Hæretici explorator perſpicaciſſimus: teſtis (inquam) & oculatus & auritus.

Primò quidem Donatiſtæ *qui cauſam bonam non ſe habere ſciebant, id egerunt quantum potuerunt, ut nec ipſa* COLLATIO *fieret, & ut prorſus* CAUSA *ipſa non ageretur. Sed quia hoc obtinere minimè potuerunt; id effecerunt multitudine geſtorum, ut quod actum eſſet, non facilè legeretur.*

Secundò, Quum Cognitor inquiſiſſet utrum ſicut à Catholicis videbat; ita etiam à parte Donati jam eſſent electi qui ſuſceptam cauſam peragerent: reſponſum eſt à parte Donati, *quòd jam eſſet acta à Catholicis cauſa. Deinde inſtare cœperunt, ut priùs ageretur de tempore, de mandato, de perſona, de cauſa; tunc ad negotii merita veniretur.* Et quum Cognitor interlocutus eſſet, *nihil de cauſa eſſe mutilatum*: ac rurſus inquiſiſſet, *utrùm de conſtituto numero Diſputantium, Edicto ejus paritum fuerit*: cœperunt Donatiſtæ agere de tempore, quoniam cauſa ipſa agi non poſſet; quia dies præteriiſſet. Et petebant ut *tanquam in contumaces Catholicos ſententia proferretur.* Quaſi admoniti Catholici vel evocati defuiſſent.

Tertiò, Quoniam Cognitor dixerat, *de tempore præſcribere ut cauſa non ageretur, non Epiſcopalis ſed forenſis potiùs eſſe objectionis*: invenit occaſionem Pars Donati quà diceret, *nihil ego ſecum agi publico jure debere; ſed tantùm divinis teſtimoniis.* Reſponſum eſt à Catholicis, *ut juberetur mandatum Catholici Concilii recitari; ubi electis diſputatoribus agendi modus injunctus eſt.* Quum Cognitor interlocutus fuiſſet,

Digitized by Google

fuiſſet, *in mandato Catholicorum magis divina teſtimonia, quàm forenſia vincula eſſe prolata* : & juſſiſſet etiam ſubſcriptiones omnium recitari ; conflictus exortus eſt, quum Donatiſtæ exigerent eorum præſentiam qui mandato ſubſcripſerant. Voluntati eorum cedentibus Catholicis, ut omnes qui ſubſcripſerant, ingrederentur; apparuit poſtea hoc ideò voluiſſe Donatiſtas, quia exiſtimabant non conveniſſe Carthaginem tot Catholicos Epiſcopos, quot ſubſcriptiones oſtendebantur: Catholici enim non eâ pompâ quâ illi, Carthaginem fuerant ingreſſi. Recitata ſunt etiam Donatiſtarum nomina. Inventi ſunt quidam, pro quibus abſentibus alii ſubſcripſerant. Inventus eſt etiam unus, qui ſuo nomine recitato non reſponderet. Sed Donatiſtæ dixerunt *eum in itinere eſſe defunctum.* Et quum quærerent Catholici, *quomodò potuerit apud Carthaginem ſubſcribere, qui fuerat in itinere defunctus* ? Illi diu fluctuaverunt neſcientes quid reſponderent. Cognitor hanc eorum falſitatem deprehenſam, judicio Dei relinquens juſſit cætera nomina recitari. Quibus recitatis quæſivit de numero Epiſcoporum partis utriuſque. Reſpondit officium, *nomina Donatiſtarum Epiſcoporum eſſe ducenta ſeptuaginta novem*, annumeratis etiam illis pro quibus abſentibus alii ſubſcripſerant, & illo defuncto : *Catholicorum autem omnium præſentium nomina eſſe conſtitit ducenta octoginta ſex.* Et quoniam ſe Donatiſtæ de numeroſitate jactabant; dictum eſt à Catholicis, *alios Epiſcopos centum & viginti non veniſſe Carthaginem : quòd quidam eorum ſenectute, quidam infirmitate, quidam diverſis neceſſitatibus eſſent impediti.* Quod quum audiſſent Donatiſtæ, reſponderunt *etiam ſuos multò plures non veniſſe Carthaginem* : quum tamen in ſua Notoria quam Cognitori dederant, apertiſſimè dixiſſent *ſe omnes veniſſe.*

Reflecte *Benevole Lector*, & horrendum divinæ ultionis exemplum obſtupeſce ſimul & expaveſce. Ecce temporibus Auguſtini erant in Aphrica *quadringenti & ſex*

Digitized by Google

Epiſcopi Catholici. Sed quum infœliciſſima illa orbis terrarum pars, januam *Manichæis, Arianis, Donatiſtis, Maximianiſtis, Rogatianis, Circumcellionibus*, aliiſque Hæreticis aperuiſſet; tum demùm à ſuperveniente *dracone Mahometano devorata eſt.* Caveat Europa noſtra ne in Aphricæ *judicium incidat*, hoc eſt, ne infauſtæ illæ Europeæ Regiones, quæ Lutheraniſmum, Zuinglianiſmum, Anabaptiſmum, Calviniſmum, Socinianiſmum, totq; alias Sectas, *Alcorani Ancillas Oſtiarias*, intra domeſticos parietes expãſis brachiis ultrò cõplexæ ſunt; tandem veſanæ inſaniæ pœnas luant, & irrumpenti *beſtiæ quæ aſcendit de terra*, in prædam cedant.

Quartò, Quum Cognitor juſſiſſet, principale negotium jam proponi, dictum eſt à Catholicis, *olim ſe agere velle principale negotium: & hoc eſſe ut crimina, quæ ſolent Donatiſtæ dicere in Eccleſiam toto orbe diffuſam, ſi poſſent, probarent.* Reſponſum eſt à Donatiſtis, *Vt priùs quæreretur, qui eſſent* QUI AGERENT. Volebant enim ut conſtaret CATHOLICOS ESSE PETITORES; ut ex forenſi jure poſſent diſcutere perſonas Petitorum: quum jam in actione prima recitatum fuiſſet Catholicorum mandatum, ubi oſtendebant ſe non PETITORES eſſe; ſed DEFENSORES.

Quintò, Etiam de *Catholico nomine*, apud quos potiùs eſſet, pauca ab utraque parte invicem dicta & objecta ſunt. Quũ dicerent Donatiſtæ *apud ſe potiùs eſſe Catholicam*; Catholici breviter reſponderunt: *Eccleſiæ toto orbe diffuſæ (cui teſtimonium perhibet Scriptura Divina) ipſi* Catholici; *non autem Donatiſtæ communicant: unde Catholici meritò & ſunt & vocantur.* Donatiſtæ verò reſponderunt, *Catholicum nomen non ex univerſitate Gentium; ſed ex plenitudine Sacramentorum inſtitutum.* Et petierunt ut probarent Catholici *ſibi communicare omnes gentes.* Quod Catholici quum gratiſſimè acciperent, & peterent ut hoc probare permitterentur; rurſus cæperunt Donatiſtæ à cauſa Eccleſiæ reſilire, de PETITORIS perſona ut conſtaret, inſtando. Hoc videntes Catholici, noluerunt perſonam ſuſcipere PETITORUM, aſſerentes *non ſe objicere crimina, ſed objecta*

jecta defendere. Donatiſtæ verò aſſerebant, *quocumque modo ultrò Catholici cogerent ſibi Adverſarios reſpondere,* PETITORUM *eos habere perſonam.* Catholici reſpondebant, *ad hoc ſe petiiſſe Collationem, non ut objicerent diluenda; ſed ut objecta diluerent.* Hîc Donatiſtæ identidem petere cæperunt, *ut Cognitor de* PETITORUM *perſona pronuntiaret.* Et pronuntiavit dicens, EUM ESSE PETITOREM, QUI CRIMINA OBJICERET.

Sextò, Teſtimonia quibus oſtenditur Eccleſia Catholica per totum mundum diffundi, incipiens ab Hieruſalem; unde in propinqua & longinqua creſcendo, etiam in Aphricam venit, & in alia loca & Civitates, quibus Donatiſtas non communicare manifeſtum eſt; non ſolùm non pertractare, ſed omninò nec attingere voluerunt iidem Donatiſtæ. Nec aliquod teſtimonium proferre auſi ſunt de Scripturis Sanctis, quò aſſererent Eccleſiam Partis Donati eſſe prædictam & prænuntiatam: ſicut tam multa Catholici protulerunt pro Eccleſia cui communicant, quæ incipiens ab Hieruſalem toto orbe diffunditur. Illud oſtendere tentaverunt Donatiſtæ, *quòd Eccleſia Dei non cum malorum hominum commixtione, futura prædicta ſit.* Et tamen ad ſimilitudinem de *retibus in mare miſſis,* quibus *congregari* dixit Dominus *omnia genera piſcium, & bonos à malis in littore,* hoc eſt, *in fine ſæculi ſeparari*; etiam ipſi faſſi ſunt, *in Eccleſia eſſe permixtos ſaltem* OCCULTOS *malos.* Sed ſimilitudinem *de Ovibus & Hædis* qui ſimul paſcuntur, *& in ſæculi fine ſegregabuntur,* omninò attingere noluerunt. Neque enim poterant illic dicere, etiam Hœdos à Paſtoribus in communibus paſcuis ignorari; ſicut dixerunt, *inter retia piſces malos in mari à piſcatoribus non videri.* De Juda traditore ipſe Cyprianus ſic intellexit, ſic ſcripſit, quemadmodùm Catholici poſuerunt: *quòd & Dominus Iudam ad exemplum malorum in Eccleſia tolerandorum pertulerit.*

Matth. 13.

Septimò, Donatiſtæ ad ea quæ ſcripſerant ut reſponderetur, flagitare cæperunt. Incipientibus ergo Catho-

Digitized by Google

licis reſpondere, Donatiſtæ interrumpere & obſtrepere cœperunt, ne perpetuus Reſpondentis ſermo decurreret. Flagitantibus itaque eorum patientiam Catholicis, & per multas Cognitoris interlocutiones vix impetrantibus, reſponderunt iidem Catholici oſtendentes multis Sanctarum Scripturarum teſtimoniis & exemplis, *malos in Eccleſia ſic nunc eſſe præmixtos*; ut quamvis debeat vigilare Eccleſiaſtica Diſciplina, ad eos non ſolùm verbis, ſed etiam excommunicationibus & degradationibus corripiendos: tamen non ſolùm in ea latentes neſciantur; ſed plerumque propter pacem Unitatis, etiam COGNITI tolerentur. Hoc etiam ſignificaſſe, quòd *Corvus* avis immunda *exierit de Arca Noë & non redierit.* Quæ tamen Arca exeunte Corvo, non utique omnibus immundis animalibus caruit: ſed in ea fuerunt munda & immunda uſque ad finem diluvii; ſicut in Eccleſia boni & mali uſque ad finem ſæculi. De Prophetis quia dixerant Donatiſtæ, *non eos communicare illis in quos tanta mala dixerunt*, reſponderunt Catholici *quòd* UNUM TEMPLUM *fuerit quo univerſi utebantur: nec quemquam Prophetarum (qui tanta dixerunt in malos) conſtituiſſe ſibi aliud Templum, Sacrificia, Sacerdotes.*

Octavò, Ad hæc Donatiſtæ quum reſpondere non poſſent, ad illud quod jam peractum fuerat, redierunt: dicentes, *mundum non bene intelligi Eccleſiam*: deinde calumniantes *quòd duas Eccleſias Catholici dixerint.* Ad hoc Catholici reſponderunt, *eandem ipſam unam & Sanctam Eccleſiam nunc eſſe aliter, tunc autem* (id eſt in futura vita) *aliter futuram: nunc habere malos permixtos, tunc non habituram; ſicut nunc mortalem quod ex mortalibus hominibus conſtaret, tunc autem immortalem. Sicut non ideo* DUO CHRISTI, *quia prius mortuus, poſtea non moriturus. Multas etiam Eccleſias in Scripturis inveniri dictas, quæ tamen multæ illius unicæ membra eſſe intelligerentur.* Ad hæc Donatiſtæ rurſus eadem replicare non deſtiterunt, inſuper addentes & invidioſè jactantes, *quòd Eccleſiam mortalem Catholici dixerint:* quaſi non eam dixerint *fieri immortalem gratiâ Dei.*

Digitized by Google

Nonò, Hæc quum agerentur, promiſit Cognitor ſe de his quæ ſatis audiſſet, extremâ ſententiâ judicaturum. Sed Donatiſtæ reſiſtere cæperunt dicentes, *hujus cauſæ Chriſtum Iudicem eſſe debere*; & invidiam facientes Catholicis, *quòd hominem petiverant Iudicem.* Ad hoc Catholici reſponderunt: *nec de homine Iudice poſtulato eos debere facere invidiam, qui & de cauſa Maximianiſtarum judicarunt, nec eam Chriſti judici ſervaverunt; & ipſam Cæciliani cauſam primitùs ad hominem, hoc eſt, ad Imperatorem Conſtantinum, accuſantes miſerunt.* Quum Donatiſtæ perſecutiones quas patiuntur, exaggerantes commemorarent, etiam commemorarunt Catholici ab eis horrenda eſſe commiſſa. Quumque in hujuſmodi objectis diu conflictio verſaretur, maluit Cognitor hæc omnia cohibere. Sic peracta eſt cauſa Eccleſiæ, quam magnoperè curaverunt Catholici à Cæciliani cauſa diſtinguere: quoniam eidem Eccleſiæ non poteſt cujuſlibet præjudicari criminibus; quæ contra omnes humanas criminationes, tot divina teſtimonia meruit. Tandem Cognitor ſententiam ſcripſit, quam intromiſſis partibus recitavit, CONFUTATOS A CATHOLICIS DONATISTAS, OMNIUM DOCUMENTORUM MANIFESTATIONE pronuntians.

Decimò, Poſt latam lectamq; ſententiam, Sectatoribus ſuis dixerunt Epiſcopi Donatiſtæ, *Cognitorem præmio corruptum fuiſſe.* Reſpondit Auguſtinus: *Quum vobis dicunt* Epiſcopi veſtri (ô Donatiſtæ) *Iudicem fuiſſe præmio corruptum, quid aliud omnes victi facere conſueverunt? Quid adhuc victis hominibus creditis: & veritati quæ nunquam eſt victa non creditis? Quare nobis non communicatis? Quare Chriſtiani cum Chriſtianis pacem habere non vultis?* Epiſcopi veſtri *ſicut contra nos, ita etiam volebant inter ſe ipſa divina documenta pugnare. Nec mirum ſi pacem Scripturæ Dei non intelligebant, qui pacem cum ejus Eccleſia non habebant. Nos autem* (Catholici) *utraque accipientes teſtimonia, demonſtrabamus utrorumq; concordiam. O violentia Veritatis, quæ ſuos non in carne ſed in corde torquet inimicos, ut eam confiteantur vel inviti! Quantò*

Aug. in Epiſt. & lib. poſt Collat. ad Donatiſt.

meliùs ſe corrigerent Donatiſtæ, *quàm Evangelia ſancta per-
verterent? Poſt Collationem victi* APPELLARE *voluerunt, &
adhuc etiam convicti ſe jactant*, Nos (Catholicos) *lacerant.
Expergiſcimini aliquando*, ô Donatiſtæ Hæretici, *non vos
tartareus obliget ſomnus. Divinam Veritatem in una Eccleſia
teneamus, & humanas lites aliquando finiamus. In ipſa Sama-
ria & Elias & Elizæus erant: etſi ipſi in* SOLITUDINE; *non
tamen devitandorum* SACRAMENTORUM *gratiâ, ſed quia per-*
3. Reg. *ſecutionem ab impiis Regibus patiebantur. Nam illic erant) non*
cap. 19. *utique in ſolitudine ſeparata) quæ ipſe ignorabat Elias ſeptem*
Lib. 1. *millia virorum, qui non curvaverant genu ante Baal.*
Reg. c. *Samuel & graviter Saülem corripuit, & cum eo tamen ad*
15. *offerendum Sacrificium, ſine excuſatione perrexit. Erant ſub*
1.Cor.10 *Moyſe quidam Deum offendentes, quidam Deo placentes. Om-
nes ſub iiſdem Sacerdotibus erant, in uno eodemque Tabernaculo,
eodemque Altari hoſtias offerebant. Non corporalis ſed ſpiritalis
contactus qui fit per conſenſionem, ipſe polluit homines, quorum
cauſam unam facit ipſa conſenſio. Mali & boni ſimul manducant
& bibunt Corpus & Sanguinem Domini; ſed cum magna diſtin-*
Math.22 *ctione: quia iſti in honorem Sponſi*, induti ſunt Veſte Nup-
tiali; *illi autem* non habent Veſtem Nuptialem, *hoc eſt, fi-
diſſimam Sponſi charitatem.* Qui manducat & bibit indignè
1.Cor.11 (*ait Apoſtolus*) judicium ſibi manducat & bibit. *Ne hoc etiam
ad alios pertineret. Eat nunc Pars Donati. Adhuc jactet* Judi-
cem à nobis fuiſſe corruptum, *qui nimiâ patientiâ, quum
eos videret premi veritate, nec eis videri vellet adverſus, nimiùm
patienter pertulit homines per inania vagantes.* Attamen *poſtea
ſub invidia* Tyrannidis Heraclini, *ab Hæreticis innocens cæ-
ſus eſt*, uti ſcribit Sanctus Hieronymus, libro tertio Dialo-
gorum adversùs Pelagianos ſub finem.

Illius famoſiſſimæ Collationis ſeriem verbis Sancti
Doctoris compendioſè contextam, tibi (*benevole Lector*)
exhibeo: ut hinc videas & ediſcas quantâ opus ſit pru-
dentiâ, circumſpectione, attentione, reflexione, præcau-
tione, imò & patientiâ, contra ordinarias ac conſuetas
Hæreticorum fallacias, dolos, impoſturas, moratorias ex-
ceptiones,

Digitized by Google

ceptiones, tergiverſationes, evagationes, & ejuſmodi modos procedenti, quos & ego tantillus Eccleſiæ Romanæ miles gregarius, non ſemel ſed ſæpè ſæpiùs expertus ſum in variis Congreſſibus, dum Trajectenſem Miſſionarium agerem. Sed longè meliùs, diutiùs & exploratiùs genuinos prætentorum Reformatorum mores agnovit *Sereniſſimus Princeps Erneſtus, Landgravius Haſſiæ*, qui inter eoſdem Reformatos natus & educatus adolevit: poſtmodùm verò aſpirante Dei gratiâ, illiusque intellectum illuſtrante, & cor tangente, tandem agnitam Veritatem amplexus eſt, confeſſus eſt, profeſſus eſt; etiam libris publicè editis: in quorum poſtremò adversùs *Carolum Drelincourt, Miniſtrum Charentonienſem* Typis Joannis Bronckart impreſſo, Genium Reformatum ſic exprimit, paginâ nonageſimâ tertiâ, ut dicat ei proprium eſſe, *conſuere & diſſuere, dicere & contradicere, magis appoſitè ad populum, & ad carnis ſanguinisque ſenſum loqui: non niſi coloratis quibuſdam prætextibus inhærere, quæſtiones principales vel omittere vel intermittere, Catholicorum reſponſiones diſſimulare & prætermittere, convincentes probationes contemnere, frequentiſſimas & tædioſiſſimas repetitiones iterare, nec unquam inde erubeſcere, de uno ad aliud continuò tranſilire, interdum ludicras ſcurrilesque cavillationes admiſcere; textus pervertere, adulterare & detruncare: nunquam cedere & acquieſcere Veritati, ſed Adverſarium continuò fatigare, & novis ſemper implicare quæſtionibus; ac tandem in aperta convitia, ſcommata, ſarcaſmos, ac maledicta verba prorumpere, & eo pacto Congreſſus omnes vel Collationes abrumpere.* Hæc diuturnâ experientiâ notavit Prudentiſſimus, Eruditiſſimus ac Ingenioſiſſimus Princeps, & cognitâ perſpectâque inde quidem prætentæ Reformatæ fallaciâ & falſitate; hinc verò Romanæ Eccleſiæ innocentiâ, puritate & veritate, ad hujus ſinum rediit, hujus gremio ſe condidit, & omnibus errantibus, ſi imitari non piguerit, illuſtris Converſionis, & incomparabilis zeli verè Chriſtiani exemplo prælucet.

Sed ut ad illud de quo priùs agebam, revertar: Satis

Digitized by Google

ſuperque elucet Divinam Providentiam quæ præſidet rebus humanis, ſed ſpecialiùs & potiſſimè rebus Religionis, rectiſſimè providiſſe Eccleſiæ ſuæ *maximum Ducem*, hoc eſt, *Beatum Auguſtinum*, à quo *& certandi & vincendi ordinem ediſcerent poſteri, ſi quando pravitas hæretica infandum caput erigere niteretur.*

S. Fulg. lib. 2. de Præd. & Grat.

SECTIO III.

Geſta Beati Auguſtini cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo.

Aug. lib. 2. Retract. c. 51.

ALiquantò poſt COLLATIONEM quam cum Hæreticis Donatiſtis habuimus (ait Auguſtinus) orta eſt nobis neceſſitas pergendi in Mauritaniam Cæſarienſem. Ibi apud ipſam Cæſaream *Emeritum* Donatiſtarum Epiſcopum vidimus; unum ſcilicet eorum ſeptem, quos pro ſuæ cauſæ defenſione delegerant, & qui in eadem cauſa maximè laboraverat. Quæ cum illo egerimus præſentibus Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, & plebe Cæſarienſis Eccleſiæ (in qua Civitate & Civis, & memoratorum Hæreticorum Epiſcopus fuit) Eccleſiaſtica geſta teſtantur, quæ in meis habentur Opuſculis. Ubi non inveniens quid reſponderet, totum ſermonem meum tanquam mutus audivit.

Aug. de Geſtis cum Emerito.

Gloriosiſſimis Imperatoribus HONORIO duodecimùm & THEODOSIO octavùm Conſulibus, duodecimo Calendas Octob. Cæſareæ in Eccleſia Majori, Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ, dixit: *Novi quæ vobis dicebantur* (*eos alloquor qui ex ipſa parte Donati veniſtis*) *novi quid dicebatur vobis.* Nos Cognitoris emiſſe ſententiam. *Novi dictum eſſe vobis*: quòd ille fuerit Communionis noſtræ; & propterea illos loqui omnia quæ vellent, minimè permiſit; & eos poteſtate potiùs oppreſſit quàm veritate. *Iſta omnia jactata ſunt poſt Collationem. Frater* EMERITE *præſens es. Collationibus interfuiſti. Si victus es, quare veniſti? Si autem te victum eſſe non putas, loquere unde tibi victor eſſe videaris.*

Tunc

Tunc enim victus es, ſi VERITATE *victus es. Si autem videris victus* POTESTATE, *&* *viciſti* VERITATE : *non eſt hic* POTESTAS *quâ victus videris. Audiant Cives tui, unde te Victorem præſumis eſſe. At ſi noſti adverſus te* VICTRICEM *fuiſſe* VERITATEM, *quid adhuc reſpuis* UNITATEM ?

Emeritus dixit : *Geſta indicant, ſi victus ſum aut vici : ſi Veritate victus ſum, aut poteſtate oppreſſus.* Auguſtinus dixit : *Quare ergo veniſti?* Emeritus dixit : *Vt hoc dicerem quod requiris.* Auguſtinus dixit : *Requiro quare veneris?* Cumque reticeret, Auguſtinus dixit : *Videte (Fratres) diu tacentem. Moneo ut optetis reſipiſcentem. Obſecro ne ſequamini pereuntem. Verumtamen quoniam geſta Collationis noſtræ commemoravit; quemadmodùm fit apud Carthaginem, apud Tagaſtem, apud Conſtantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes Eccleſias; ſic etiam deinceps facere non pigreſcat, ut annis omnibus per jejuniorum dies, id eſt,* QUADRAGESIMA ANTE PASCHA, *eadem Geſta Collationis per annos ſingulos, univerſa à capite in finem ex ordine recitentur. Tamen quia non omnia vobis modò legere poſſumus, dignamini priùs audire, ante Collationem quas literas dederimus ad Cognitorem.* Alipius Epiſcopus Epiſtolam recitavit, *ſub his verbis.*

Honorabili ac dilectiſſimo Filio, Viro Clariſſimo, & ſpectabili Tribuno & Notario Marcellino Aurelius, Sylvanus, & univerſi Epiſcopi Catholici. Nos vinculo conditionis obſtringimus, ut ſi nobis demonſtrare potuerint *Donatiſtæ, ſubitò Eccleſiam Chriſti neſcio quorum (quos ipſi accuſant) peccatorum periiſſe contagione, & in ſola remanſiſſe parte Donati*, nullos (apud eos) honores Epiſcopatus requiremus; ſed eorum ſequemur pro ſola ſalute conſilium. Si autem nos potiùs valuerimus oſtendere *Eccleſiam Chriſti toto mundo fructificantem atque creſcentem, nullorum hominum ſibi commixtorum peccatis perire potuiſſe*; ſic ejus nobiſcum teneant UNITATEM, ut non ſolùm viam ſalutis inveniant : ſed nec honorem Epiſcopatus amittant. Neque enim in eis divinæ Sacramenta Veritatis; ſed commenta humani deteſtamur erroris. Poterit quippe

quippe unuſquiſque Noſtrum honoris ſibi ſocio copulato viciſſim ſedere eminentiùs. Aut ſi fortè populi Chriſtiani ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium inuſitatâ rerum facie tolerare non poſſunt; utique de medio diſcedamus, & Eccleſiis ſingulis damnatâ Schiſmatis causâ ſinguli conſtituantur Epiſcopi. *Et quum Alipius legeret, dixit Auguſtinus:* Dicam charitati veſtræ & commemorem rem dulciſſimam & ſuaviſſimam, quam Domino adjuvante ſumus experti, In Concilio tam frequenti penè trecentorum Epiſcoporum; *ſic placuit omnibus ut parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere.* Duo ibi vix inventi ſunt quibus diſpliceret: unus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberiùs auſus eſt; alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignificavit. Sed poſtea quàm illum ſenem obruit fraterna correptio, illo mutante ſententiam, vultum etiam iſte mutavit. *Audite ergo quibus modis etiam ipſa exhortatio facta eſt*: An *Filius Dei* de Cælis in humana membra deſcendit, ut membra ejus eſſemus; Et nos ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de Cathedris deſcendere formidamus? *Quo recitato, Auguſtinus dixit*: Cauſam Maximianiſtarum, quum toties objeciſſemus in noſtra Collatione, nihil adversùs eam dicere potuerunt Donatiſtæ. Ab ipſo *Emerito* eſt dictata ſententia, & *Maximianum Fidei æmulum, veritatis adulterum, Eccleſiæ Matris inimicum, Dathan, Coré & Abiron Miniſtrum de pacis gremio ſententiæ fulmen excuſſit.* Auditis quantus ignis exarſerit eloquentiæ, quando invenit fœnum quod poſſet incendere. Frater *Emerite* amplexus es Fratrem tuum tui oris fulmine condemnatum. Non invidemus concordiæ; ſed hoc dico: ſi ramus fractus quæſivit virgultum à ſe fractum, quâ diligentiâ debet arbor ipſa quærere ramum ex ſe fractum? Et tamen Frater noſter pro quo tanta agimus adhuc pertinax conſiſtit. Conſtantem ſe putat fortitudo crudelis. Oremus pro illo. Unde ſcimus quid velit Deus? *Multæ cogitationes in corde viri; conſilium autem Domini manet in æternum.*

Prover. cap. 19.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Auguſtinus in Collatione cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo.

Quanta ſint inter Lutheranos & Calvinianos diſſidia, quot criminationes mutuæ, teſtis eſt *David Paræus* in ſuo *Irenico*, Heidelbergæ edito ſub annum milleſimum ſexcenteſimum decimum quartum : attamen Calvinianus *Ramus quæſivit virgultum* Lutheranum (*à quo fractus & præciſus fuerat*) dum in Synodo Nationali Charentonienſi ſtatutum & decretum fuit à prætentis Reformatis, *Lutheranos & poſſe & debere ad Communionem Euchariſticam Calvinianam* (ſeu veriùs Zuinglianam) *admitti, eoquòd Lutherana Fides circa Euchariſtiam nihil habeat veneni.* Ita pronuntiarunt prætenti Galliarum Miniſtri, ut fucatam aliquam inter ſe & Proteſtantes Unionem & Unitatem adumbrarent. Sed illi ipſi iidem Proteſtantes eam deteſtãtur & execrantur tanquam pernitioſam, exitialem, & quæ nullo unquam glutine coaleſcere aut cohærere poſſit. Nec mirum, quandoquidem Lutherani credant verum Chriſti Domini Corpus, verè præſens in Euchariſtiâ; quamvis *impanatum* ut ipſi volunt imò & *ubique præſens*, ut plurimis *Vbiquitariis* placet : Calviniani autem nihil aliud quàm ſolam figuram, merumque & nudum ſignum agnoſcant. Sed ſi fatentibus iiſdem Calvinianis, *Lutherana Fides nihil habet veneni*; qualénam virus habet Fides Romana? Quidni ergo *Arbor ipſa*, id eſt Eccleſia, *diligenter quærat ramum* Lutheranum, *ramum* Calvinianum *ex ſe fractum*, ut Auguſtini verbis utar. Et tamen tam Proteſtantes quàm prætenti Reformati *adhuc pertinaces conſiſtunt, & conſtantem ſe putat eorum fortitudo crudelis. Oremus itaque Deum pro illis.*

Le Synode Nation. de Charenton l'an 1631.

SECTIO IV.
Collatio B. Auguſtini cum Paſcentio Comite Ariano.

HAbita eſt Hippone, Arbitro Laurentio, & publicè à Notariis excepta. Præceſſerat aliqua velitatio

ut ita dicam, ſeu altercatio. Patet ex Epiſtola centeſima ſeptuageſima quarta Auguſtini ad eundem Paſcentium in qua ſic ſcribit Auguſtinus: *Ne ulteriùs dicas quod audio te non tacere;* non me fuiſſe auſum tibi dicere Fidem meam. *Hoc autem nec à te, nec à me, nec de te, nec de me dici poſſet, ſi in Fide condicti permaneres; ut verba noſtra exciperentur & ſcriberentur: præſertim quia tu ipſe in iis verbis quibus Fidem tuam pronuntiaſti, quoties ea repetiſti, toties variaſti. Quum Arius & Eunomius commemorati eſſent, exclamando anathematizaſti Arium & Eunomium: tum continuò flagitaſti,* ut & nos anathematizaremus Homouſion; quaſi quiſquam Homo eſſet ſicut Arius. *Deindè vehementer exigebas,* ut hoc verbum tibi in Scripturis oſtenderemus, & ſtatim nobis communicares. *Quid eſt contentioſiùs, quàm ubi de re conſtat, certare de nomine? Exclamaſti* calumniam parare nos tibi. *Servavi debitam honorificentiam honori tuo. Indignanter dixiſti,* meliùs fuiſſe ut famam meam ſemper audires, eoquòd longè inferiorem me expertus eſſes, quàm tibi illa jactaſſet. *Facilè eſt ut quiſque Auguſtinum vincat; videris utrum veritate, an clamore? quantò magis ut viciſſe videatur; aut ſi non videatur, dicatur? Non bonum hominis eſt hominem vincere; ſed bonum eſt hominis, ut eum veritas vincat volentem: quia malum eſt homini ut eum veritas vincat invitum; nam & ipſa vincat neceſſe eſt ſive negantem ſive confitentem.*

Epiſtolâ centeſimâ ſeptuageſimâ quintâ ad eundem Paſcentium, ſic eum alloquitur Auguſtinus. *Si dicis te mihi dixiſſe Fidem tuam; me noluiſſe tibi dicere Fidem meam (quod te audio non tacere) recordare obſecro quàm utrumque ſit falſum. Si voluiſſes Fidem tuam dicere, non iſtam diceres quæ communis eſt nobis: ſed illam potiùs in qua diſſentimus à vobis. Cur volens calumniam devitare, Notariorum ſtylum timebas, & clariſſimorum teſtimonium non timebas?*

Deindè Epiſtolâ centeſimâ ſeptuageſimâ ſeptimâ, ſic eidem Paſcentio ſcribit Auguſtinus: *Literæ tuæ non ad reddenda convitia me provocare, nec à reddendis literis me revocare potuerunt. Si in præſentia vis ut colloquamur, gratiam quidem*

quidem habeo dignationi & benevolentiæ tuæ; ſed dignare reſcribere, dictaturos nos eſſe quæ dicturi ſumus, & non deero voluntati tuæ.

Denique Epiſtolâ centeſimâ ſeptuageſimâ octavâ, refert Auguſtinus Diſputationis ſucceſſum, quem ſub hoc ſpecimine breviter ac compendiosè exhibeo.

Laurentius vir Clariſſimus dixit: *Dei diſcutiendum eſt negotium. Si jam in utriſque manet ſerenitas animorum, Venerande Auguſtine & Paſcenti Nobiliſſime, dignamini profiteri Fidem igitur veſtram ex profeſſione primitùs agnoſcere volo.*

Auguſtinus reſpondit, *Fidem Reipublicæ debens Vir Clariſſimus Paſcentius, quia ipſe extitit provocator; Fidei quoque ſuæ quam Chriſto debet, dignetur nomen edicere.*

Laurentius dixit: *Tuæ Excellentiæ merito*, Paſcenti Vir Nobiliſſime, *paruiſſe clarum eſt. Tremens in tantæ rei negotio præſideo Cogniter. Sacramento me meum animum nemini conſtrinxiſſe, ne tuas intentiones palparem. Tuâ enim delectione Judex in cognitione Fidei inter utroſque videor præſidere: partis ergo ex adverſo ſiſtentis poſtulationem dignare effectui mancipare.*

Paſcentius reſpondit: *Heſternâ die ego Anathema continuò memoratis Ario & Eunomio dicere non dubitavi, flagitans ut ipſe quoque Homouſion anathematizaret; eoquòd in Libris Dominicis minimè reperiatur. Quod facere omninò in nullo conſenſit. Unde ſe Homouſianum evidenter oſtendit.*

Laurentius dixit, *Advertíſne Venerabilis Auguſtine?*

Auguſtinus reſpondit: *Catholicum me Homouſion in S. Trinitate credentem, hac profeſſione reſpondeo. Firmetur tantùm ejuſdem Viri Spectabilis Paſcentii reſponſio*, Si nihil præterquàm quod ſcriptum eſt, quiſquam noſtrum debeat, vel audeat in defenſione Fidei nominare.

Laurentius dixit, *Rectiſſimè reſpondetur.*

Auguſtinus dixit, *Fidei ergo noſtræ jam dignare rationem inquirere, Symbolumque quo Fides conſtat, ſingulos præcipe recitare.*

Digitized by Google

Laurentius dixit: *A juſtitia nullâ ratione diſcordat*, *ut ipſe digneris qui* PETITOR ES, *Paſcenti Vir Clariſſime, tua Fidei cum reverentia ſymbolum recitare.*

Paſcentius dixit, *Credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, inviſibilem, ingenitum, & incapabilem.*

Auguſtinus reſpondit: *Memorem eſſe amplitudinem veſtram non dubito, quia Vir Clariſſimus Paſcentius,* Nihil ponendum eſſe in Fidei ratione, præterquam quod Scripturæ continent, aſſeruit.

Laurentius dixit: *Curſim ut video Honorabilis Auguſtinus, negotii præſentis calcem ſeſe obtinuiſſe* declarat.

Paſcentius reſpondit, *Quid eſt quod dicit Frater Auguſtinus, abſque Legis authoritate nos alicubi poſuiſſe? Publicet palam, & ſi convicerit, nec Homouſion injuſtè ab ipſis poſitum etiam ego jam publicè conclamabo.*

Laurentius dixit: *Quod abſque Legis authoritate à Paſcentio reclamas poſitum, dignare jam Auguſtine publicare.*

Auguſtinus reſpondit: *In aſſertione Fidei*, Patrem ingenitum & incapabilem *dixit; quum nec* ingenitum *nec* incapabilem *Scriptura alicubi teſtetur. Eſt* ingenitus Pater, *quia à nullo genitus*: incapabilem *autem nec lego, nec juſtè defendunt. Quomodò enim eſt* incapabilis Pater, quem capit Filius totum?
Joan. 14. Ego in Patre & Pater in me eſt. *Cur vobis de Homouſion verbo viſum eſt invidiam excitare Fidei Catholicæ, quæ* Subſtantiam Dei unam *ſimpliciter credens, hoc verbum à Græcis Patribus in aſſertionem Fidei defendendæ accepit? Ecce quid eſt Homouſion quod exprobratur injuſtè. Non verbum ſolùm; ſed res in verbo. Si in homine credente totus Deus credendus eſt habitare; quomodò Filium totum in ſe Pater, aut Filius Patrem non credatur excipere? Ecce Homouſion rectè probamus poſitum in aſſertionem Fidei, quâ Trinitatis Unitas à Catholicis creditur. Quid ſi Græcus objiciat, non Latino, non Barbaro; ſed ſibi magis licere verba ad Fidem pertinentia divulgare? Sciendum eſt,* AMEN *&* HALLELUYA *Hebræo cunctas gentes vocabulo decantare. Homouſios exponitur, unius*

ſubſtantiæ

ſubſtantiæ Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Nemo ergo calumnietur verbo. Abſit ut erubeſcamus Catholici nos appellari Homouſianos, qui nos appellari gaudemus de Græco Chriſti nomine Chriſtianos. Non accipiatur Paulus ſcribens ABBA, PATER. Rom. 8.
Contemnatur idem, ubi ſimul Græco & Syro utitur *verbo*, ANATHEMA, MARANATHA: ANATHEMA *condemnatus*; 1. Cor. 16
MARANATHA *donec Dominus redeat. Si licuit, imò ſi permiſit, ipſe Dominus, ut linguâ Græcâ, cauſa mortis ejus eſſet ſcripta; cur abhorret ut ſubſtantia ejus quâ Deus eſt æqualis cum Patre, Græco vocabulo approbetur oſtenſa? Si licet dicere non ſolùm Barbaris linguâ ſuâ; ſed etiam Romanis*, SIHORA ARMEN, *quod interpretatur*, DOMINE MISERERE: *cur non liceret in Conciliis Patrum, in ipſa terra Græcorum linguâ propriâ Homouſion confiteri?*

Laurentius dixit: *Evidentiſſimè claruit rectâ defenſione aſſertiones Fidei ſuæ, Auguſtinum Virum Clariſſimum communiſſe.*

Paſcentius reſpondit, *Scripta quæ propoſui non ſunt quidem in Lege, ſed debere propter honorem Patris adſtrui, rectè defenduntur.*

Laurentius dixit: *Sic ergo & Homouſion. Credatur honorificè Unitati, ne fiat injuria temerè Trinitati.*

Hactenus Auguſtini diſceptatio cum Paſcentio. In qua idem Sanctus Doctor Methodum longè breviſſimam, longè omnium efficaciſſimam & urgentiſſimam præſcribit, adversùs quoſcumque Hæreticos Novatores, ſed potiſſimè adversùs prætentæ Reformationis Calvinianæ Sectatores. Nemo enim hactenus ſive Hæreſiarcha, ſive Hæreticus contra Eccleſiam Catholicã in aciem prodiit, niſi Scripturarum Sacrarũ quibuſdã quaſi laciniis obvolutus, & earum literâ occidente velut ſago aliquo contectus, ac demùm nonnullis detruncatis ſententiis oſtentatitiè ſaltem & in ſpeciem armatus. Prætenti autem Reformati Calviniani, qui ſe omnium omnis retro temporis Hæreticorum ſentinam effecerunt, præ reliquis Scripturas jactarunt; ita tamen ut aliorum more, pro libitu

ſuo, ſeu ut ipſimet aiunt, *pro interiori Spiritus perſuaſione*, quas vellent, admitterent: quas nollent, repudiarent. Itaque memorati Calviniani, hoc prætentæ Reformationis principium ſtatuerunt (prout aliàs monui) hoc fundamentum poſuerunt, nimirùm Verbum Dei ſcriptum, ſeu Libris Canonicis comprehenſum eſt omnis Veritatis regula. Complectitur quicquid neceſſarium eſt ad Dei cultum & ad ſalutem noſtram. Non licet hominibus, imò nec Angelis ipſis quidquam ei addere, demere vel immutare.

Hoc ſuppoſito, & Methodo Auguſtinianæ adversùs Paſcentium Hæreticum inſiſtendo, illud ante omnia urgendum eſt; *ut firmetur* hoc principium, videlicet Nihil ponendum eſſe in Fidei ratione, præterquam quod Scripturæ continent. Nam aſſertio iſta Paſcentiana in eundem planè ſenſum coincidit cum hac Calvinianâ, Verbum Dei ſcriptum ſeu Libris Canonicis comprehenſum eſt omnis Veritatis regula. Complectitur quicquid neceſſarium eſt ad Dei cultum & ad ſalutem noſtram. Non licet hominibus, imò nec Angelis ipſis quidquam ei addere, demere vel immutare.

Deinde premendi ſunt iidem Calviniani, vel alii quicumque Sectarii & Adverſarii noſtri, *ut dignentur ipſi qui* PETITORES *ſunt* & Reformatores, *Fidei ſua* Reformatricis & Reformatæ *ſymbolum recitare: hoc enim nulla ratione diſcordat à juſtitia*. Attamen ut rectiſſimè præmonuit Auguſtinus, *non dicant Fidem illam qua communis eſt nobis* & illis; *ſed illam potiùs in qua diſſentimus ab ipſis*.

Ne verò fortaſſis eam ignorent, vel Paſcentiano more ſupra, *quoties repetunt*, *toties varient*: ecce in promptu

SYMBOLUM

Digitized by Google

SYMBOLUM CALVINIANUM ex Genevenſi Catechiſmo, & prætentæ Fidei Reformatæ Profeſſione collectum.

1. *Deus ſolus eſt invocandus, nec attribuit Sanctis officium nobis ſubveniendi.* Catech. Dom. 34.
2. *Duo ſunt duntaxat Sacramenta.* Dom. 48.
3. *Modus accipiendi Euchariſtiam eſt per fidem.* Dom. 51.
4. *Cœna Dominica non eſt inſtituta ad faciendam Oblationem Corporis Chriſti.* Dom. 52.
5. *Libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch & Machabæorum ſunt Apochryphi.* Confeſſ. Reform. Art. 3.
6. *Peccatum originale etiam poſt Baptiſmum eſt ſemper peccatum quoad culpam.* Art. 11.
7. *Participatio juſtitiæ fit per ſolam fidem.* Art. 20.
8. *Fides neceſſariò producit bona opera.* Art. 22.
9. *Quicquid homines imaginati ſunt de interceſſione Sanctorum Defunctorum, eſt abuſus & fallacia Satanæ.* Art. 24.
10. *Purgatorium eſt illuſio procedens ex officina Satanæ.* Ibidem.
11. *Ex eadem officina prodierunt Vota Monaſtica, Peregrinationes, &c.* Ibidem.
12. *Omnes veri Paſtores ubicumque fuerint, habent eandem authoritatem, & æqualem poteſtatem.* Art. 30.

Hîc iterum refricanda eſt memoria Principii Reformati, nimirùm *nihil ponendum eſſe in Fidei ratione, præterquàm quod Scripturæ continent.* Sive quod in idem incidit: *Verbum Dei ſcriptum*, ſeu *Libris Canonicis comprehenſum eſt omnis Veritatis regula. Complectitur quicquid neceſſarium eſt ad Dei cultum & ad ſalutem noſtram. Non licet hominibus, imò nec Angelis ipſis quidquam ei adderre, demere, vel immutare.*

Denique exemplo Sanctiſſimi Doctoris Auguſtini contra Paſcentium Hæreticum, reſumendi ſunt ſinguli prætentæ Fidei Reformatæ Articuli, & de quolibet ſuſtinendum eſt, *nec Scripturam alicubi de eo teſtari, nec in eadem legi, nec juſtè defendi.*

Digitized by Google

Breviùs & nervoſiùs. Articuli Reformati ſupra memorati vel ſunt in Scripturis, eo modo quo exprimuntur in Catechiſmo Genevenſi & Profeſſione Fidei; eoque modo quo creduntur à prætentis Reformatis: vel non ſunt in iiſdem Scripturis.

Si ſunt; Deſignentur, oſtendantur, legantur; & pax erit, tolletur Schiſma, redibit Unitas.

Si non ſunt; Cur ergo mentiuntur Miniſtri Calviniani? Cur falſo principio ſupra poſito innixi, Sectatores ſuos in re graviſſimi momenti fallunt & decipiunt? Cur ipſis doloſiſſimè, nequiſſimè, pernitioſiſſimè imponunt? Aliunde cur ita dementantur nonnulli Catholici, ut ad eos deficiant, niſi meridianâ luce clariùs viderint, Calvinianæ Fidei Articulos, in Scripturis Canonicis probari: Romanæ verò Fidei dogmata reprobari?

Aug. lib. & Epiſt. poſt Collat. ad Donatiſt.

Hæc eſt *Methodus* illa *Auguſtiniana*, Hæreticis & potiſſimè Calvinianis formidanda, *quolibet equuleo fortior, ad eos non in carne ſed in corde torquendos: ita ut Dæmon non ſic timeat Exorciſtam*, quemadmodum illi eam timent. Quam etiam præſentiens & præmetuens *Hamerſterdius* Bellator ille Miniſter Trajectenſis, nunquam adduci potuit: ut ad Collationem etiam coram Celſis & Potentibus Dominis Fœderati Belgii Ordinibus ineundam veniret, & ejuſdem Methodi experiendæ periculum faceret.

CAPUT X.

De Hæreticorum fraudibus prænotandis ac præcavendis, in quocumque congreſſu aut Collatione cum ipſis.

DIvinè prorſus monuit S. Ambroſius in Sermone de Sanctis Nazario & Celſo: *Magni periculi res eſt* (inquit) *ſi poſt Prophetarum oracula*, poſt Apoſtolorum *teſtimonia*,

Digitized by Google

teſtimonia , poſt Martyrum vulnera ; veterem Fidem quaſi novellam diſcutere præſumas : & poſt tam manifeſtos Duces in errore permaneas ; & poſt morientium ſudores otioſâ diſputatione contendas. Veneremur ergo in Sanctorum Martyrum gloriâ Fidem noſtram.

Hæc *magni periculi* res , ſuperiori eoque infœliciſſimo ſæculo contigit (& etiamnum continuatur) quando nimirùm Lutherus , Zuinglius , Muncerus , Calvinus , aliique ſexcenti Novatores VETEREM FIDEM QUASI NOVELLAM, *non ſolùm* DISCUTERE ; verùm & REFORMARE PRÆSUMPSERUNT. *Sed quoniam veriſsimè dictum eſt* (ait Auguſtinus libro de vera Religione , capite octavo) Oportet Hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant : 1. Cor. *Vtamur etiam iſto divinæ providentiæ beneficio. Vtamur Hæreticis , non ut eorum approbemus errores ; ſed ut Catholicam diſciplinam* (*adversùs* EORUM INSIDIAS) *aſſerentes*, VIGILANTIORES & CAUTIORES *ſimus , etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſsimus.* 11.

Reverà vigilantiſſimâ præcautione opus eſt, ubi *Hæreticorum ineptiſsima novitas fraudibus agit*, ut notat idem Auguſtinus in libro de Utilitate credendi , capite decimo quinto ; & alibi *verſipelles aſtutias ac nequitias* nuncupat ; quarum nonnullas in Tironum gratiam , Deo auxiliante aperiam , ut præcaveri poſſint. Quis enim omnibus detegendis ſufficiat ; quandoquidem Novæ in dies excogitentur, cudantur , formentur ?

Prima, eaque maximè advertenda *Fraus* eſt, quòd *Sectarii* (quantùm poſſunt) *à ſe onus probandi amoveant , & in Catholicos regerant:* quum tamen illud idem probandi onus , citra ullam prorſus exceptionem , neceſſariò ipſis incumbuit ; quà *Actoribus* , quà *Accuſatoribus* , quà *Reformatoribus* , quà *Novatoribus* , & contra antiquiſſimæ fundatiſſimæque Religionis pacificos poſſeſſores , ſeſe *opponentibus* , poſſeſſionem præſcriptionemque *turbantibus* , & in eorumdem poſſeſſorum Epiſcopatus , Parœcias , Templa , Cathedras , Collegia, Fundationes,

 Dotes,

Dotes, Juraque omnia ſe *ingerentibus*, *ac intrudentibus.* Adeòque ipſorum Sectariorum eſt, ſive ſint Lutherani, ſive Zuingliani, ſive Anabaptiſtæ, ſive Calviniſtæ, ſive alii quicumque, non ſolummodò *allegare*, verùm & *comprobare*; non *quibuſlibet*, ſed *divinis*, *infallibilibus* & *irrefragabilibus documentis* (quæ tantoperè jactitant) quónam jure, quo titulo, quâ ratione, quo nomine illa omnia attentarint. Alioqui non *Reformatores*, ſed *Deformatores*; non *Accuſatores*, ſed *Calumniatores*: non *Actores* legitimi, ſed *invaſores & oppreſſores* violenti, apud quoſvis æquitatis arbitros meritò cenſendi ſunt. Quòd ſi hac in parte deficiant (quemadmodùm certiſſimum eſt eos deficere) quænam præſumptio ipſis perſuaſit, ut Majorum ſuorum fidem nullâ reprobante Scripturâ reprobarent, nullo Dei Verbo condemnante condemnarent, eam ſacrilegè deſererent. Novamque prætentam ac oppoſitam Pſeudo-Religionem obtenderent & orbi Chriſtiano obtruderent?

Neque obſtat, quòd Calviniani in prætentæ Fidei ſuæ profeſſione, *plurimos Articulos Negativos* coacervaſſe & cumulaſſe videantur, ad quorum probationem nullo modo ſeſe obſtringi autumant: quia *aienti* (inquiunt) *non autem neganti incumbit probatio.* Ad hoc enim reſponderi poteſt, Articulos illos ejuſdem Fidei Calvinianæ, qui primâ fronte videntur *Negativi* ſeu Negantes, non eſſe reipſa tales; ſed *poſitivos* & *affirmativos*, ſi paulò attentiùs inſpiciantur & conſiderentur. Nequaquam enim dicunt Calviniſtæ: *Non ſunt ſeptem Novæ Legis Sacramenta*, *Sancti non ſunt invocandi*, *nullum datur Purgatorium*, *&c.* Sed ita profitentur diſertis ac expreſſis verbis: *Confitemur duo duntaxat eſſe Sacramenta. Credimus Interceſſionem Sanctorum eſſe abuſum & fallaciam Satanæ. Credimus Purgatorium eſſe figmentum*, *quod prodiit ex ejuſdem Satanæ officina.* Ac proinde dum ſe talia credere & profiteri aſſerunt, non *negantes*, ſed *aientes* habendi ſunt, & conſequenter *incumbit eis probatio.* Quod ſic confirmari poteſt.

Digitized by Google

Articuli illi (quos prætendunt eſſe *negativos* aut *negantes*) *vel ſunt Articuli Fidei*, vel *non ſunt.*
Si non ſunt;De iis non eſt cum Adverſariis diſceptandum, quia de Fidei duntaxat rebus cum iis litigamus.
Si ſunt Fidei Articuli, Illos ergo probare debent Adverſarii : & quidem puro expreſſoque Dei Verbo, iuxta ſua principia. Alioqui non habent Confeſſionem aut Profeſſionem Fidei certæ ac indubitatæ; ſed potiùs vel ignorantiæ ſuæ, vel dubii, vel incertitudinis.

Deinde propter illos Articulos ſemetipſos ab Eccleſia Romana præciderunt Adverſarii, adeòque illi iidem Articuli tanquam ſeparationis motiva, apertiſſimè probari debent, niſi ſacrilegi & inexcuſabilis Schiſmatis reos ſe iuſtè meritòque haberi velint.

Denique nemo in particulari ſupponitur errans aut devius à vera Fide: multò minùs Eccleſia univerſalis (ut erat ante Lutherum & Calvinum) ſupponenda eſt talis; ſed convincenda. Neque ſufficit dicere Eccleſiæ Romanæ, *Nego te eſſe Chriſti Sponſam, eſſe Fidelem, eſſe Caſtam.* Proba te non eſſe Adulteram, *non eſſe Meretricem Babylonicam, non eſſe omnium Scortationum Matrem.* Eodem enim prorſus jure vel injuriâ dici poſſet Miniſtris Calvinianis, *Nego veſtras Vxores eſſe caſtas. Probate illas non eſſe adulteras, ſagas, veneficas, blaſphemas.*

Certum quidem eſt nonnullos fuiſſe *Hæreticos Negantes*, ut fuerunt *Sadducæi qui negabant Reſurrectionem mortuorum*. Dari etiam Fidei *Articulos negativos* patet ex Scripturis & Conciliis. Sed illi etiam poſſunt & debent probari: quemadmodùm in externo foro negans Teſtamentum eſſe manu propriâ Teſtatoris ſcriptum, probare debet per agnitionem manus & per collationem variorum ipſius manuſcriptorum. Marc. 12.

Porrò duplex poteſt eſſe ratio ſeu motivum negandi, videlicet aut *juſtum & rectum*, aut *temerarium*. Primum eſt, dum quiſpiam eſt pleniſſimè informatus, & omnimodè certus de veritate oppoſiti. Sic juſtè rectèque

Digitized by Google

negamus *eſſe plures Deos*, quia certiſſimi ſumus *unum eſſe duntaxat Deum.* Secundum eſt, dum quis non eſt ſufficienter informatus, nec planè certus de veritate oppoſiti: ut ſi quis negaret *Sanctos habere ullam notitiam tum invocationis tum eorum qui invocant*, temerariè negaret.

Inſuper Propoſitiones negativæ vel habent *Præſumptionem pro ſe, vel contra ſe.* Verbi gratiâ, hæc negativa, *Titius non eſt Vir probus*, habet præſumptionem pro ſe, Si Titius multas admiſit improbitates. Habet verò præſumptionem contra ſe, ſi Titius in omnibus ſemper ſe probè geſſit. Quum itaque nunquam probari poſſit, quòd Eccleſia erraverit in Doctrina Fidei & morum; & aliundè divinam promiſſionem habeat de firmitate inviolabili, infallibili, indefectibili; proculdubiò ſtat præſumptio pro illa eadē firmitate, ſtabilitate, indefectibilitate adversùs quaſcumque etiam negativas inimicorum calumnias.

Adverte & aliam verſipellem aſtutiam; Ut enim à ſe excutiant onus probandi, ſolent *negatiuè* hoc modo procedere: *Nihil credendum eſt niſi ſit in Scripturis: Purgatorium non eſt in Scripturis; ergo Purgatorium non eſt credendum.*

Hìc multiplex defectus, multiplexque fallacia committitur. Nam ex puris negativis nihil ſequitur. Neque Major neque Minor hujus Argumenti leguntur in Scriptura. Per Majorem præmiſſam conantur reducere Catholicos ad principium Reformatum, videlicet *nihil eſſe credendum, niſi extet in Scripturis:* quum tamen ipſimet credant Scripturas non per Scripturas; credant baptiſmum parvulorum & alia multa, quæ non leguntur in Scripturis. Poſtremò non concluditur id quod eſt in quæſtione, ſcilicet *credendum eſt Purgatorium eſſe figmentum quod prodiit ex Satanæ officina.* Hoc enim præciſis terminis habetur in Confeſſione Reformata. Hoc eſt de quo præcisè controvertitur. Ad hoc credendum neceſſaria eſt revelatio. Requiritur ut in Scripturis legatur. Alioqui neceſſariò fateri debent ſe malè & erroneè credere, iuxta propria principia. In eoſdem defectus recidit

dit

dit hæc ipſorum Ratiocinatio: *In materia Religionis nihil eſt credendum vel faciendum, quod Chriſtus per ſe vel per Apoſtolicos aut Diſcipulos ſuos non præcepit. Sed Chriſtus neque per ſe, neque per Apoſtolos aut Diſcipulos ſuos præcepit invocari Sanctos; ergo Sancti non ſunt invocandi.* Major & Minor non leguntur in Scripturis. Ex puris negantibus nihil ſequitur. Non concluditur id quod præcisè controvertitur. Tandem ſubeſt dolus in Minori præmiſſa, ut in Catholicos rejiciant onus probandi, *quòd Chriſtus per ſe, vel per Apoſtolos aut Diſcipulos ſuos præceperit Sanctos eſſe invocandos.* Hoc enim non adſtruunt Catholici, qui meritò poſſunt retorquere argumentum in Adverſarios, & ex iiſdem principiis inferre: *Ergo parvuli non ſunt baptizandi. Cœna non eſt ſumenda à jejunis. Iejuniorum & precationum dies* (quos præſcribunt Celſi & Potentes Fœderati Belgii Ordines) *non ſunt obſervandi. Pſalmi Gallici vel Flandrici non ſunt publicè decantandi. Non eſt Sanctificanda dies Dominica loco Sabbathi Iudaïci. Non eſt ſumenda Cœna quater duntaxat in anno.* Hæc tamen & ſimilia obſervant Calviniani, quæ Chriſtus Dominus neque per ſe, neque per Apoſtolos aut Diſcipulos ſuos præcepit vel mandavit.

Secunda fraus eſt, Quòd ſoleant Adverſarii proponere Scholaſticè controverſa, & in utramque partem problematicè diſputabilia; ut licentiùs vagentur: Interdum verò Catholicis affingant ea dogmata, quæ neutiquam ab ipſis fide divinâ creduntur; imò nec ullo modo creduntur. Hæc autem eo fine proponunt, ut fucum Auditoribus faciant, & plauſibili quodam prætextu juſtam piamque cauſam defendere videantur. Ita plurima circa Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum indigniſſima imponunt Catholicis, tanquam ſi ab iis crederentur & defenderentur, quæ tamen nec creduntur nec defenduntur.

Non ita pridem contigit, ut prætentæ Trajectenſis Eccleſiæ Reformatæ ſenior Miniſter & Antiſtes nomine

Ludovicus, prælo ediderit libellum Flandricum hoc vel fundamento vel commento innixum; *quòd ſoleant Catholici Sacerdotes auriculariter conſitentium peccata ſcribere, & in pugillaribus vel libellis quibuſdam annotare. Unde caſu evenit* (inquit) *ut regularis alicujus Sacerdotis ſocius, pugillares illos* ſeu *libellum Confeſſionalem apud Macellum per incogitantiam reliquerit.* Hanc *occaſionem nacta mulier curioſa, vicinarum ſuarum peccata inſpexit, legit, didicit.* Hinc elicit memoratus ille Miniſter *Ludovicus*, prorsùs valedicendum Confeſſioni auriculari, & eam omninò explodendam eſſe. Quis paulò cordatior ejuſcemodi commentitias fabulas ferat? Quocirca dum Adverſarii ad talia, ſive Scholaſticè duntaxat diſputabilia, ſive abſurda & indigna, ſive etiam fabuloſa deflectunt, conſtringendi ſunt & arctandi ad *Articulum præcisè* controverſum. Ibi ſiſtendi ſunt, ibi comprimendi; ne aliò excurrant, quod ferè ſemper conſueverunt, qui ab unitate Fidei dilapſi & digreſſi, non habent ubi pedem fixum immotumque conſtituant.

Tertia fraus eſt *plurium interrogationum ut unius.* Multa enim congerunt & accumulant per modum unius. Verbi gratiâ quærunt Sectarii, *utrum Miſſa Papiſtica* (prout vocitant) *ſit propriè dictum novæ Legis Sacrificium, propitiatorium pro vivis & defunctis?* In illâ interrogatione, tria ſunt quæ controvertuntur. *Primò*, An Miſſa ſit propriè dictum novæ Legis Sacrificium? *Secundò*, An ſit propitiatorium? *Tertiò*, Utrùm pro vivis & mortuis ſit propitiatorium? Multa autem ſic per modum unius conglobant, ut poſſint de uno ad aliud excurrere, & per omnes controverſias divagari. Itaque advertat & caveat Catholicus, ne à puncto controverſo & ad diſcuſſionem propoſito abeat; antequam examinatum ſit & ſolutum, eique ſatisfactum.

Quarta fraus eſt *petitionis principii*, ut dum probant Sacramenta per Verbum Dei Scriptum; aliunde verò aſſerunt Sacramenta eſſe addita Verbo Dei ad majorem ſeu

Digitized by Google

ſeu ampliorem confirmationem, ad fortiùs imprimenda promiſſa divina in cordibus noſtris, & nos inde certiores reddendos. Quemadmodum ſupra latiùs oſtendi, in *Methodo Impugnativa*, capite ſexto à pagina 288.ad 289.

Quinta fraus eſt, Quòd *procedant à dicto ſecundùm quid addictum ſimpliciter*: ita enim ſophiſticè non tam ratiocinantur, quàm hallucinantur, *Eccleſia Romana prohibet matrimonium Sacerdotibus & Monachis profeſſis, ergo prohibet matrimonium. Vetat cibos aliquos certis anni temporibus, ergo vetat cibos. Non juſtificatur homo ex operibus Legis, ergo non juſtificatur ex operibus. Chriſtus Dominus improbat Traditiones Phariſæorum, ergo improbat Traditiones.* Eodem planè modo quo quis diceret, *Medici interdicunt vinum febricitantibus, ergo Medici interdicunt vinum.*

Sexta fraus eſt, quòd abutantur fallacia figuræ dictionis. Sic *Petrus Molinæus Sedanienſis Miniſter* libro ſeptimo Novitatis Papiſmi, capite ſecundo, Controverſiâ undecimâ, hoc cornutum ſophiſma è *mole vel molâ ſuâ* jaculatur: JESUS *accepit panem, & dedit illum: ergo dedit panem.* Minor in hoc mirabili paralogiſmo coincidit cum Concluſione. JESUS *accepit panem* materialem, concedo: *Et dedit illum*, ubinam legitur? Addo, *dedítne* immutatum *prout accepit*? Si ais: infero, *Non dedit ergo panem Sacramentalem.* Quid reſpondes Hæretice? Sophiſma tuum ſimile eſt huic: *Quod heri Petrus Molinæus accepit, hodie comêdit: heri vitulum vivum accepit, ergo hodie vitulum vivum comêdit.* Si hoc ei contigerat, neutiquam mirandum eſt ſi vituleſcebat.

Septima fraus eſt, quòd malè & ſubdolè applicent hanc regulam: *de quocumque affirmatur unum repugnantium, de eodem negatur alterum. Deus* (inquiunt) *eſt invocandus, ergo Sancti vel Angeli vèl Homines non ſunt invocandi. Chriſtus eſt in Cælo, ergo non eſt in Euchariſtia*: quaſi invocatio Dei inferret negationem invocationis aut invocabilitatis Sanctorum, ut ita loquar; & præſentia Chriſti Domini in Cælo inferret negationem præſentiæ in Euchariſtia. Pari modo dicerent: *Deus eſt diligendus, ergo proximus non eſt diligendus. Anima rationalis eſt in capite, ergo non eſt in pede.*

Digitized by Google

Multæ ſunt aliæ fraudes Hæreticis uſitatæ; ut *æquivocationis, ignorationis elenchi* & ejuſmodi quas hîc prætermitto; tum ut brevitati conſulam, tum quia artis Dialecticæ vel mediocriter peritus eas facilè advertet; ignarus autem vix eas intelliget, nè dum capiet, quibuſcumque verbis ei exponantur.

CAPVT XI.

Contra Conſequentias Hæreticorum.

Aug. de utilit. cred. c. 1.

QUod *animadvertebat* Sanctus Auguſtinus in Manichæis (etiam dum illorum impuriſſimæ Sectæ adhæreret) *ipſos* nimirùm *plùs in refellendis aliis diſertos ac copioſos eſſe, quàm in ſuis probandis firmos & certos*: hoc idem in Calvinianis aliiſque Sectariis advertere licet. Quum enim ipſis, utpotè *Petitoribus* ſeu *Actoribus*, *Accuſatoribus*, *Reformatoribus* & *Novatoribus* incumbat probatio, non niſi ægerrimè & quodam modo coactè ad eam accedunt. Malunt objectionibus, quæſtionibus, interrogationibus, ac variis propoſitionibus Catholicos præoccupare, exagitare & fatigare; quàm Pſeudo-Fidei ſuæ Reformatæ tuēdæ incumbere, & defendentium partes ſuſcipere. Si quando tamen & ubi ipſis libuerit eaſdem partes aſſumere (quod rariùs contingit) hæc ſequentia ſedulò prudenterque obſervanda eſſe præmoneo, quæ ad certiſſimam manifeſtiſſimamque victoriam, & ad pervicaciorum confuſionem plurimùm faciunt & conducunt.

Primò itaque rogandi ſunt & urgendi, ut ad præcisè controverſum Articulum probandum, ante omnia proferant & afferant Scripturam Sacram terminis expreſſis. Nam præter expreſſos terminos nihil in ea legitur. Et aliunde juxta prætentæ Eccleſiæ Reformatæ principium fundamentale, toties hîc commemoratum, *Verbum Dei* ſcriptum, *ſeu Libris Canonicis comprehenſum, eſt regula omnis veritatis. Complectitur quicquid neceſſarium eſt ad cultum Dei*

& ad ſalutem noſtram. Non licet hominibus, imò nec Angelis ipſis quidquam ei addere, demere aut immutare. Proferatur itaque & afferatur Scriptura Sacra, & ex ea purum expreſſumque Dei Verbum legatur: nè Adverſarii noſtri *ſint ex iis, qui nos invitant certa cognoſcere, & poſtea imperant ut incerta credamus*, ait Sanctus Doctor Auguſtinus contra Epiſtolam Fundamenti, capite decimo quarto.

Reverà plerique omnes Sectarii Parti Lutheranæ, vel Zuinglianæ, vel Calvinianæ mordicùs adhærent, quia ſibi quantumvis falsò perſuaſiſſimum habent, Catholicos plus nimiò Traditionibus humanis addictos, à puro Dei Verbo penitus receſſiſſe ac aberraſſe: Novos verò Evangelii novi, Lutherani, Zuingliani, aut Calviniani præcones, ne latum quidem unguem à Verbo Dei puro deflexiſſe. Hoc itaque probent prolatis & in medium allatis Sacræ Scripturæ Codicibus: & illicò victas manus porrigent Catholici. Quippe qui Dei Verbo nec contraire, nec repugnare ullatenus velint: proindeque ſi in Sanctis Voluminibus viderint Lutheranos, vel Zuinglianos, vel Calvinianos Articulos expreſsè comprobari; Romanæ verò Fidei articulos expreſsè reprobari, his illicò nuntium remittent; illos autem amplectentur, profitebuntur, ſequentur. Neque hîc opus eſt linguæ Hebraïcæ, Græcæ aut etiam Latinæ peritiâ: Si enim ad originalia provocare voluerint Adverſarii, ut illic puncta præcisè controverſa deſignent; ante omnia oſtendant eadem puncta, in verſionibus ſuis Gallicis, Flandricis, Germanicis, Britannicis & ejuſcemodi: vel apertè fateantur non extare, adeoque verſiones quas vulgus Sectariorum lectitat, non eſſe conformes Textibus originalibus.

Neque etiam hîc audiendi ſunt Adverſarii litigatores, dum jactitant prætentæ Fidei ſuæ Confeſſionem è Teſtamento divino extractam eſſe; quemadmodùm non audiretur ſed exploderetur (uti antea monui) quiſquis prætermiſſis Teſtatoris verbis, ex ejus Teſtamento porrigeret

rigeret extractum, quod propriâ privatâque interpretatione ac illatione putaret ſe manifeſtè, certò & infallibiliter ex eodem Teſtamento collegiſſe.

Itaque fateantur Adverſarii, & hunc, & illum & iſtum Articulum (& ſic de omnibus in quibus diſſentiunt à Fide Romanæ Eccleſiæ) non legi in Scriptura Sacra.

Fateantur & hunc, & illum, & iſtum Articulum (& ſic de omnibus in quibus diſſentiunt à Fide Romanæ Eccleſiæ) non eſſe neceſſarium ad cultum Dei & ad ſalutem noſtram. Quandoquidem ex eorum principio ſupra memorato, *Scriptura complectatur quicquid neceſſarium eſt ad cultum Dei & ad ſalutem noſtram; adeò ut nec hominibus nec Angelis ipſis quidquam addere, demere aut immutare liceat.*

Fateantur ſe ab Eccleſia Romana receſſiſſe propter Articulos, qui non ſunt neceſſarii ad cultum Dei & ad ſalutem noſtram iuxta ipſos: Si enim forent neceſſarii, legerentur utique in Scriptura Sacra.

Secundò, Hac ab ipſis extortâ Confeſſione, ulteriùs rogandi & urgendi ſunt; ut eoſdem Articulos (in quibus ab Eccleſiæ Romanæ Fide diſſentiunt) aut legant aut legi curent in aliquo Concilio Generali, Nationali, vel Provinciali legitimo & approbato, quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum; aut fateantur non poſſe legi.

Tertiò, Similiter rogandi ſunt & urgendi, ut legant & oſtendant eoſdem ipſos Articulos, in Sanctis Patribus eorumdem quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum: vel fateantur nec legi poſſe nec oſtendi. Si dicant hoc aut illud doceri à Sancto Thoma, à Bellarmino, à Becano & ab aliis recentioribus: reſpondendum eſt hîc agi de articulis Fidei legendis in Scriptura Sacra, vel in Conciliis aut Sanctis Patribus quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum; Non autem de iis quæ S. Thomas, Bellarminus, Becanus aut alii recentiores docent.

Quartò denique, Ubi evidentiſſimè ac manifeſtiſſimè cõſtiterit Adverſarios noſtros nullũ dogma (in quo à nobis diſſen-

diſſentiunt) neque in Scripturis, neque in Conciliis, neque in Sanctis Patribus legere poſſe, eo modo expreſſum, quo illud credunt adversùs Eccleſiæ Romanæ Fidem: tum demum ad *Conſequentias* admitti poterunt.

Adverte (*Benevole Lector*) & ſeriò ſedulòque reflecte, nulla ab Adverſariis proferri argumenta contra Romanæ Eccleſiæ Fidem, quin peccent in materia vel forma. Aut enim fallacias adhibent: aut nihil afferunt ex Scripturis; aut id non concludunt quod eſt in quæſtione, & de quo præcisè controvertitur: aut eliciunt conſequentias, quæ non ſunt formaliter revelatæ, non poſſunt legi in Scripturis, neque in Conciliis neque in Sanctis Patribus quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum; de quarum neceſſitate nec eadem Scriptura nec Concilia nec Sancti Patres judicant: poſtremò quæ ab hominibus fallibilibus deductæ, non poſſunt ad Fidei articulum utique infallibilem & infallibiliter ſtatuendum ſufficere.

Si nihil proferant quod legi poſſit in Scripturis, nec in Conciliis, nec in Sanctis Patribus quinque priorum & puriorum Eccleſiæ ſæculorum (ut fatentur ipſimet Adverſarii) quânam ergo præſumptione, ſe *Reformatores* eſſe aut *Reformatos*, & quidem ex puro Dei Verbo jactitant? Cur ad hoc ſe *extraordinario modo ſuſcitatos* efferunt?

Si dicant (prout paſſim ſolent) *Conſequentias ſuas eſſe perſpicuas, manifeſtas ac evidentes*, oſtendant quódnam ex tot hactenus habitis Conciliis, quíſnam ex tot Sanctis Patribus; imò quis è Canonicis Scriptoribus conſequentias illas præformaverit, expreſſerit, illiſque mediantibus eos quos nunc credunt Sectarii Articulos formaverit; & eos quos nunc repudiant, etiam repudiarit?

Quis cum Adverſario diſceptans & litigans, jure cogi poſſet, ut poſthabito rejectoque inſtrumento authentico, meris illationibus, conſequentiis, interpretationibus ab eodem Adverſario excogitatis & inductis ſtaret? Ecce prætenti Reformatores & Reformati adversùs Eccleſiam inſurrexerunt, eamque non tam reformare & repurgare,

quàm

quàm oppugnare & evertere conati ſunt, ſub prætextu Scripturæ tanquam authentici & infallibilis inſtrumenti, prætentam illam Reformationem præcipientis & confirmantis: verùm in ipſa lite inchoatâ & continuatâ, tantùm abeſt ut Adverſarii noſtri ſacras inſtrumenti Divini tabulas proferant; ut potiùs nudas illationes ac interpretationes ſuas, veriùs mera cordis ſui figmenta ingerant & obtrudant pro infallibilibus Dei Oraculis.

Sumamus pro exemplo, hoc Adverſariorum Argumentum, Chriſtus dixit Matthæi vigeſimo ſexto capite, *Bibite ex hoc omnes, ergo Fideles debent bibere ex Calice, & communicare ſub ſpeciebus vini.* Negamus Conſequentiam, quia in illo argumento proceditur à ſigno univerſali (Omnes) non plenè diſtributo ad plenè diſtributum, ut verbis in Dialectica receptis utar. Hoc eſt, ſignum illud Omnes in antecedente reſtringitur ad ſolos præſentes, nam *Paſcha faciebat Chriſtus cum Diſcipulis ſuis*, quos novæ Legis Sacerdotes inſtituebat, quando dicebat, Hoc facite, Lucæ vigeſimo ſecundo capite. Non illic erat Mater ejus Maria, nec Lazarus, nec Magdalena, nec Martha. In Conſequente autem illud idem ſignum Omnes extenditur ad quoſcumque Fideles. Hinc pari modo procedendi poſſet quiſpiam ita ratiocinari: Chriſtus dixit Matthæi ultimo, *Ite, docete omnes gentes, baptiſantes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, ergo Fideles *omnes debent docere, debent baptiſare*; attamen Miniſtri Calviniani, tam docendi magiſterium, quàm baptiſandi officium ſibi ad aliorum excluſionem uſurpant.

Subortâ ergo hac concertatione inter Catholicos & Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos, alioſque Acatholicos, quis erit Judex *illius Conſequentiæ*? An Scriptura, quæ apud Adverſarios controverſiarum omnium Judex eſt infallibilis? Sed hæc de Conſequentia illa, de valore ipſius, de neceſſitate nihil pronuntiat, nihil affirmat, nihil judicat. An Concilia quinque priorum & puriorum Eccleſiæ ſæculorum? Verùm nihil decidunt, nihil determinant,

nant, nihil definiunt circa ejuſcemodi conſequentiam. An Sancti Patres eorumdem ſæculorum? Sed ipſi talem conſecutionem nunquam adverterunt, nuſquam docuerunt, nuſquam inculcarunt. Quis ergo de illa judicabit? An ratio humana? Sed cujus vel quorum hominum fallibilis defectibiliſque ratio? An Gentilium ſeu Ethnicorum Peripateticorum? An Judæorum? An Mahometanorum Avicennæ vel Averrois Diſcipulorum? Sed quis ferat ejuſcemodi homines Arbitros in Controverſiis Chriſtianorum? An tandem Catholicorum, vel Lutheranorum, Zuinglianorum, Calvinianorum, aliorúmve Catholicis adverſantium Sectariorum? Sed neque Catholicorum judicio ſtabunt Adverſarii, neque Adverſariorum ſententiæ acquieſcent Catholici. Vides igitur Lector, contentionis funem in æternum & in infinitum circa hanc de Conſequentiis diſceptationem ductum iri.

Addo, ſi futuris temporibus exurgant aliqui peritiores, ingenioſiores, perſpicaciores, acutiores, ſolertiores, ſubtiliores, quàm fuerunt quotquot Reformationis molem præcedenti ſæculo auſpicati ſunt: & alias eliciant conſequentias, alias forment illationes, & conſequenter alia cudant ex ſuis illis conſequentiis ac illationibus dogmata; quid tandem erit niſi continua Fidei immutatio, continua innovatio, continua perplexitas & incertitudo? Non ita pridem innotuit Orbi Chriſtiano novus *Præadamitarum* adinventor. Et horum quidem imaginariorum hominum origo & ſcaturigo ex imaginariis ejuſdem adinventoris conſequentiis prodibat. Hunc ergo Namurci & vidi & allocutus ſum: poſtmodùm verò ad Eccleſiæ Romanæ gremium rediiſſe audivi. Inde ei animitùs gratulor. Hodie autem in Britannia, novorum utique monſtrorum feraciſſimâ Inſulâ, quot Sectæ, quot Hæreſes in dies emergunt, pullulant, enaſcuntur, augentur, roborantur, & Regi, Optimatibusque negotium non mediocre faceſſunt, ac periculum non leve neque contemnendum ingerunt. Sed unde malum illud inve-

teratum & vix medicabile, niſi ex præſumptis Conſequentiis, quas adversùs *Poteſtatem à Deo conſtitutam* ſeditiosè colligunt, & violentè ac cruentè exequi moliuntur?

Ex eodem peſſimo ac venenato fonte prodiit, quicquid malorum à centum & amplius annis in Galliam ſive Celticam, ſive Belgicam; in Germaniam, Auſtriam, Hungariam, Poloniam, Daniam & Sueciam invectum eſt. Novis quippe Conſequentiis armati Novatores, omnia innovarunt, omnia turbarunt, omnia ſusque deque everterunt.

Neque obſtant quæcumque objiciunt Adverſarii noſtri ad ſtabiliendas fulciendasque erroneas conſequentias. Quum enim Scripturis ſacris, Traditionibus, Conciliorum definitionibus, Sanctorum Patrum authoritate ſe prorſus deſtitutos videant, non habent quò confugiant & recurrant, niſi ad Conſequentias ſeu illationes, ad interpretationes, annotationes & gloſſemata ſua, tanquam ad commune & apertum Hæreticis omnibus azylum. Illic ſe tuentur. Inde ad graſſandum erumpunt. Inde ad aucupandas & intercipiendas animas prodeunt: moxque deprehenſi & fugati ad idem rurſus azylum retrocedunt.

Objiciunt primò Chriſtum Dominum, Apoſtolos, Concilia, Sanctos Patres, imò Pontifices Doctoresque Catholicos uſos fuiſſe, & uti quandoque principiis Scripturæ Sacræ cum principiis rationis ad ſtatuendos vel eliciendos Fidei Articulos. Reſpondeo, non quæri an uſi fuerint vel utantur; ſed utrum Lutheri, Zuinglii, Calvini & ejuſcemodi hominum illationes ſeu conſequentiæ ſufficiant ad ſtatuendos vel eliciendos Fidei Articulos? Deinde Chriſtus Dominus & Apoſtoli habebant ſupernaturalem authoritatem, quam ſibi non arrogant (ni fallor) Adverſarii noſtri. Quod attinet ad Concilia, Summos Pontifices, Sanctos Patres & Catholicos Doctores, non negamus eos ſubinde uſos fuiſſe & uti argumentis, ſimilitudinibus & exemplis: ſed quòd illa ſufficiant ad

ſtatuendum

ſtatuendum Fidei Articulum, non legitur in Scriptura, neque hactenus ullibi eſt ab Eccleſia definitum. Addo Lutherum, Zuinglium, Calvinum, & ipſorum Miniſtros fuiſſe vel eſſe homines fallibiles: undénam ergo fiet ut non erraverint aut non errent in deducenda Conſequentia particulari? Si allegent *Scripturam eſſe omnimodam Fidelium certitudinem in rebus Fidei*: multò magis hæc certitudo competit toti Eccleſiæ, illiusque Patribus, Doctoribus & Paſtoribus, qui tamen nuſquam iis uſi ſunt interpretationibus & illationibus, quibus utuntur prætenti Reformatores & Reformati. Subdo opus eſſe ut manifeſtè conſtet Lutherum, Zuinglium, Calvinum & eorum Sectatores, eſſe veros illos fideles, quibus ſolis *Chriſtus aperuit ſenſum, ut intelligerent Scripturas*, & inde formarent Conſequentias: pro quibus etiam ſolis *rogavit Patrem, ut non deficeret Fides illorum.* Si denique replicent *Fidem eſſe ex auditu, & auditu poſſe credi fide divinâ, quantumvis auris errare poſſit*. Reſpondeo, Senſus externi non faciunt, ſed ſupponunt objecta ſua; adeòque auris non facit, ſed ſupponit Verbum Dei: Conſequentia autem fit per intellectum qui ad eam formandam determinatur per duas propoſitiones quarum altera non eſt in Scriptura. Et eſto, ambæ forent in Scriptura; ſaltem forma argumenti non extat in ea, ſed illam fabricat intellectus fallibilis: forma autem multis latentibus vitiis eſt obnoxia, adeòque plurimi Syllogiſmi, qui aliàs videntur in figura & modo legitimè diſpoſiti, nihilominùs ſunt vitioſi. Exemplo ſint hi duo ſequentes: Luc. 24. & 22.

Qui odit animam ſuam, in vitam æternam cuſtodit eam.

Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Ergo qui diligit iniquitatem, in vitam æternam cuſtodit animam ſuam.

Major eſt expreſſiſſima in Scripturis, Joannis capite

 duodecimo:

Digitized by Google

duodecimo: *Minor* autem Pſalmo decimo; Concluſio tamen eſt impia.

Item,

Mortui nihil noverunt amplius.
Chriſtus eſt mortuus;
Ergo Chriſtus nihil novit amplius.

Major habetur Eccleſiaſtæ nono: *Minor*, primæ Petri tertio, & ad Romanos quinto, ſexto & octavo capite: attamen Concluſio eſt blaſphema. Addo & hunc Syllogiſmum: *Quicumque dicit Calvinianum Reformatum eſſe animal, dicit verum. Quicumque dicit Calvinianum Reformatum eſſe aſinum, dicit Calvinianum Reformatum eſſe animal; ergo quicumque dicit Calvinianum Reformatum eſſe aſinum, dicit verum.*

Obiiciunt ſecundò: Quod ſequitur ex Scriptura, continetur in Scriptura. Concluſio ſequitur ex Scriptura; ergo continetur in Scriptura. Rurſus: Quod continetur in Scriptura, eſt ſufficiens fundamentum ad ſtatuendum Fidei Articulum. Concluſio continetur in Scriptura; ergo eſt ſufficiens fundamentum ad ſtatuendum Fidei Articulum.

Reſpondeo ad *primum Argumentum*, cōmitti fallaciam ignorationis elenchi. Non enim quæritur *An aliquo modo contineatur in Scriptura*; ſed *utrum ſufficiat ad Fidei Articulum ſtatuendum*. Ad *ſecundum Argumentum* dico nihil ibi proferri ex Scriptura. *Majorem* ejuſdem ſecundi argumenti diſtinguo: *Quod continetur in Scriptura* EXPRESSE & EXPLICITE *eſt ſufficiens fundamentum ad ſtatuendum Fidei Articulum, accedente Eccleſiæ propoſitione*, Concedo. *Quod continetur in Scriptura* IMPLICITE' *& non niſi deducendum per conſequentiam, eſt ſufficiens fundamentum ad ſtatuendum Fidei Articulum*: Non credimus, nullibi enim legitur in Scriptura, nullibi definitur ab Eccleſia. *Minorem* pariter diſtinguo: *Concluſio continetur in Scriptura, implicitè, & non niſi per Conſequentiam deducenda*; tranſeat: *Continetur*

tur in Scriptura expreſsè & explicitè, nego. Ergo *ſufficit ad Fidei Articulum ſtatuendum*, negatur Conſequentia.

Adverte (*Lector*) hoc velle Sectarios, nimirùm ut Concluſio deducta ex Scriptura ſit de Fide ex vi deductionis ſeu illationis & conſequentiæ: adeò ut contradictorium ſit error in Fide. Catholici verò ſuſtinent conſequentiam non ſufficere ad Fidei Articulum, niſi aliunde conſtet de expreſſa & explicita revelatione. Sed undè & quomodò conſtabit, inquies? Reſpondeo *duplici viâ* conſtare, videlicet, vel *per expreſſam Eccleſiæ propoſitionem*, vel *per praxim illius univerſalem*. Verbi gratiâ: in Concilio primo Nicæno trecentorum & octodecim Epiſcoporum, expreſsè fuit propoſitus *Articulus de Conſubſtantialitate Patris & Filii*; Non quaſi Sanctiſſimi illi Patres Eccleſiæ, hunc Articulum per conſequentiam elicuerint ex hoc Scripturæ loco; *Ego & Pater unum ſumus*; Sed quia hunc eundem Scripturæ textum intellexerunt (unanimiter & Spiritu Sancto inſpirante) de Conſubſtantialitate Patris & Filii, & hunc verum ſenſum propoſuerunt Eccleſiæ adversùs nefarium & blaſphemum Arii Dogma. Sive, inter harum propoſitionum ſignificata *Ego & Pater unum ſumus*; & *ego & Pater unius ejuſdemque ſubſtantiæ ſumus*, eſſe identitatem objectivam, hoc eſt unam earumdem propoſitionum *idem objectivè* ſignificare cum altera.

Aliundè in illa graviſſima diſceptatione de rebaptizandis vel non rebaptizandis iis, qui ab Hæreticis fuerant baptizati; *Saluberrimam Conſuetudinem* (inquit Auguſtinus) nimirùm non rebaptizandi *tenebat Eccleſia. Quam credo ex Apoſtolica Traditione venientem: Sicut multa quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum; & tamen per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam non niſi ab ipſis tradita & cōmendata creduntur.* Subdit idem Auguſtinus; *Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, &* HÆC SOLA *opponebatur inducere volentibus* NOVITATEM, *quia non poterant apprehendere* VERITATEM. Ecce igitur formalis &

S. Aug. lib. 2. de Baptiſ. cont. Donat. cap. 7.

Ibid. cap. 9.

Digitized by Google

& expreſſa revelatio ſufficiens ad ſtatuendum Fidei Articulum, & de qua conſtat per praxim Eccleſiæ univerſalem, ſeu ut loquitur Sanctus Doctor, *per ſaluberrimam Conſuetudinem quam tenet Eccleſia, cujus etiam robore tenetur Orbis* Catholicus; *& Hac Sola apponenda eſt inducere volentibus Novitatem.*

Objiciunt tertiò, Quòd Deus intendit revelare, eſt Fidei. Quod continetur in Scriptura, Deus intendit revelare: Ergò quod continetur in Scriptura eſt Fidei.

Reſpondeo ut ſupra, ſcilicet nihil hîc proferri ex Scriptura Sacra. Deinde ad *Majorem* dico, *quod Deus intendit revelare* EXPRESSE' & EXPLICITE' *eſt Fidei*, nemo Chriſtianus ambigit. *Quod Deus intendit implicitè duntaxat revelare*, & non niſi *per illationem eliciendum*, *illud eſt Fidei*; ita ut *expreſsè & explicitè ſit credendum*, Ubínam habetur? Ubínam legitur? Ubinam definitur?

Objiciunt quartò: Quod evidenter ſequitur ex revelatione expreſſa, æquivalet revelationi expreſſæ. Concluſio evidenter ſequitur ex revelatione expreſſa: ergò æquivalet revelationi expreſſæ.

Reſpondeo primò, In hoc Argumento nihil proferri ex Scriptura.

Reſpondeo ſecundò, Eandem Scripturam non judicare, An concluſio quæ hîc infertur, rectè colligatur ex ſupra poſitis præmiſſis.

Reſpondeo tertiò, Adverſarios errare poſſe in hac Conſequentia deducenda; nec manifeſtè conſtare quòd non erraverint ipſo facto.

Reſpondeo quartò, Neminem Sanctorum Patrum formaſſe ejuſcemodi Conſequentiam, quam nunc eliciunt Adverſarii noſtri.

Reſpondeo quintò, Quod evidenter ſequitur ex revelatione expreſſa, non addendo principium rationis, illud æquivalet revelationi expreſſæ; eſto ita ſit, non repugno. Quod evidenter ſequitur ex revelatione expreſſa, addendo principium rationis; illud æquivalet revelationi expreſſæ:

preſſæ: Nego. Sed dato vel conceſſo quod æquivaleret quoad certitudinem, aut etiam quoad infallibilitatem Veritatis; non tamen æquivalet quoad obligationem credendi. Omne etenim quod evidenter ſequitur ex Dei revelatione, eſt quidem certa & infallibilis Veritas: ſed non eſt veritas Fidei, quandoquidem deſit expreſſa & explicita revelatio, quæ requiritur ad obligationẽ credendi.

Imò quum *Fides ſit ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti*; id quod *implicitè* aut *virtualiter* duntaxat in Scriptura continetur, non poteſt dici *Verbum Dei*: quemadmodùm pullus non poteſt dici ovum, neç quercus poteſt dici glans; quantumvis & pullus gallinaceus in ovo, & quercus in glande implicitè & virtualiter contineantur. Ita Concluſio quæ virtualiter aut implicitè continetur in Verbo Dei, non poteſt dici *Verbum Dei*; maximè quando adjungitur principium rationis, quod etiam influit in Concluſionem; tunc enim (juxta Dialecticorum regulas) *effectus ſequitur partem debiliorem ſuæ cauſæ*.

Quintò objiciunt Adverſarii, *Actus Fidei involvit neceſſariò hunc diſcurſum*: Quod Deus revelavit, debet credi. Atqui revelavit (verbi gratiâ) reſurrectionem mortuorũ; ergo debet credi. *Adeòque diſcurſus ingreditur Actum Fidei, & ſic non debent Conſequentiæ à Fidei Articulis ſtatuendis removeri.*

Reſpondeo primò, In hoc Argumento involvi fallaciam ignorationis Elenchi. Non enim quæritur *an Fidei Actus involvat diſcurſum*: Sed utrum Conſequentiæ Lutheranorum, Zuinglianorum, Calvinianorum & ejuſcemodi Novorum Reformatorum, ſufficiant ad novum novæ Fidei Articulum ſtatuendum?

Reſpondeo ſecundò, Probandum eſſe per Scripturam, *quòd Actus Fidei neceſſariò involvat diſcurſum*.

Reſpondeo tertiò, Fidei habitu infuſo vel auxilio ſupernaturali elevari intellectum noſtrum ad aſſentiendum Verbo Dei legitimè propoſito: veruntamen diſcurſus non eſt Verbum Dei, nec facit Articulum Fidei. Intel-

lectus quidem inducitur aliquo modo per diſcurſum ad credendum Verbo Dei: non tamen credit fide divinâ propter diſcurſum; ſed propter veracitatem aut Veritatem divinam, quæ mediante revelatione (ut ſcholaſtico more loquar) & externâ propoſitione per Eccleſiam movet & determinat ad aſſentiendum. Et quemadmodùm Supremi alicujus Principis Secretarius promulgat Legem cum authoritate, ita Eccleſia proponit Verbum Dei cum authoritate. Lex promulgata habet authoritatem, vim & robur à ſolo Principe tanquam Legiſlatore: Verbum Dei habet authoritatem, vim & robur à ſolo Deo revelante. Innoteſcit Lex Principis per promulgationem Secretarii: Innoteſcit Verbum Dei per propoſitionem ab Eccleſia factam. Populus Legi obtemperat propter Principis authoritatem: Fideles credunt Verbo Dei ab Eccleſia propoſito, propter authoritatem Dei revelantis. Breviter, ratiocinationes, illationes, ſimilitudines, comparationes & id genus, ſunt motiva credibilitatis. Revelatio & propoſitio ſunt conditiones neceſſariæ ut objectum credibile applicetur potentiæ: Prima autem & infallibilis Veritas aut veracitas Dei eſt motivum credulitatis.

Objiciunt denique & jactitant Adverſarii ſe interpretari Scripturas per Scripturas, ergo ſaltem interpretationes illas eſſe admittendas ad Fidei Articulos ſtatuendos. Reſpondeo dari quidem interpretationes Scripturæ per Scripturam: ſic Jacobus capite ſecundo Epiſtolæ ſuæ, interpretatur id quod habetur Geneſis vigeſimo ſecundo, *Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum?*

Neque de hoc eſt quæſtio; ſed utrum Adverſariorum noſtrorum interpretationes legantur in Scripturis, verbi gratiâ, poſtquam protulerunt illud Matthæi vigeſimo ſexto, *Bibite ex hoc omnes*, ut neceſſitatem Communionis ſub utraque ſpecie adſtruant, tunc aſſumunt praxim Corinthiacam, primæ ad Corinthios undecimo, quâ quidem

praxi

praxi prætendunt explicari mandatum illud ſuprapoſitum, *Bibite ex hoc omnes.* Verumtamen id nuſquam legitur in Scripturis. Pari modo procedebant Ariani; nam illud, *Ego & Pater* UNUM *ſumus*, explicabant per hoc, *multitudinis credentium erat cor* UNUM, *& anima* UNA. Quid ad hæc dicerent Lutherani, Zuingliani, Calviniani, aliiq; Sectarii? Nónne juſtiſſimè peterent ubínam habeatur & legatur in Scriptura, quòd UNITAS Credentium Actorum quarto capite explicet UNITATEM Patris & Filii, Joannis decimo?

Addo tantùm abeſſe ut Zuingliani & Calviniani interpretentur Scripturas per Scripturas, ut potius Scripturas Scripturis opponant, & ad unius Scripturæ veritatem deſtruendam, proferant alterius Scripturæ authoritatem. Sic ad evertendam hujus Scripturæ veritatem, *Hoc eſt Corpus meum*, adducunt & objiciunt hos textus: *Spiritus eſt qui vivificat. Caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt. Petra erat Chriſtus. Ego ſum Vitis, &c.* Adeòque Chriſtum cum Chriſto committunt, & Verbum Verbo opponunt.

His, benevole Lector, paulò operoſiùs & accuratiùs immorandum fuit: quia Adverſarii noſtri Scripturæ Sacræ, Sacrorum Conciliorum & Sanctorum Patrum authoritatibus planè deſtituti, in Conſequentiarum ſuarum latebras ſeſe recipiunt. Illic vallum, aggeres & munitiunculas ſuas extruunt. Illic ruinoſam prætentæ Reformationis arcem ſupra arenam ædificant. Inde prorumpunt inſidioſiſſimè, ut ſimpliciores ac incautiores animas intercipiant, easque non in Chriſti, non in veræ Fidei obſequium, ſed in erroneæ ac impiæ credulitatis affectum circa Zuinglii vel Calvini Hæreſes & blaſphemias captivent.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Reſponſiones ſuccinctæ ad Quæſtiunculas ſeu Interrogatiunculas Hæreticorum.

IN Methodo Converſivâ, capite decimo, paginâ quinquageſimâ quartâ, monui hunc eſſe Adverſariorum morem; ut Catholicos rudiores propoſitis quibuſdam quæſtiunculis captioſis laceſſant & exagitent. Haſce furfuraceas interrogatiunculas numero ſeptemdecim, non ita pridem è Mola ſua Sedanienſi protulit *Petrus Molinæus*; eaſque non *in azimis ſinceritatis & veritatis, ſed in fermento* malitiæ & fraudis nequiſſimæ ſubactas, maceratas & ſubdolè incruſtatas, vulgi manibus ingeſſit.

Poſſumus vicem rependere, & par pari referre, petendo generaliter ab omnibus Eccleſiæ Romanæ Adverſariis,

Primò, Ex quo Scripturæ loco probatur, quòd eadem Scriptura (quam ut Sacram habemus) ſit Dei Verbum?

Secundò, Quòd hæc eadem Scriptura; verbi gratiâ, Epiſtola Beati Pauli ad Romanos ſit *Canonica*: Epiſtola verò ad Laodicenſes ſit *Apocbrypha*: quum tamen idem Apoſtolus ad Coloſſenſes capite ultimo, verſiculo decimo ſexto expreſſis terminis moneat præmemoratos Coloſſenſes, ut *eam Epiſtolam quæ Laodicenſium eſt, ipſi quoque legant*: nullibi verò ſe ad Romanos ſcripſiſſe meminerit?

Tertiò, Ubínam legitur in Verbo Dei, quòd tota Scriptura, iis Libris (quos nuncupamus BIBLIA) comprehendatur?

Quartò, Quòd illa eadem Scriptura Sacra quam

Digitized by Google

quam recipimus & habemus, in nullo ſit corrupta?

Quintò, Ubínam docet Scriptura verum ſenſum eorum locorum, quæ cum Arianis, Pelagianis, Anabaptiſtis, Socinianis & aliis Hæreticis controvertuntur?

Sextò, Ubínam præcipit Scriptura abrogandum eſſe Sabbathum,& ejus loco ſubſtituendum eſſe diem Dominicum; maximè quum in Decalogo,Exodi vigeſimo capite, tam expreſsè jubeatur: *Memento ut DIEM SABBATHI SANCTIFICES?*

Septimò, Ubi Scriptura ſtatuit celebrandum eſſe ſolenniter diem Anniverſarium Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes,& Nativitatis Domini?

Octavò, Ubi habetur in Scriptura, Paſcha non eſſe à Chriſtianis celebrandum Lunâ decimâ quartâ Menſis Martii; ſed Dominicâ poſt illam: contra *Quartadecimanos* in Concilio Nicæno primo condemnatos tanquam Schiſmaticos?

Nonò, Ubínam diſpenſavit Scriptura in illo graviſſimo præcepto, Actorum decimo quinto capite: *VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS, ut abſtineatis à ſanguine & ſuffocato?* Cur ergo non abſtinent Adverſarii noſtri ab eduliis inteſtinis ſeu farciminibus porcinis, carne ſanguineque oppletis? Cur non à Leporibus,Perdicibus, Ruſticulis & ejuſcemodi ſuffocatis animalibus comedendis?

Decimò,

Decimò, Quo Scripturæ loco legitur, quòd Beatiſſima Dei Genitrix permanſerit Virgo poſt partum, contra *Antidico-Marianitas*, quos commemorat Sanctus Auguſtinus, libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum, Hæreſi quinquageſimâ ſextâ, & contra *Helvidianos*, Hæreſi octogeſimâ quartâ?

Vndecimò, Ubi habetur in Scriptura quòd Filius Dei ſit Conſubſtantialis Patri, prout definitum fuit in Concilio Nycæno primo contra impium *Arium* & ejus Sectatores?

Duodecimò, Ubínam dicitur Cœna Dominica non niſi à jejunis ſumenda?

Decimotertiò, In quo Scripturæ Sacræ libro legitur conſcriptum Symbolum Apoſtolorum, Sancti Athanaſii, & præmemorati Concilii Nycæni primi?

Decimoquartò, Ubi dicit Scriptura baptizatos ab Hæreticis non eſſe rebaptizandos?

Decimoquintò, Ubi ſcriptum eſt parvulos eſſe baptizandos: maximè quum Matthæi ultimo capite præſcribat Chriſtus Dominus, ut Miniſter Baptiſmi priùs doceat, deinde Baptiſmi Sacramento intingat, dum ait: *Ite docete omnes gentes, baptizantes, &c.*?

Decimoſextò, Ubínam in Scripturis Baptiſmus & Cœna Euchariſtica vocantur Sacramenta?

Decimoſeptimò, Ubi leguntur hæc nomina, *Trinitas*, & *Incarnatio*?

Decimooctavò, Quare pedum lotio non præmittitur

Digitized by Google

præmittitur Cœnæ; quandoquidem tam expreſsè dicatur Joannis capite decimo tertio: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes?* Deinde cur eadem lotio non recenſetur inter novæ Legis Sacramenta? Nam videtur adeſſe *inſtitutio*, expreſſa verbis illis, *& vos debetis alter alterius lavare pedes.* Videtur annecti promiſſio gratiæ, dum dicitur: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Nunquid hic loquendi modus eſt planè ſimilis illis: *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis & biberitis ejus Sanguinem; non habebitis vitam in vobis,* Joannis ſexto capite: *Item niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei,* Joannis tertio?

Quæſtiones proponendæ Lutheranis.

Prima, *Vbi habet Scriptura,* Librum Job, eſſe fabulæ argumentum ad proponendum patientiæ exemplum? *prout docet Lutherus, libro de titulis Veteris & Novi Teſtamenti.*

Secunda, *Vbinam legitur quòd* Libri Baruch, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ & Machabæorum ſint Apochryphi? *quemadmodùm idem Lutherus pronuntiat in principio Bibliorum editionis VVittembergenſis, anno* 1547

Tertia, *Quis Scripturæ locus atteſtatur* Epiſtolam ad Hæbræos nec eſſe Pauli, nec alicujus Apoſtoli? *ut tenet Lutherus in editione Novi Teſtamenti, Francofurti anno* 1583.

Quarta,

Quarta, *Quis etiam Scripturæ textus indicat* Sancti Jacobi Epiſtolam eſſe ſtramineam? *ſicut aſſerit Lutherus Præfatione in Novum Teſtamentum, editionis Magdeburgenſis, anno 1536. & libro de Captivitate Babylonicâ, capite de Extrema Unctione.*

Quinta, *Vbinam legitur* quòd Eccleſia poſſit errare? *ſicuti ait Lutherus libro contra Regem Angliæ.*

Sexta, *Quænam Scriptura Canonica docet* quòd ſola Fides juſtificet? *Hoc tamen adſtruit idem Lutherus in Sermone ſuper Evangelium,* Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, &c. *Imò ſuſtinet eſſe inconcuſſum Fidei Articulum.*

Septima, *Vbinam revelat Scriptura,* eſſe Hæreticum aſſerere, quòd bona opera exigantur ac requirantur ad ſalutem? *Nihilominùs aſſertionem illam velut Hæreticam proclamat memoratus Lutherus in Sermone de Piſcatura Petri.*

Octava, *Vbi meminit Scriptura Sacra,* Chriſtianum non poſſe perire, etiamſi velit, & quantumcumque malè faciat? *Ita Lutherus libro de Captivitate Babylonicâ, capite de Eucharistia.*

Nona, *Quis unquam Scriptor Canonicus ſenſit & ſcripſit* liberum Arbitrium eſſe figmentum? *Hoc tamen & ſenſit & ſcripſit Lutherus in Aſſertione Articuli trigeſimi noni, Tomo ſecundo editionis VVittembergenſis, anno 1551.*

Decima, *Quænam Scriptura indicat,* homi-

nem

nem non poſſe carere muliere; quemadmodùm nec cibo nec potu carere poteſt? *Hæc eſt Vxorii Lutheri Doctrina, libro de Vita conjugali.*

Undecima, *Quis unquam legit in Scriptura*, parvulos actu credere dum baptizantur? *Sic tamen aſſerit Lutherus in libro adverſùs Cochlæum.*

Duodecima, *Quænam Scriptura docet*, non eſſe orandum pro defunctis? *Attamen magnus ille omnium hujuſce temporis Hæreticorum Patriarcha, ita ſtatuit in libro de Eucharistia ad VValdenſes.*

Quæſtiones proponendæ Calvinianis.

Prima, Vbinam Scriptura docet ſolum Deum eſſe invocandum? *prout docet Catechiſmus Genevenſis, Dominicâ trigeſimâ quartâ.*

Secunda, Vbi legitur quòd Deus non attribuerit Sanctis officium nobis ſuccurrendi & ſubveniendi? *ut habetur in eodem Catechiſmo ibidem. Certè Dæmon ipſe meliùs intelligebat Scripturam, dum Matthæi quarto capite hunc textum proferebat:* Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Tertia, Vbi invenitur in Scriptura quòd oratio in lingua ignota ſit irriſio Dei & hypocriſis? *ſic docet memoratus Catechiſmus, Dominicâ trigeſimâ quintâ.*

Digitized by Google

Quarta, Quanam Scriptura proponit credendum, eſſe duo duntaxat Sacramenta ? *Catechiſmus Reformatus Dominicâ quadrageſimâ octavâ.*

Quinta, Modum recipiendi Euchariſtiam eſſe per fidem? *Dominicâ quinquageſimâ primâ.*

Sexta, Eccleſiam Catholicam eſſe Societatem Fidelium, quos Deus ordinavit & elegit ad vitam æternã? *Dominicâ decimâ quintâ.*

Septima, Deum exigere perfectionem quæ ſit ſupra facultatem noſtram ? *Dominicâ trigeſimâ tertiâ.*

Octava, Legem ſeu mandatum plus à nobis exigere, quàm ſit poſſibile facere? *Ibidem.*

Nona, A nemine unquam adimpleri Legem durante hac vita mortali ? *Ibidem.*

Decima, Minimam tentationem quæ homini fideli poſſit venire in mentem, eſſe peccatum: eſto reſiſtat, & ei nullo modo conſentiat ? *Dominicâ trigeſimâ primâ.*

Vndecima, Quanam Scriptura atteſtatur Libros *quos Calviniani enumerant & recenſent, prætenta Confeſſionis ſuæ Reformatæ Articulo tertio*, eſſe Canonicos; alios verò eſſe Apochryphos ?

Duodecima, Libros Canonicos cognoſci & diſcerni per teſtimonium & perſuaſionem interiorem Spiritus Sancti ? *Confeſſionis Reformatæ Articulo quarto.*

Decimatertia, Peccatum Originale etiam poſt Baptiſmum, ſemper eſſe peccatum quoad culpam ? *Articulo undecimo.*

Decima-

Decimaquarta, Nos eſſe participes juſtitiæ per ſolam Fidem? *Articulo vigeſimo.*

Decimaquinta, *Vbinam legitur in Scriptura, quòd* Fides neceſſariò producat bona opera? *Articulo vigeſimo ſecundo.*

Decimaſexta, *Quòd* quicquid homines imaginati ſunt de interceſſione Sanctorum, ſit abuſus & fallacia Satanæ? *Articulo vigeſimo quarto.*

Decimaſeptima, *Quòd* Purgatorium ſit figmentum procedens ex eadem officina? *Ibidem.*

Decimaoctava, *Quòd* inde etiam prodierint Vota Monaſtica, Peregrinationes, *&c.*? *Ibidem.*

Decimanona, *Ex quonam Scripturæ loco probari poteſt*, in Cœtibus Papiſticis Sacramenta eſſe corrupta, adulterata, falſificata, aut omninò annihilata? *Prætentæ Confeſſionis Reformatæ Articulo vigeſimo octavo.*

Vigeſima, Apud eoſdem Cœtus Papiſticos omnes ſuperſtitiones & idololatrias graſſari? *Ibidem.*

Vigeſimaprima, Omnes veros Paſtores habere eandem authoritatem & æqualem poteſtatem ubicumque fuerint? *Articulo trigeſimo.*

Vigeſimaſecunda, Eccleſiæ ſtatum fuiſſe interruptum tempore prætentorum Reformatorum? *Articulo trigeſimo primo.*

Vigeſimatertia, Oportuiſſe eodem tempore

re ut Deus ſuſcitaret aliquos extraordinario modo, ad erigendam de novo Eccleſiam, quæ erat in ruina & deſolatione? *Ibidem.*

Vigeſimaquarta, Sacramenta eſſe addita Verbo Dei ad ampliorem confirmationem, & nos inde certiores reddendos? *Articulo trigeſimo quarto.*

Vigeſimaquinta, Vbinam jubet Scriptura quater duntaxat in anno celebrari & adminiſtrari Cœnam; nimirùm Dominicâ Paſchatis, Dominicâ Pentecoſtes, Dominicâ primâ Septembris, & Dominicâ proximiori Natalitiis Domini? prout obſervant Calviniſtæ.

Vigeſimaſexta, Vbinam prohibet eandem Cœnam adminiſtrari iis, qui extremo morbo laborant.

Vigeſimaſeptima, Vbinam vetat infirmos Oleo Sacro inungi?

Vigeſimaoctava, Quo Scripturæ textu jubentur afferri parvuli, vel Dominicâ die ſub horam Catechiſmi, vel aliis diebus ſub tempus Concionis, ut baptizentur; nec aliter conferatur Baptiſmus, quantumvis graviter periclitentur & etiam moriantur?

Vigeſimanona, Vbinam præſcribitur & ſtatuitur in Scriptura, ut antequam celebretur matrimonium, tribus Dominicis publicetur in Eccleſia?

Trigeſima. Quis Scripturæ textus aſſerit & docet Confirmationem Sacramentalem eſſe ludicram & mimicam actionem? *ut habent prætenti Reformati in Præfatione Catechiſmi Genevenſis.*

Hæc

Hæc & ſimilia (*benevole Lector*) juſtiſſimo titulo proponi poſſunt Calvinianis. Horum probatio ab ipſis exigi poteſt meritiſſimo jure; & quidem probatio per Scripturæ Sacræ textus manifeſtos & expreſſos, *in quibus nihil immutetur, nihil addatur, nihil dematur.* Ad hoc enim ſeſe adſtringunt per principia ſua Reformativa, quibus aſſerunt *Scripturam complecti quicquid neceſſarium eſt ad cultum Dei & ad noſtram ſalutem.* Vel ergo triginta illa dogmata (quæ jam commemoravi) *ſunt neceſſaria ad Dei cultum & ad noſtram ſalutem*: vel non ſunt neceſſaria. Si ſunt neceſſaria, æquiſſimè poſtulamus ut manifeſtè & expreſsè legantur in eadem Scriptura, quæ ultro fatentibus & docentibus Adverſariis, *Complectitur quicquid neceſſarium eſt ad Dei cultum & ad noſtram ſalutem.* Si non ſunt neceſſaria, Cur ſe à nobis ſepararunt? Cur in ea diviſione & Schiſmate pervicaciter manent? Cur in Contradictione Coré pereunt? Verumtamen ne incidamus *in Tuſcum illud jurgium* (apud Auguſtinum in libris contra Academicos) *quod dici ſolet, quum quæſtioni intentatæ, non ejus* SOLUTIO, *ſed alterius* OBJECTIO *videtur mederi*: Quæſtiunculas illas proponam, & cum auxilio Dei diſtinctè & ſuccinctè diſſolvam.

QUÆSTIUNCULA I. MOLINÆI,

Ubi Scriptura jubet, ut Trinitas in lapide, ligno aut pictura ſub humana forma exprimatur?

Reſponſio prima Catholica. In Eccleſia Romana nemo credit aut docet, Scripturam hoc jubere: adeòque interrogatiuncula illa ſupponit falſum.

Reſponſio ſecunda. Deus apparuit innixus ſcalæ, Geneſis capite vigeſimo octavo. *Viſus eſt ſedens ſuper ſolium excelſum & elevatum*, Iſaiæ ſexto. *Antiquus dierum ſedit, cujus veſtimentum candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda*, Danielis ſeptimo. Scriptura de Deo loquens

ait: *Aperis tu manum tuam. Oculi ejus ſuper juſtos; aures ejus in preces eorum. Fecit potentiam in brachio ſuo: Si in digito Dei ejicio Dæmonia*, *&c.* Quis hæc legens in Scripturis, non illicò exprimit in imaginatione ſua formam aliquam corpoream *innixi ſcalæ, ſedentis ſuper ſolium*, *Antiqui dierum induti veſtimento candido*, &c? Si hæc interior expreſſio licita eſt, quidni & exterior?

Reſponſio tertia. Formis illis corporeis non repræſentatur Deus aut Trinitas, ſed *ſymbolum* ſub quo apparuit. Sic etiam explicant ipſimet Adverſarii, nam in Annotationibus Genevenſibus ad locum Danielis ſupra memoratum: Daniel *hâc formâ deſcribit Deum* (inquiunt) *quia nunquam in eſſentia ſua ſe manifeſtavit Patribus*; *ſed eo modo quo comprehendere poterant juxta captum ſuum.* Item in illud Joannis primo, *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi Columbam de Cælo, & manſit ſuper eum*, ita annotant iidem Genevenſes: *Certum eſt Spiritum eſſe inviſibilem, ſed Ioannes ſic loquitur, eoquòd viderit Columbam, quæ repræſentabat Spiritum Sanctum.* Denique in illud ejuſdem Joannis ibidem: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*; explicant hoc dictum eſſe *ſecundùm figuram Agni Paſchalis, qui ræpreſentarat IESVM Chriſtum.* Vides, Lector, ab ipſis oppugnatoribus noſtris admitti & expreſſè doceri formas corporeas ad repræſentanda ſymbola materialia ſub quibus Deus apparuit & ſeſe manifeſtavit.

QUÆSTIUNCULA II. MOLINÆI.

Quo Scripturæ loco præcepit Deus, homines mortuos aut Angelos eſſe invocandos?

Reſponſio prima Catholica. A nemine Catholico creditur aut docetur *hoc eſſe præceptum*, unde Cavillatio illa Molinæana iterum ſupponit falſum. Creditur quidem *licitum eſſe*: plurimum autem differunt *licitum eſſe*, & *præceptum eſſe*. Nam primæ ad Corinthios ſeptimo, *licitum eſt viduæ nubere*; non tamen ei præcipitur nubere.

Digitized by Google

Reſponſio ſecunda. Licitam eſſe ejuſmodi invocationem, probat Auguſtinus ex Scriptura: *Iacob* (inquit) *benedicens Nepotes ſuos Filios Ioſeph, ait inter cætera, Geneſis quadrageſimo octavo,* Invocabitur in his nomen meum & nomen Patrum meorum. *Vnde notandum eſt, non ſolùm exauditionem; ſed invocationem dici aliquando, quæ non Dei ſed hominum ſit.* Hæc Sanctus Doctor libro primo Locutionum Scripturæ Sacræ. Item Apocalypſis capite primo, *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & à ſeptem Spiritibus qui in conſpectu Throni ejus ſunt,* Ecce invocantur à Beato Joanne Apoſtolo *ſeptem Spiritus*, proculdubiò non tanquam authores & donatores gratiæ ac pacis; ſed tanquam interceſſores & impetratores, alioqui cur ab eo invocarentur? Sancti enim intercedunt & orant pro nobis, Hieremiæ quinto *dicit Dominus, Si ſteterit Moïſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Item ſecundæ Petri primo: *Dabo operam frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Si ergo licitè & utiliter orant pro nobis Sancti, quidni licitè & utiliter invocabuntur à nobis, ut hoc ipſum præſtent quod licitè & utiliter præſtare poſſunt?

QUÆSTIUNCULA III. MOLINÆI.

Ubínam Deus præcepit orare linguâ ignotâ?

Reſponſio Catholica. Non eſt præceptum, neque divinum neque humanum. Et apud Catholicos quilibet Fidelis pro ſuâ peculiari devotione, preces privatas ad Deum fundit, quocumque idiomate ſibi noto & familiari. Et nullum vel minimum Eccleſiæ præceptum contra hanc praxim unquam auditum eſt; prout teſtari poſſunt omnes Catholici.

Quod ad Officium divinum & Sacrificium attinet, Fideles inſtruuntur ſufficienter ab iis quorum intereſt docere in Eccleſia Dei. Quòd autē in eodem Officio & Sacrificio publico adhibeatur uſus linguæ Latinæ, ſub ſunt

graviſſimæ cauſæ. Nimirum *uniformitas ſervanda*; alioqui quomodò Germanus Sacerdos in Gallia, Gallus in Germania vel Flandria, Anglus extra ſuam Inſulam,& ſic de cæteris,poterit Officium Sacrificiumq; peragere? Deinde vulgares linguæ ſæpiùs variantur. Exemplo ſit vel Gallica quæ penè mutatur ad inſtar veſtis Gallicanæ pro modorũ (ut vocant)frequentiſſimâ diverſitate. Addo nonnulla in Scripturis reperiri, quæ non debent promiſcuè omnibus propalari.Denique *finis* tam Officii divini quàm Sacrificii eſt *Cultus Dei publicus*; ad quem poſſunt convenire diverſiſſimarum Nationum Fideles. Eſto non calleant idioma Latinũ; attamen Ritus ſeu Cæremoniæ Sacræ repræſentant ipſis myſteria magis neceſſaria ad movendum intellectum & affectum. Ejuſcemodi ritus ſunt,expreſſio Signi Crucis, genuflexiones, tunſiones pectoris, inclinationes, oſcula Altaribus & Libris Sacris exhibita, reverentiæ, thurificationes, accenſorum cæreorum uſus, & ſimilia quibus Fidelium mentes attentæ multò efficaciùs attolluntur & eriguntur in Deum, quàm vocibus confuſis, ſenilibus ac demiſſis,raucis, ob diſtantiam non audibilibus & ad certum idioma reſtrictis & limitatis. Ubi cæremoniæ ſunt ſigna ampliora, univerſaliora, & ſæpiùs intelligibiliora.

QUÆSTIUNCULA IV. MOLINÆI.

Ubinam Deus præcepit Scripturam in ignota lingua prælegere populo congregato, qui eam non intelligit?

Reſponſio Catholica. Catholicis proponitur Verbum Dei in Concionibus; Gallicè in Gallia, Germanicè in Germania,Flandricè in Flandria,Hiſpanicè in Hiſpania, Italicè in Italia, Sclavonicè in Bohemia,Polonia,& Hungaria. pro diverſis Dialectis, & ſic in reliquis Orbis partibus obſervatur.

Si quæſtio movetur à *Molinæo* de *Epiſtolis & Evangeliis* aliiſque

Digitized by Google

aliiſque Scripturis, quæ in Officio publico vel Sacrificio leguntur aut cantantur per anni circuitum; Reſponſum fuit in ſolutione præcedentis quæſtiunculæ.

Si velit idem *Molinæus* Scripturam Sacram, non in lingua ignota, ſed in vulgari, vernaculâ ac cunctis nota, omnibus ad promiſcuè paſſimque legendum exponi: quærat ab Apoſtolo Paulo, Gentium Doctore, qui *primitias Spiritus accepit, & linguarum donum habuit*; cur ad Romanos rerum Dominos, Latinos utique & non ſolummodò totius Latii, ſed & Orbis Principes, linguæ ſuæ proferendæ & ampliandæ cupidiſſimos (ut notat Plutarchus & alii) *Græcè* tamen ſcripſerit; non autem *Latinè*; quum Græca eſſet Romanis peregrina, & plurimis ignota; Latina autem communis, nativa, vernacula, & omnibus nota?

QUÆSTIUNCULA V. MOLINÆI.

Ubínam Chriſtus præcepit offerri Corpus ſuum, & ubínam conſtituit Sacerdotes?

Reſponſio Catholica, Lucæ vigeſimo ſecundo dixit Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis, HOC FACITE. Non dixit, *aliquid ſimile facite*; ſed Hoc, id eſt, IPSISSIMUM facite, quod ego feci. Et quemadmodum ibidem paulò antea dixerat, HOC EST CORPUS MEUM; ita ſubjunxit, HOC FACITE, videlicet hoc ipſiſſimum quod EGO FECI. Quid autem FECERIT, propriis verbis expreſſit. Quum enim dixiſſet HOC EST CORPUS MEUM; ſubdidit QUOD PRO VOBIS DATUR. Similiter Matthæi vigeſimo ſexto, quum dixiſſet; *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti*, addidit; QUI PRO MULTIS EFFUNDITUR in remiſſionem peccatorum. Vera Chriſti Eccleſia & Sponſa ſemper intellexit illud *Datur pro vobis*; illud *pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*, idem prorſus eſſe ac *pro vobis conſecratur, ſacrificatur, offertur*; non tantummodò *cruentè* in ara Crucis, ſed etiam *incruentè* in Cœna. Nam Chriſtus Do-

minus *eſt Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech*, Pſalmo centeſimo nono: *Et non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis, Sacerdos ſecundùm ſimilitudinē Melchiſedech, ad Hebræos ſeptimo*: Non poteſt autem *eſſe Sacerdos ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedech*, niſi offerendo *Sacrificium incruentum* ſub ſpeciebus panis & vini: alioqui offerendo duntaxat *Sacrificium cruentum*, non eſſet Sacerdos, niſi *ſecundùm ſimilitudinem Aaron*. Hinc Chriſtus Dominus, *Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech*, ſive ut loquitur Apoſtolus, *Sacerdos ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedech*, (id eſt, cujus ſimilitudo & figura fuit Melchiſedech, ipſe autem Chriſtus eſt Veritas) habet illius æterni Sacerdotii & Sacrificii incruenti *Miniſtros*, habet novi Teſtamenti executores & *Diſpenſatores*. Adeòque ut Fidelibus uſque ad conſummationem ſæculi innoteſceret, quínam eſſent veri legitimique *Miniſtri ac Diſpenſatores Myſteriorum Dei* ad quos oporteret accedere; ut iidem Fideles *Myſteriorum Dei* participes fierent, ipſe Chriſtus Dominus, *Princeps Paſtorum & Epiſcopus animarum*, inſtituit Apoſtolos ſuos Sacerdotes novæ Legis novique Sacrificii; cujus umbræ ac figuræ fuerant cuncti Legis antiquæ Sacerdotes, cuncta legalia Sacrificia. *Omnia* enim antiquis *illis in figura contingebant* (ait Apoſtolus) *& lex umbram habebant futurorum bonorum.*

Apoſtoli Epiſcopos Ordinarunt: Epiſcopi Præsbyteros *per manuum impoſitionem*, ut ſupra ſatis ſuperque oſtendi. Quis jam niſi impius & blaſphemus dicat *Chriſto Domino, Dei virtuti & Dei ſapientiæ* hanc defuiſſe providentiam circa *Corpus ſuum* myſticum, *quod eſt Eccleſia*, circa Regnum ſuum *cujus non erit finis*, circa Domū ſuam quæ *eſt Columna & Firmamentum veritatis*; ut nullum præſcriberet ordinem, quo aliquis ad Eccleſiæ regimen, ad Sacramentorum adminiſtrationem, ad Sacrificium offerendum, ad cætera Eccleſiaſtica munia peragenda conſtitueretur ac præficeretur? Certè ut cæteras orbis Chriſtiani

ſtiani poteſtates prætermittam, longè meliùs providiſſent Reipublicæ ſuæ, Celſi ac Præpotentes Fœderati Belgii Ordines, ſub quorum imperio, terrâ marive, nemo vel caſtelli, vel cohortis, vel bellicæ navis præfecturam aut minuſculum aliud officium invadere præſumit, citra eorumdem Ordinum miſſionem, commiſſionem, inſtitutionem, Ordinationem, aut aliam (quocumque tandem nomine cenſeatur) legitimam authenticamque diſpoſitionem, mediatam vel immediatam. Attamen apud Adverſarios noſtros uſurpata ſunt munia & functiones Eccleſiaſticæ ſine ullo Ordine, ſine Vocatione, ſine Conſecratione, ſine Miſſione: ſeſe ad hoc ingerentibus ac intrudentibus aliquot Laïcis profaniſque hominibus, & plurimis deſertoribus, excucullatis, fugitivis & Apoſtatis tum Regularibus, tum Sæcularibus.

QUÆSTIUNCULA VI. MOLINÆI.

Ubínam præcepit Deus non eſſe concedendum populo Calicem?

Reſponſio Catholica. Nec extat ullum præceptum divinum, neque etiam illo opus eſt; quum ſit in poteſtate Eccleſiæ concedere. Quòd autem non concedat, juſtiſſimæ ſubſunt rationes, videlicet ut ſervetur uniformitas per omnes totius Orbis Eccleſias, inter quas multæ ſunt Septemtrionales, quæ vini penuriam patiuntur; & inter Fideles diverſarum Regionum plurimi reperiuntur abſtemii, qui nec vini odorem ferant ne dum guſtum aut ſaporem. Addo Eccleſiam per hoc voluiſſe præcavere & evitare pericula frequentiſſimarum irreverentiarum in porrigendo Calice; & refellere ac condemnare Hæreſim *Huſſitarum*, qui aſſerebant uſum Calicis neceſſarium eſſe ex præcepto divino. Denique eidem Eccleſiæ non deſunt exempla, petita tum ex Scripturis, tum ex praxi antiquiſſima.

Chriſtus Dominus dedit Communionem Diſcipulis

in Emmaüs, ſub ſola panis ſpecie; ut teſtantur Hieronymus & Auguſtinus, ille in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium; hic autem libro tertio de Conſenſu Evangeliſtarum, capite vigeſimo quinto, & Epiſtola quinquageſima nona ad Paulinum, quæſtione octava. Deinde Actorum ſecundo *Fideles erant perſeverantes in communicatione fractionis panis.* Et capite vigeſimo, *Convenerunt ad frangendum panem.* Ibi non fit mentio Calicis, & juxta Adverſarios noſtros nihil eſt addendum Scripturæ. Poſtremò in Primitivâ Eccleſia, Laïci ſecum aſportabant Euchariſtiam in proprias domos, & Calix nullibi præterquam in Eccleſia à Diaconis porrigebatur. Teſtes ſunt Sanctus Athanaſius Apologiâ ſecundâ contra Arianos, S. Cyrillus Hieroſolimitanus Catecheſi quintâ, S. Cyprianus Sermone de Lapſis, S. Baſilius Epiſtolâ ad Cæſaream Patritiam, & S. Ambroſius in funebri Oratione pro Satyro Fratre.

QUÆSTIUNCULA VII. MOLINÆI.

Ubi habetur quòd Papa ſit Petri Succeſſor & Caput Eccleſiæ?

Reſponſio Catholica. Nemo citra pervicaciam negare poteſt, *Claves Regni Cælorum fuiſſe Petro datas*, Matthæi decimo ſexto: ipſi commiſſum fuiſſe à Summo Paſtore Chriſto Domino, *Paſcere Oves, paſcere Agnos*, Joannis vigeſimo primo: idque ſine limitatione, ſine reſtrictione, ſine exceptione; & quidem quamdiu durabit Ovile: hæc enim ad invicem referuntur, *eſſe Ovile, eſſe Oves, eſſe Agnos paſcendos, eſſe Paſtorem & paſcere.* Jam autem defuncto Petro, aſſignandus eſt aliquis, penès quem Claves Regni Cælorum remaneant (quandoquidem nec Chriſtus repetierit, nec Petrus ſecum abſtulerit) & etiam penes quem cura onus ac generale paſcendi officium reſideat. Quis autem ille Claviger (ut ita dicam) ille Petri Succeſſor, ille Generalis Paſtor, quem tota unquam Eccleſia ut talem agnovit,

agnovit, tum in appellationibus ſeu in provocationibus ad ipſum, tum in convocandis Synodis, tum in confirmandis, tum denique in aliis actionibus Summo & Generali Paſtori propriis: Quis inquam niſi Pontifex Romanus? Neminem alium fuiſſe teſtantur Sanctus Irenæus libro tertio capite tertio, S. Athanaſius Epiſtolâ ad Marcum Papam ex editione Argentinenſi, anno 1552. ubi eundem Marcum vocat *Apoſtolicæ Sedis & univerſalis Eccleſiæ Papam*; S. Baſilius in Epiſtola data Sabino ad Romanum Pontificem, S. Cyprianus libro quarto Epiſtolâ ſecundâ, S. Hieronymus Epiſtolâ ad Damaſum, S. Auguſtinus libro ſecundo contra Julianum capite quarto & Epiſtolâ centeſimâ ſexageſimâ ſecundâ. Item centeſimâ quintâ & centeſimâ ſextâ, S. Bernardus libro ſecundo de Conſideratione, & alii innumeri.

QUÆSTIUNCULA VIII. MOLINÆI.

Ubinam agit Scriptura de Satisfactione peccatorum in Purgatorio?

Reſponſio Catholica prima: Omnis remiſſio pœnæ in Chriſti Domini merita refertur, *neque enim in aliquo alio eſt ſalus*, Actorum quarto. Debent tamen merita illa applicari; alioquin & Judæi & Mahometani & alii Infideles ſalvarentur, nulluſque omnino homo periret.

Reſponſio ſecunda. Remitti culpam non remiſſâ pœnâ temporali, manifeſtiſſimè patet ex Deuteronomii trigeſimo ſecundo, in pœna ipſi Moyſi inflictâ de non ingrediendâ terra Promiſſionis, ob peccatum ad petram Oreb commiſſum.

Item in pœnis David Regi illatis, ſecundi Regum duodecimo, quantumvis *Dominus tranſtuliſſet ejus peccatum*. Deinde Numerorum decimo quarto quum murmuraſſet populus, *Dimiſi juxta verbum tuum* (ait Dominus Moyſi) *attamen omnes qui tentaverunt me per decem vices, non videbunt terram*.

Reſponſio

Reſponſio tertia. Locum illum Apoſtoli: *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, primæ ad Corinthios undecimo, de Purgatorio intelligunt & exponunt S. Ambroſius in eundem locum, S. Hieronymus in caput quartum Amos, S. Baſilius in caput nonum Iſaiæ, & S. Auguſtinus expreſſiſſimè in Pſalmum trigeſimum ſeptimum. Nec obſtat illa particula Quasi, dum ait Apoſtolus, *Sic tamen* quasi *per ignem*; ſi enim aliquid de proprietate diminueret; etiam & hîc, *Vidimus gloriam ejus* quasi *Unigeniti à Patre*, Joannis primo, deberet ſic intelligi & exponi, ut Filius non eſſet propriè Unigenitus à Patre, quod eſt blaſphemum.

Addo hunc locum Matthæi quinto, *eſto conſentiens Adverſario tuo, dum es in via cum eo; ne fortè tradat te Adverſarius Iudici, & Iudex tradat te Miniſtro & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*: hunc inquam locum, de Purgatorio ad literam intelligi & explicari à S. Cypriano (Baſileæ edito) libro quarto Epiſtolâ ſecundâ, Euſebio Emiſſeno Homiliâ tertiâ de Epiphania, S. Ambroſio in caput duodecimum Lucæ, & S. Hieronymo in caput ſeptimum Michææ. Ad quid autem Purgatorium, niſi ad ſatisfactionem peccatorum aut pœnarum peccatis debitarum? Nam in Cælo nulla ſunt peccata pro quibus ſatisfiat. In Inferno autem ſunt peccata, ſed pro quibus nunquam ſatisfiet. Hinc ab aliquibus refertur illud quaſi ex Auguſtini Soliloquiis: *Abyſſus judiciorum Dei ſupra me, abyſſus peccatorum intra me, abyſſus inferorum infra me. Illam quæ ſupra eſt, timeo; ne cum ea quæ intra me eſt, in illam quæ infra eſt devolvat; ubi nunquam tormenta ceſſabunt, quia peccata ſine fine manebunt.*

QUÆS-

QUÆSTIUNCULA IX. MOLINÆI.
Ubínam prohibuit Deus Sacerdotibus & Monachis matrimonium?

Reſponſio Catholica. Iis qui Sacris Ordinibus initiantur, vel Monachiſmum profitentur, non eſt prohibitum matrimonium antequam initientur aut profiteantur: Sed poſt voluntariam Ordinis Sacri ſuſceptionem aut ſolemnem Voti emiſſionem, vetitum ipſis eſt ac interdictum Vota infringere. Deuteronomii vigeſimo tertio, *Quum Votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate & ore locutus es.* Item Pſalmo ſeptuageſimo quinto, *Vovete & reddite,* & Iſaiæ decimo nono, *Vota vovebunt Domino & ſolvent.*

Poſſunt ergo Fideles vovere Caſtitatem. Habemus Chriſti Domini conſilium Matthæi decimo nono: *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum, qui poteſt capere, capiat.* Habemus & exemplum, ipſe enim non fuit conjugatus. Habemus Apoſtoli monitum primæ ad Corinthios ſeptimo, *Bonum eſt homini mulierem non tangere. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Habemus antiquiſſimam Eccleſiæ praxim. Nam Concilium Neocæſarienſe circa annum Domini trecenteſimum, ſtatuit capite primo, *Ut ſi Præsbyter uxorem duxerit, Ordine ſuo moveatur.* Nicænum primum Canone tertio *prohibet Epiſcopis, Præsbyteris, Diaconis habere domi mulierem; demptis Matre, Sorore vel Amitâ.* S. Hieronymus in principio libri adverſùs Vigilantium Hæreticum ſic ait: *Orientis Eccleſiæ, Ægipti & Sedis Apoſtolicæ, aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut (ſi uxores habuerint) qui mariti eſſe deſiſtunt.* Sanctus Auguſtinus libro ſecundo de adulterinis conjugiis capite vigeſimo, *ad deterrendum ab adulterinis conjugiis,*

ſolebat

ſolebat proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eam ſarcinam ſubeundam capiebantur inviti, eamque ſuſceptam, uſque ad debitum finem Domino adjuvante perducebant.

QUÆSTIUNCULA X. MOLINÆI.

Ubínam præcipitur Imagines coli, iis ſervire, eas adorare?

Reſponſio Catholica. Falſiſſimè imponitur Catholicis quaſi credant eſſe præceptum, aut quaſi ſerviant Imaginibus vel eas adorent. Fatentur cum Eccleſia, *Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in templis præſertim, rectè haberi & retineri, eiſque debitum honorem & venerationem impendi. Non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ: vel quòd ab eis ſit aliquid petendum; vel quòd fiducia in Imaginibus ſit figenda: ſed quoniam honos qui eis exibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræſentant.*

Quòd licitè collocentur Imagines in templis, patet Exodi vigeſimo quinto, ubi à Domino mandatur Moyſi *ut duos Cherubin aureos & productiles faciat, ex utraque parte oraculi, collocandos ſupra Arcam Teſtimonii.*

Quòd licitè poſſint honorari, docet S. Hieronymus Epiſtolâ decimâ ſeptimâ, his verbis: *Venerabantur quondam Iudæi* SANCTA SANCTORUM, *quia ibi erant Cherubin, Propitiatorium, &c. Nonne tibi venerabilius videtur* SEPULCHRUM DOMINI?

S. Auguſtinus in Editione *Eraſmi Roterodamenſis*, libro tertio de Trinitate, capite decimo, diſſerens de ſignis quibuſdam, quæ tanquam RELIGIOSA merentur *venerationem*, adducit pro exemplo SERPENTEM ÆNEUM *qui fuit ſignum* CHRISTI DOMINI IN CRUCE EXALTATI, Joannis tertio capite.

Addo res plurimas etiam inanimatas, dici & denominari in Scriptura SANCTAS, propter quemdam reſpectum

ctum ſeu relationem ad Deum, vel ad Sanctos, ut Exodi tertio capite, *Locus in quo ſtas*, TERRA SANCTA EST. Imò jubetur Moyſes eam venerari, dum ei præcipitur *ut ſolvat calceamenta de pedibus ſuis.*

Secundæ ad Timothæum tertio, Scripturæ Divinæ dicuntur *Litera Sacra*, non aliâ de causâ, quàm quia ſunt ſigna Verbi Dei. Et ad Philippenſes ſecundo, præcipitur *omne genu flecti in Nomine IESV*; non alio certè fine, quàm quia eſt ſignum repræſentans Dominum JESUM. Quum ergo ſive imago, ſive pictura, ſive Scriptura Crucifixi æquè repræſentet, & fortè meliùs, quàm nomen prolatum aut ſcriptum: quidni liceat *genu flectere*?

QUÆSTIUNCULA XI. MOLINÆI.

Quænam ſententia Scripturæ præcipit Sanctorum Reliquias adorare?

Reſponſio Catholica. In hac quæſtiuncula ſupponitur calumnia & impoſtura Hæreticis ordinaria, quaſi crederent Catholici eſſe alicubi præceptum in Scriptura, ut Reliquiæ adorentur: quum nihil aliud credant, quàm quod Martyrum & aliorum Sanctorum cum Chriſto regnantium corpora, aliquam apud Fideles venerationem mereantur; eo potiſſimùm intuitu quòd Sancti Spiritus templa, & ejuſdem Chriſti Domini membra fuerint, ab ipſo ad vitam reſuſcitanda & in æternum glorificanda.

Hujus venerationis quam Fideles Sacris Reliquiis exhibent, impugnator acerrimus fuit Hæreſiarcha quidam *Vigilantius*, ſeu veriùs *Dormitantius*, qui fœtidum os aperiens & putorem ſpurciſſimum proferens, Catholicos eo nomine *Cinerarios* ac *Idololatras* vocitabat. Hunc Eccleſiæ hoſtem qui Spiritu immundo contra Chriſti Spiritum pugnabat, & cujus caſtra Sectarii hodierni ſequuntur, confutavit Sanctus Hieronymus, Epiſtolâ quinquageſimâ tertiâ ad Riparium, his verbis: *Ais Vigilantium os fœtidum*

dum aperire & putorem ſpurciſſimum contra Sanctorum Martyrum preferre Reliquias, & nos qui eas ſuſpicimus, appellare Cinerarios & Idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur. O infœlicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens non intelligat ſe eſſe Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent! Honoramus Reliquias *Martyrum, ut eum cujus ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait:* Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. *Si non ſunt honorandæ Reliquiæ Martyrum, quomodò legimus,* Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus, Pſalmo centeſimo decimo quinto? *Si oſſa mortuorum polluunt contingentes, quomodò Elizæus mortuus mortuum ſuſcitavit,* quarti Regum decimo tertio? *Ergo omnia caſtra populi Dei fuerunt immunda, quia Ioſeph & Patriarcharum Corpora portabant in ſolitudine, & ad Sanctam Terram immundos cineres pertulerunt,* Exodi decimo tertio, & Joſué vigeſimo quarto? *Et quid paſſi ſunt Apoſtoli, ut immundum Stephani Corpus tantâ funeris ambitione præcederent; ut facerent ei planctum magnum, & eorum luctus in gaudium verteretur,* Actorum octavo? Hæc Hieronymus qui tum in eadem ad Riparium Epiſtolâ, tum in Tractatu adversùs Vigilantium Catholicam Fidem defendit, qualis vigebat eo tempore in Eccleſia Dei, & qualis etiam nunc perſiſtit & perſeverat.

QUÆSTIUNCULA XII. MOLINÆI.

Quo Sacræ Scripturæ loco fit mentio Limbi puerorum?

Reſponſio Catholica. Quandoquidem cum Acatholicis Calvinianis & aliis, de rebus Fidei contendamus; & hactenus Eccleſia nihil definiverit tanquam fide divinâ credendum, circa Limbum illum; non eſt quod de eo cum Molinæo ſcholaſticè & problematicè diſputemus, & fruſtra teramus tempus in quæſtionibus quæ non ſunt Fidei.

Digitized by Google

QUÆSTIUNCULA XIII. MOLINÆI.

In quo Sacræ Scripturæ loco ſcriptum eſt, quòd Eccleſia Romana in Controverſiis, Fidei ſupremum judicium habeat, & errare non poſſit?

Reſponſio Catholica. Univerſalis Eccleſia, Apoſtolica, antonomaſticè Romana, habet ſupremum in Fidei Quæſtionibus decidendis ac determinandis judicium; & in iis quæ ſpectant ad doctrinam Fidei & morum errare non poteſt, ob divinam & infallibilem aſſiſtentiam ipſi promiſſam.

Dico, *Univerſalis Eccleſia*, id eſt Congregatio Fidelium per totum mundum ſub uno Summo viſibili Capite, Petri Succeſſore, & Chriſti Domini Vicario.

Dico, *Apoſtolica*, ſive *ſuperædificata ſupra Fundamentum Apoſtolorum, ipſo Summo angulari lapide Chriſto IESV*, ad Epheſios ſecundo: maximè autem fundata ſuper eum de quo idem ipſe Dominus JESUS pronuntiavit: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Matthæi decimo ſexto.

Dico *antonomaſticè Romana*, eo ſenſu quo Sanctus Irenæus libro tertio, capite tertio docet ad eandem Romanam *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſſe omnem convenire Eccleſiam; hoc eſt eos qui ſunt undique Fideles*. Eo etiam ſenſu, quo Sanctus Cyprianus libro primo Epiſtolà tertià editionis Baſileenſis, Eccleſiam Romanam vocat *Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt: Cujus Fides prædicante Apoſtolo laudata eſt*, ad Romanos primo; *& ad quam perfidia non poſſit habere acceſſum*. Eo denique ſenſu, quo S. Hieronymus Apologiæ adversùs Ruffinum libro tertio, capite quarto aſſerit, *Romanam Fidem Apoſtolico ore laudatam, præſtigias non recipere; etiamſi Angelus aliter annuntiet quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli authoritate munitam non poſſe mutari*. His ſuppoſitis.

 Probatur

Probatur prima pars Reſponſionis Catholicæ, nimirùm quòd Eccleſia habeat ſupremum in Fidei quæſtionibus decidendis ac determinandis judicium. Deuteronomii decimo ſeptimo capite, præcipitur; *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris, &c. ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint & docuerint te juxta legem ejus: ſequêrisque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Hæc ſententia lata eſt à Deo, propter dubia legis quæ ſuboriri poterant circa illa quæ ad Dei Fidem & cultum ſpectant. Nõ vult autẽ Deus ut in ejuſcemodi dubiis, ſinguli ſtent ſuo privato ac interno dictamini & judicio, *Sed veniant ad Sacerdotes, quærantque ab eis qui indicabunt judicii veritatem.* Neque obſtat quod ait: *Facies quodcumque dixerint & docuerint te juxta legem ejus*, quia ſenſus eſt, quòd Deus aſſiſtat Sacerdotibus ut poſſint *juxta legem* judicare. Deinde verba illa, *juxta legem ejus*, non habentur niſi in vulgatâ noſtra editione Latina, quam Adverſarii rejiciunt. Denique aliàs cuique liberum foret judicare Sacerdotum ſententiam, utrùm nimirum *juxta legem* judicarint, an non: quum tamen Deus abſolutè jubeat, ut ſequantur ſententiam eorum, nec declinent ad dexteram neque ad ſiniſtram.

Aggæi ſecundo capite, *hæc dicit Dominus Deus exercituum, interroga Sacerdotes legem.* Malachiæ ſecundo, *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore ejus.* Secundi Paralippomenon decimo nono, monentur Sacerdotes, ut *ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus, oſtendant populo; Amarias autem Sacerdos & Pontifex in his quæ ad Dominum pertinent, præſideat.*

Reverà eo tempore quo durabat adhuc Vetus Teſtamentum,

Digitized by Google

ſtamentum, ipſemet Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos monuit, dicens Matthæi vigeſimo tertio: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcumque* DIXERINT *vobis*, SERVATE *& facite*. Ad hoc reflectens Auguſtinus Epiſtolâ centeſimâ ſexageſimâ quintâ, ſic ſcribit: *In illum ordinem Epiſcoporum* (Romanæ Eccleſiæ) *qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet; etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ & innocentibus Chriſtianis, quibus providens Dominus, ait de Præpoſitis malis*: QUÆ DICUNT, FACITE.

Ad Epheſios quarto, *Et ipſe dedit quoſdam, &c. alios Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum. His* (ait Calvinus libro quarto Inſtitutionum, capite tertio, ſectione quartâ) *non poteſt unquam carere Eccleſia*.

Primæ ad Corinthios duodecimo; *Alii datur per Spiritum Sermo ſapientiæ; alii Sermo Scientiæ, alii interpretatio Sermonum*: Sed quorſum illa neceſſitas Paſtorum & Doctorum, *quibus* teſte Calvino *non poteſt unqam carere Eccleſia*? Ad quid Spiritus *ad interpretationem Sermonum*, niſi ut emergentes circa Fidem quæſtiones decidantur, & verus Scripturæ intellectus ac ſenſus, à falſo & erroneo diſcernatur ac ſecernatur?

Secunda pars *Catholicæ Reſponſionis* ſupra poſitæ, ſcilicet *quòd Eccleſia in iis quæ ſpectant ad doctrinam Fidei & morum, errare non poſſit*, probatur, ex Matthæi decimo ſexto, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*, Et capite ultimo, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*.

Primæ ad Timothæum tertio, *eſt Eccleſia Dei vivi, Columna & Firmamentum Veritatis*. Non poteſt ergo Eccleſia deficere, non poteſt errare in iis quæ ſpectant ad doctrinam Fidei & morum, niſi *Columna illa & Firmamentum Veritatis* infirmetur ac evertatur; & niſi adversùs ejus firmitatem *prævaleant Inferi Portæ*, quas non prævalituras Chriſtus affirmavit, promiſit, hactenus ne prævalerent,

 providit

providit & præcavit; ac in æternum frementibus ringentibusque Dæmonibus & eorum inſtrumentis ac Miniſtris providebit & præcavebit.

Denique Actorum decimo tertio capite, obortâ gravi controverſiâ, CONVENERUNT *Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc*, & *tandem* quæſtionem hoc ultimo, finali ac infallibili judicio & pronuntiato determinarunt, *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis.* Unde Beatus Auguſtinus libro ſeptimo contra Donatiſtas capite quinquageſimo tertio: *Nobis tutum eſt* (inquit) *in ea non progredi aliquâ temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio capta, in nullo plenario Concilio terminata ſunt: Id autem fiduciâ ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri & Salvatoris IESV Chriſti, univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Quare verò *tutum eſt id fiduciâ ſecuræ vocis aſſerere, quod univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt*, niſi quia ejuſdem *univerſalis Eccleſiæ conſenſio* infallibilis eſt, ob infallibilem Spiritus S. *aſſiſtentiam*? juxta illud Joannis decimo ſexto, *Spiritus Veritatis docebit vos omnem veritatem.*

Denique idem Sanctus Doctor libro primo contra Creſconium capite trigeſimo tertio, agens de Baptiſmo Hæreticorum: *Quamvis hujus rei* (inquit) *de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas; quum hoc facimus quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas:* ut quoniam Sancta *Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis; eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate, Sancta Scriptura demonſtrat.*

QUÆSTIUNCULA XIV. MOLINÆI.

Quo loco Mater Dei nominatur Regina Cælorum.

Reſponſio Catholica. Si non pigeret & puderet Calvinianum morem imitari, quæreremus viciſſim, quo Scripturæ loco

loco Pater & Filius & Spiritus Sanctus nominantur *Trinitas*?

Quo loco *nominatur Perſona* Patris, aut *Perſona* Filii aut *Perſona* Spiritus Sancti?

Quo loco Miſſio *Filii Dei facti ex muliere*, nominatur Incarnatio?

Si quis paulò attentius reflectere, & juſtè rectèque expendere voluerit, certò certius deprehendet nullo ferè alio ſigno vel notâ viſibilius demonſtrari, notiùsque ſaltem extrinſecè diſcerni veram Chriſti Domini Eccleſiam (antonomaſticè Romanam) à quacumque alia prætenta, quàm illo cultu honoris, reverentiæ & venerationis, quam exhibet Beatiſſimæ Sacratiſſimæque Virgini Deiparæ.

Sponſa cujuſcumque, ſi benè educata, ſi bonis moribus imbuta, ſi ſapiens prudensque, ſi officii ſui memor, demùm (ut multa paucis complectar) ſi recti honeſtiq; ſtudioſa fuerit; nuſquam abnuet aut detrectabit Sponſi ſui Matri amorem, honorem, reverentiam, obſequium, cultum, obſervantiam, pietatem, eâ quâ par eſt animi devotione exhibere.

Nec indignabitur aut moleſtè feret Sponſus, Matrem ſuam à Sponſa amari, coli, honorari. Exemplo ſit Galliarum Regina. An fortaſſis Rex ipſe non æqui boníque conſulet, quòd Regina Uxor Reginam Regis Matrem diligat, revereatur, colat? An ipſe Rex, Supremus Monarcha, ſuccenſebit, ſibique irrogari putabit injuriam quòd Mater & *Domina* paſſim & *Regina* nuncupetur? Sed ipſemet eam ſic nuncupat, nec alio nomine non ſolùm apud Gallos, ſed & apud exteros innoteſcit. Quid ergo mirum ſi vera Chriſti Sponſa, Catholica Eccleſia, Sponſi ſui Matrem colat, honoret, veneretur, Reginam honorificétiæ causâ appellet? Quòd ſi tanto rigore & pluſquam Judaïcâ ſuperſtitione adhærendum & inhærendum ſit cortici Scripturarum, ſeu literæ; ut nihil quod Chriſto legitur competere principaliter, ulli omninò crea-

 turæ,

turæ, vel ſubalternè, vel miniſterialiter (ut ita loquar) vel participativè aut nuncupativè tribuatur: Cur ergo prætenti Reformati Regem Sueciæ, Daniæ, Angliæ appellant; quum de Chriſto legant *Ego autem conſtitutus ſum Rex*; *Deus judicium tuum Regi da*: *Regi ſæculorum immortali, &c.*? Cur Saxoniæ, Cliviæ & ejuſcemodi Duces nominant, quandoquidem de Chriſto prædictum & dictum ſit, *ex te exiet* Dux *qui regat populum meum*? Denique cur Fœderati Belgii Ordines nuncupant Dominos? Quare Filii progenitores ſuos vocant Patres aut Diſcipuli Didaſcalos ſuos, Magistros? quum non ignorent aut non debeant ignorare has Scripturas, unus Dominus, ad Epheſios quinto, quod ipſi vertunt Gallicè: *Vn ſeul Seigneur. Patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim Pater veſter, qui in Cælis eſt; nec vocemini Magiſtri; quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Reverà ſi tam rigidè hæc omnia intelligenda, & ad amuſſim obſervanda ſint, longè plauſibilior erit *Fanaticorum Trementium* ſeu *Quakeriorum* Reformatio in Britannia quàm Calvinianorum. Illi enim nec *Regis*, nec *Domini* nomen, nec ullum omninò ulli creaturæ honorem audent exhibere, ne Chriſto detrahatur, quod creaturis impenditur.

Ut autem ſcias (benevole Lector) quo fundamento Eccleſia Catholica dicat in precibus publicis, *Salve Regina*, &c. *Ave Regina Cælorum*, *Regina Cæli lætare*, &c. Reflecte ad ſequentia.

Paulus ſcribens ad Hebræos, & ipſis prædicans Chriſti Domini excellentiam, ſic ait: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum, ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.*

Quidni ergo ſimili modo ratiocinari liceat in laudem Sacratiſſimæ Virginis Mariæ: *tantò melior Angelis aliiſque creaturis effecta eſt, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando creaturarum, Mater mea es tu, genuiſti me corporaliter?* An ergo Reginæ nomen non

meretur,

meretur, quæ ad tantum & tam excellentis dignitatis faſtigium ſupra omnes creaturas evecta eſt ac ſublimata? Ipſemet Chriſtus Dominus Matthæi vigeſimo quinto dicit electis ſuis, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à Conſtitutione mundi.* Et capite quinto, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Item *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam quoniam ipſorum eſt Regnum Calorum.*

An fortaſſis obgannient *Molinæani Antidico-Marianitæ* Beatiſſimam Dei Genitricem Mariam, vel non eſſe *benedictam* vel non fuiſſe *ſpiritu pauperem* vel nullam *propter juſtitiam ſuſtinuiſſe perſecutionem*? An opponent minùs eſſe *Regnum poſſidere*, aut *Regnum* Cælorum eſſe alicujus ſeu ad aliquem ſpectare; quàm Regem aut Reginam denominari? Imò plus eſt poſſidere Regnum quàm Regem aut Reginam appellari. Nam & Angliæ Rex, ſeſe Franciæ Regem nuncupat, & hic Navarræ Regis titulum præ ſe fert, & Hiſpaniarum Rex, ac etiam Lotharingiæ Dux, Hieruſalem Reges nomine tenus vocitantur; quum tamen prædictorum Regnorum aut nihil prorſus, aut vix quicquam poſſideant.

Apocalypſis ſecundo, *Qui vicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea.* Item capite tertio: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo.* An ergo Beatiſſima Virgo Maria non vicit glorioſiſſimè *adverſarium noſtrum Diabolum, qui tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret*? An non perfectiſſimè *cuſtodivit uſque in finem opera Filii ſui*? Cur ergo non *regat*? cur Regina non ſit? Cur non *ſedeat cum Filio in ejus throno*? Denique ſi vel tantillum pii erga Beatiſſimam Dei Matrem affectus, in cordibus prætentorum Reformatorum ſcintillaret, poſſent de ea intelligere illud Pſalmi quadrageſimi quarti; *Adſtitit* REGINA *à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Quamvis enim de Eccleſiâ juxta literalem ſenſum dicatur; ali-

qui tamen de Sanctiſſima Dei Genitrice interpretantur.

Hoc ſaltem Apocalypſis duodecimo, *De muliere amicta ſole, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim*, poſſent cum Auguſtino, libro quarto de Symbolo ad Catechumenos capite primo ſic explicare, ut dicerent *per mulierem illam fuiſſe ſignificatam Virginem Mariam, quæ caput noſtrum integra integrum peperit; quæ etiam ipſa figuram in ſe Sanctæ Eccleſiæ demonſtravit.*

QUÆSTIUNCULA XV. MOLINÆI.

Quo Scripturæ loco Deus prohibeat Populo, ne ſine ſpeciali licentia Sacram Scripturam legat?

Reſponſio Catholica. Huic interrogatiunculæ ſubeſt impoſtura; dum ſupponitur credi à Catholicis, Deum ejuſcemodi lectionem prohibere, & quæritur quo Scripturæ loco prohibeat. Deinde ſubeſt *fallacia à dicto ſecundùm quid ad dictū ſimpliciter*, dum hoc modo colligit Molinæus; *Eccleſia Romana ſeu ejus Antiſtites certis quibuſdam perſonis, in aliquibus circumſtantiis interdicunt lectionem Scripturæ Sacræ, ſeu potiùs verſionum in linguas vernaculas, ſæpè ſæpiùs depravatarum & ad errores inducendos compoſitarum; ergo interdicunt lectionem Scripturæ Sacræ.*

Adverte *Lector* Eccleſiam ſeu illius Antiſtites poſſe ferre præcepta in utilitatem Fidelium ſubditorum. Alioqui fruſtra dixiſſet Apoſtolus ad Hebræos ultimo capite, *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et aliunde deterioris conditionis foret Eccleſia, ejusque Præſules, quàm Reſpublica Batavorum, ejusque Moderatores ac Primates, qui ſubditos tum Trajecti tum alibi, ad certos jejuniorum & precationum dies obligant, ubi & quando ipſis conſultum videtur.

Adverte inſuper à nonnullis Scripturas legi ad conſolationem devotionemque ex iis hauriendam: ab aliis ut magis

magis in vera Fide confirmentur, & adversùs Novatores muniantur: Et his quidem non prohibent Eccleſiæ Paſtores Sacrarum Scripturarum lectionem, quandoquidem bono fine ei vacent & incumbant. Aliqui verò *indocti & inſtabiles* (ut loquitur Sanctus Petrus) ac præſumptuoſi vaniq́ue homines, *in Sanctos Libros divinarumq́ue rerum plenos ſine duce irruunt, & de his ſine præceptore audent ferre ſententiam*, prout conqueritur Auguſtinus, libro de Utilitate credendi capite ſeptimo. Et Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum: *quod Medicorum eſt* (inquit) *promittunt Medici; tractant fabrilia Fabri. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Hanc garrula Anus, hanc delirus Senex, hanc Sophiſta verboſi, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequā diſcant*. Ejuſcemodi hominibus indoctis, inſtabilibus, præſumptuoſis, interdicunt Eccleſiæ Antiſtites affectatam Scripturarum, & potiſſimè in vernaculis ſuſpectisq́ue idiomatibus lectionem, ex graviſſimis rationibus.

Prima eſt & certè primaria, quod quilibet Lege divinâ naturali charitatis ad ſemetipſum, teneatur non ſolummodò vitare ea quæ ſunt ſaluti nocitura; verumetiam occaſionem proximam, & periculum præſentiſſimum incurrendi & labendi in illa. Exempli causâ, non tantùm quis vitare tenetur ebrietatem, homicidium, fornicationem, ſed etiam occaſionem proximam & evidentiſſimum ebrietatis, homicidii, fornicationis committendæ periculum, juxta illud *qui amat periculum peribit in illo*. Quum ergo indoctis, inſtabilibus, præſumptuoſis, vanis, incautis hominibus immineat præſentiſſimum periculum, ne ſi promiſcuè temerèque in lectitanda (ut paſſim vocantur) Biblia involent, iis abutantur ad ſuam perniciem, ad erroneam intelligentiam, ad pravam interpretationem, ad falſum, hæreticum, imo & impium ſenſum, ad proprium ſcandalum, ad perverſas de Deo diviniſq́ue myſteriis opiniones, quodq́ue pejus eſt, etiam ad blaſphema judicia formanda, quiſnam prudens & tantum periculum præ-

Digitized by Google

ſentiens, non cenſeat talem hominem ab eodem periculo (quantùm fieri poteſt) arcendum & amovendum? Hoc facit piiſſimo ſanè fine Eccleſia Mater, dum ejuſmodi Filiis lectionem Sacræ Scripturæ vetat, ne ipſis noceat.

Imò potiùs quod etiam verius eſt, Præceptum divinum naturale, quo ad præcavenda talia pericula obligantur, ipſis repetit & inculcat. Sic & infirmis quibuſdam, vini & certorum quorumdam eduliorum alioqui optimorum uſus adimitur, & pueris cultelli cæteroquin utiles ſubtrahuntur.

Secunda ratio eſt, Longa diuturnaque per ſedecim ſæcula, hoc eſt, per mille & ſexcentos annos experientia, quâ edocta eſt Eccleſia tot propudioſiſſimas, abſurdiſſimas, impuriſſimas & frequentiſſimas Hæreſes, non aliunde originem habuiſſe, quàm ex eo quòd *Scripturæ bonæ intelligerentur non benè*, ait Auguſtinus. Et unde quæſo hiſce noviſſimis temporibus tam prodigioſa Sectarum Sectariorumque multiplicitas & diverſitas, niſi ex iiſdem *Scripturis bonis*, paſſim lectitatis & *non bene intellectis*? *Non poſſet error oboriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de Scripturis non intellectis*, inquit idem Sanctus Doctor libro octoginta Quæſtionum, quæſtione ſexageſimâ nonâ. Et libro trigeſimo ſecũdo contra Fauſtum, alloquens Manichæos Hæreticos ſic ait: *Videtis id vos agere, ut ſuus cuique animus author ſit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet. Id eſt, ut non authoritati Scripturæ ſubjiciatur ad Fidem; ſed ſibi Scripturam ipſe ſubjiciat: non ut ideò illi placeat aliquid, quia ſcriptum legitur; ſed ideò rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima miſera, quò te committis? Cur non potiùs Eccleſiæ tam fundatæ authoritati te committis?* Hæc Auguſtinus, qui genuinos hæretici Genii mores apprimè noverat. Illud ipſum in hodiernis Sectariis videre eſt, *quorum animi ſibiipſis Authores ſunt quid in quaque Scripturâ probent, quid improbent*: imò quas Scripturas probent, quas improbent, nec idcirco aliquid ipſis placet, quia in Scripturis legerunt: ſed ideo Scripturas legunt, ut errores

quos

Digitized by Google

quos antea conceperant, & in quibus ſibi complacebant, ementito Scripturarum colore adumbrarent, & corraſis hinc inde Sacrorum Textuum male applicatis ſententiis ſuſtulcirent.

Exempli causâ, de Summis Pontificibus, Sacerdotibus, Monachis, Euchariſtiæ Sacramento & Sacrificio, abſtinentiis, jejuniis & ejuſmodi peſſimè jam ſentire cæperant: illicò ad Scripturas convolarunt, ut illic explorarent & aucuparentur, ſi quid præjudiciis ſuis ſaltem ſpecie tenus patrocinari & ſuffragari animadverterent, vel in affectati erroris defenſionem, quantumvis obtorto collo pertrahi poſſe conſpicerent.

Multò vetuſtior Auguſtino Tertullianus longè antea hanc quæſtionem ventilavit & diſcuſſit; imò omnes Hæreticorum callidas objectiones prævênit & diſſolvit, in libro incomparabili *de Præſcriptionibus* adversùs eoſdem Hæreticos, hiſce verbis: *Nobis CVRIOSITATE opus non eſt poſt Chriſtum IESVM, nec INQVISITIONE poſt Evangelium. Quum credimus, nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim credimus, non eſſe ultra quod credere debeamus.* Scriptum eſt (inquiunt Hæretici) Quærite & invenietis. *Quando hanc vocem emiſit Dominus, recordemur. Puto in primitiis doctrinæ ſuæ: meritò ergo tunc dictum eſt,* Quærite & invenietis; *quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat. Et hoc quantùm ad IVDÆOS: ad illos enim pertinet totus ſermo ſuggillationis iſtius, qui habebant ubi quærerent Chriſtum.*

Habent (*inquit*) Moyſen & Eliam, *id eſt Legem & Prophetas Chriſtum prædicantes: ſecundùm quod & alibi apertè;* Scrutamini (*ait*) Scripturas in quibus ſalutem ſperatis; illæ enim de me loquuntur. *Hoc erat,* Quærite & invenietis. *Vnius & certi inſtituti infinita inquiſitio non poteſt eſſe. Quærendum eſt donec invenias; Vbi inveneris, nihil amplius niſi cuſtodiendum quod credidiſti. Ratio autem Articuli hujus in tribus conſiſtit. In re, tempore & modo. In re, ut quid ſit quærendum conſideres. In tempore, ut quando. In modo, ut quo uſque. Igitur quærendum eſt quod Chriſtus inſtituit: utique quamdiu*

Digitized by Google

quamdiu non invenis, & utique donec invenias; Inveniſti autem quum credidiſti. Vbi enim erit finis quærendi, ubi ſtatio credendi, ibi expunctio inveniendi. Semel dixerim, Nemo quærit, niſi qui aut non habuit, aut perdidit. Regula à Chriſto inſtituta nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas Hæreſes inferunt, & quæ Hæreticos faciunt. Infra. *Omnes* Hæretici *tument, Omnes ſcientiam pollicentur; Ante ſunt perfectè Catechumeni quàm educati. Ipſæ Mulieres Hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, &c.* Hæc Tertullianus.

Tertia ratio eſt. Quia in antiquo Teſtamento, apud Judæos erant Legiſperiti & Scribæ qui legerent Legem, & populo neceſſaria exponerent. Imò tempore Eſdræ, Scriptura Sacra non extabat in lingua vulgari. Addit Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum, hæc verba: *Iſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem quis poſſit vel intelligere vel exponere? Tertius* (videlicet Ezechiel) *principia & finem habet tantis difficultatibus involuta; ut apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos, ante annos triginta non legantur.* In novo autem Teſtamento *Chriſtus dedit quoſdam Apoſtolos, alios Doctores & Paſtores,* ad Epheſios quarto. Et Scripturæ Sacræ ſaltem ejuſdem novi Teſtamenti pro omnibus conditæ, & conſcriptæ ab iis qui omnia callebant idiomata, non tamen omnibus linguis, ſed aliquibus peculiaribus duntaxat exaratæ ſunt. Hinc ergo patet Chriſtum Dominum non voluiſſe, ut quilibet de plebe legeret promiſcuè Scripturas. Et mirum ſanè eſt Adverſarios noſtros, qui hoc tantoperè urgent, inſtant, ſatagunt; mirum inquam eſt vel concionari vel audire Miniſtros concionantes eoſque tot & tantis ſtipendiis alere. Satius enim foret longè copioſiſſimam Bibliorum multitudinem edere, ut poſſent omnium manibus ingeri, & ab omnibus paſſim lectitari. Quod tamen prætenti Reformati non faciunt.

QUÆSTIUNCULA XVI. MOLINÆI.

Quo Sacræ Scripuræ loco, Pontifici Romano authoritas & poteſtas confertur, ſuperfluas ſatisfactiones Sanctorum & Monachorum in theſaurum Eccleſiæ colligendi, eaſdem pro aliis in ſolutionem applicandi, & per Indulgentias erogandi?

Reſponſio Catholica. Eſt in Eccleſia poteſtas concedendi Indulgentias, id eſt, datur poteſtas ad pœnas temporales divinò judicio peccatis actualibus debitas (remiſsà jam culpâ) relaxandas per applicationem ſuperabundantium Satisfactionum commiſſarum diſpenſationi Eccleſiæ.

Dico *per applicationem, &c.* quia non poteſt Eccleſia pro ſuo libitu relaxare; ſed per modum cujuſdam diſpenſationis: neque etiam poteſt omninò gratìs; ſed per applicationem Satisfactionum Chriſti Domini. An etiam & aliorum Sanctorum? non videtur ita indubitabile: quemadmodùm nec ita certum, an per actum judicialem abſolvendo à pœna: an verò per exhibitionem Pretii, ſeu Satisfactionis ſufficientis.

Probatur Reſponſio. Joannis vigeſimo & alibi datur poteſtas *ligandi & ſolvendi, remittendi & retinendi.* Nec reſtringitur ad ſola vincula culpæ in Sacramento. Imò verò quum ſit Supremi Principis favor, eo ipſo eſt ampliandus. Addo quòd cuicumque conceditur Majus, conceditur & Minus, niſi expreſsè excipiatur: atqui in Eccleſia conceditur poteſtas abſolvendi à culpa quantumcumque gravi ac enormi, ergo & à pœna, quod utique longè minus eſt.

Matthæi decimo ſexto promittuntur Petro *Claves Regni Cælorum*, ſeu poteſtas aperiendi & tollendi omnia impedimenta.

Digitized by Google

menta. Quod autem Chriſtus Dominus promiſit, hoc veraciter & fideliter adimplevit, nec à Petro repetiit datas ſemel Claves: neque Petrus aut perdidit, aut exportavit (ut antea monui) ergo penès aliquem manent, quiſquis ille ſit. Quinam autem erit niſi is, quem tota hactenus Eccleſia ſemper agnovit ut Chriſti Domini Vicarium & Petri Succeſſorem, videlicet Pontificem Romanum? *Subſumo*, Atqui obligatio ad pœnam temporalem eſt impedimentum ingreſſus ad Regnum Cælorum, ergo harum Clavium poteſtati ſubeſt.

Secundæ ad Corinthios ſecundo, Paulus abſens remittit Corinthio inceſtuoſo partem pœnitentiæ; & hoc quidem *in perſona Chriſti*, id eſt, Chriſti judicio debitam: Remittit (inquam) rogatu Fidelium, in favorem, & gratiam. Non autem fuiſſet gratia nec favor, ſi ſolam pœnam Eccleſiæ judicio debitam remiſiſſet, nam ſemper manſiſſet pœna Dei judicio debita.

Primæ ad eoſdem Corinthios quarto, Eccleſiæ Præſules dicuntur *Miniſtri Chriſti & Diſpenſatores myſteriorum Dei*, eo videlicet modo, quo Deo honorificum eſt & Eccleſiæ utile. *Myſteria* autem illa diſpenſanda, ſunt merita & & ſatisfactiones Chriſti Domini, & applicatio eſt ipſamet diſpenſatio. Quæ quidem merita & ſatisfactiones ſunt valoris infiniti, pro peccatis noſtris exhibentur & à Deo acceptantur. Unde hæc acceptatio eſt ECCLESIÆ THESAURUS. Et quemadmodùm in Republica benè ordinata ſunt quædam bona communia, quorùm adminiſtratio committitur ejuſdem Reipublicæ Rectoribus & Magiſtratibus; ita in Eccleſia utique ordinatiſſima, ſunt bona ſpiritualia communia & communicanda ſeu diſtribuenda & diſpenſanda per ejuſdem Eccleſiæ Hierarchas.

Patet denique Catholica Reſponſio ex antiquiſſima praxi remittendi pœnitentias, aut pœnitentiæ partes, intervenientibus Martyrum precibus, prout teſtatur Tertullianus in libro ad Martyres. Et Sanctus Cyprianus, libro tertio, Epiſtolâ quintâ Eraſmianæ editionis, monet

Martyres

Martyres ut prudenter, cautè & ſollicitè utantur hoc jure; nec quibuſlibet lapſis applicent nimis facilè ac indifferenter.

Denique Sanctus Gregorius Magnus ante mille annos conceſſit Indulgentias Stationum Urbis Romæ. Leo III. ante ſeptingentos annos conceſſit Indulgentias Eccleſiæ Aquiſgranenſi, & Concilia Viennenſe, Conſtantienſe ac Tridentinum Doctrinam Catholicam de Indulgentiis approbarunt. Conceſſio Indulgentiarum circa vivos, non eſt rigoroſa ſatisfactio à debitore præſtita; ſed eſt ſatisfactionis alienæ applicatio ab habente poteſtatem legitimam applicandi, ſub conditione alicujus operis præſtandi. Quòd ſi conceſſio fiat circa defunctos, tunc eſt ex ſolutione theſauri. Quum enim pœnæ debitum ſit perſonale, & Deus tanquam creditor habeat jus pœnam illam exigendi à debitore perſonali (ut ita dicam) hoc ipſo quo dedit Petro ejusque Succeſſoribus *Claves Regni Cælorum*, ceſſit juri ſuo vel ſaltem juris rigori; ita ut jam acceptet ſatisfactiones oblatas ab iis quibus dedit Claves, ad tollenda impedimenta ingreſſus ad Regnum Cælorum. Quid ſi in Indulgentiis quæ pro vivis relaxantur, aliquid de pœnitentiis injunctis remittatur, tunc quantum per impletionem pœnitentiæ injunctæ fuiſſet redemptum, tantumdem de pœna Dei judicio debita remittitur per Indulgentiam. Si verò hæc limitetur ad quinquaginta annos: verbi gratiâ, tantum de pœna remittitur, quantum per quinquaginta annorum pœnitentiam ex rigore Canonum peragendam deleretur. Antiqui enim Canones decem aut ſeptem annorum pœnitentiam homicidis vel adulteris imponebant, & quoties ejuſmodi peccatum multiplicabatur, toties excreſcebat ſeu augebatur numerus annorum pœnitentiæ peragendæ.

Digitized by Google

QUÆSTIUNCULA XVII. MOLINÆI.

Ubi & quando Deus dedit Papæ poteſtatem Reges exauthorandi, animas è Purgatorio liberandi, & ſeptem vel octo millium annorum Indulgentias communicandi.

Reſpondeo ad primam interrogatiunculæ partem, à nullo Catholico credi, multò minùs aſſeri, quòd Deus Summo Pontifici, ut eſt Summus Pontifex & Petri Succeſſor, dederit Dominium aut Juriſdictionem ullam temporalem, directam & abſolutam. Unde non poteſt tanquam Ordinarius Judex directè Reges exauthorare, ſicut poteſt Epiſcopos juſtis de cauſis, quia non eſt directus Superior temporalis Regum. An autem poſſit indirectè, id eſt, An ſaluti animarum cujuſvis Regni Catholici directè providendo (ubi neceſſe eſt) poſſit ex conſequenti ac indirectè amovere Regem Hæreticum, contrarium & pernitioſum ſaluti Fidelium, quæſtio eſt politicè quodammodò agitata, ab aliquibus affirmata, ab aliis mordicus negata; ſed hactenus neque affirmativa neque negativa opinio, eſt ultimo Eccleſiæ judicio deciſa aut determinata. Adeòque non eſt quod de ea cum Adverſariis noſtris diſceptemus aut contendamus.

Sed mirum eſt, hanc eandem moveri quæſtionem à Calvinianis, quorum Fratres Angli non ita pridem, mirante, imò obſtupeſcente toto Orbe Chriſtiano Regem ſuum legitimum Carolum Stuardum carceri mancipa-runt, velut reum proprio ſubditorum tribunali ſiſti, & cauſam dicere coegerunt, mox capitis damnatum, non tantummodò exauthorarunt, verumetiam in Urbe Regia Londinenſi, ſpectante populo, & Regni totius & Eccleſiæ Anglicanæ Caput, unâ eâdemque nefariâ parricidæ Carnificis manu amputarunt. Ubínam ergo illa in Reges obſervantia? Ubi illa Sacratorum Coronatorumque

Capitum

Capitum Reverentia, quam præ ſe ferre fingit & ſimulat impoſtor Molinæus? An fortaſſis Galli *Huguenotti*, quemadmodùm ſub initium vocitabantur, Regi ſuo Chriſtianiſſimo fideliores & obſequentiores fuerunt? Sed Rupellani aliique ipſis fœderati rebelles, & Regi fidelibuſque illius ſubditis inteſtinum bellum inferentes, facto ipſo teſtati ſunt quid voluerint & quid attentaturi fuerint, ſi pares perduellibus animis vires ſuppetiiſſent. Verùm juſtiſſimis Ludovici Juſti armis compreſſi, ad officium tandem, volentes nolentes, redire compulſi ſunt. Quid *primi Geuſii* Belgæ, ſic vulgò nominati? An Catholicis Regibus obedientiam ſubmiſſionemque vel præſtiterunt vel exhibuerunt? Quid denique GENEVA, quæ Reformati Gregis Caput, *forma & exemplum* eſſe debuerat, An ipſa in obſequio Principum tenacior permanſit? Certè ubi primùm *Calviniani Spiritus primitias accepit*, mox etiam rebellionis Spiritu agitata, jugum omne excuſſit, ut ſeſe in libertatem vendicaret. At in quam quæſo libertatem? In CONSCIENTIÆ LIBERTATEM ait Synagoga Libertinorum. Hæc eſt nimirum libertas, cujus prætextu credunt Adverſarii quicquid ipſis lubet, cujus præſidio quodvis prætentæ Religionis exercitium vel tolerant vel ſequuntur, dummodò Catholicæ Fidei adverſetur. Apud eos liberi ſunt Mahometani, Judæi, Anabaptiſtæ, Ariani & ejuſcemodi; ſolis Catholicis publicum Catholicæ Romanæque Religionis exercitium adimitur, interdicitur, plectitur; hoc fortaſſis politico Judaïcoque prætextu: Si hos *dimittimus* ad liberum Profeſſionis ſuæ exercitium, *omnes credent* Catholicè; *& venient Romani & tollent locum noſtrum & gentem.* Ioan. c. 11.

Quod attinet ad ſecundam & tertiam interrogatiunculæ partem ſatisfactum eſt in præcedenti Reſponſione. Si quis eaſdem captioſas Molinæi propoſitiones fuſiùs confutatas videre voluerit, legat *Compendium Controverſiarum*, *Authore Reverendo Patre Bernardino Vetweis, Recolle-*

Digitized by Google

corum Provinciæ Colonienſis Provinciali, Coloniæ editum, typis hæredum *Ioannis Crithii*, anno 1641. Ubi ex profeſſo haſce eaſdem quæſtiunculas diſcutit, mendacia, dolos ac impoſturas detegit & refellit; Catholicæ autem Fidei veritatem, puritatem & ſoliditatem adſtruit.

Finis Methodi Defenſivæ.

ME-

Digitized by Google

METHODVS
PROBATIVA
SEV
AD PROBANDAS FIDEI CATHOLICÆ VERITATES.

Digitized by Google

ctorum Provinciæ Colonienſis Provinciali, Coloniæ editum, typis hæredum *Ioannis Crithii*, anno 1641. Ubi ex profeſſo haſce eaſdem quæſtiunculas diſcutit, mendacia, dolos ac impoſturas detegit & refellit; Catholicæ autem Fidei veritatem, puritatem & ſoliditatem adſtruit.

Finis Methodi Defenſivæ.

ME-

Digitized by Google

METHODVS
PROBATIVA
SEV
AD PROBANDAS FIDEI CATHOLICÆ VERITATES.

Digitized by Google

Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, Spe & Fide. Primæ Petri tertio capite.

Digitized by Google

BEATISSIMÆ MONICÆ,

Virginum, Conjugatarum,
Viduarum

EXEMPLARI PERFECTISSIMO;

Incomparabilis Auguſtini
INCOMPARABILI MATRI

QVÆ VT VIRGO,

Domi educata pudicè ac ſobriè,
Potiùs à Deo ſubdita fuit Parentibus, § Aug. lib. 9. Confeſſ. cap. 9.
quàm à Parentibus ſubdita Deo.
Ab iis tradita Viro.

VT CONIVGATA,

Servivit ei tanquam Domino,
Satagens ipſum lucrari Deo,
Loquens moribus ſuis;
Ita tolerans cubilis injurias, ut nullam
unquam cum Marito habuerit
ſimultatem:

Nuſquam reſiſtens, non tantùm facto; ſed ne verbo quidem: Jam verò refracto & quieto Conjugi, quum opportunum videret, rationem facti reddebat.

 Socrum

Socrum ſuam malarum Ancillarum
ſuſurriis adversùs ſe irritatam
vincebat obſequiis.

Inter diſſidentes atque diſcordes vicinas, tam ſe præbebat pacificam, ut nihil alteri de altera proderet, niſi quòd ad eas reconciliandas valeret.

Virum ſuum jam in extrema vita temporali ejus, lucrata Deo: in illo jam fideli non plangebat, quod in nondum fideli toleraverat.

Quiſquis Servorum Domini noverat multùm in ea laudabat, & honorabat, & diligebat Deum; quia ſentiebat præſentiam ejus in corde illius, Sanctæ Converſationis atteſtantibus fructibus.

VT VIDVA,

Frequentabat eleëmoſynas, obſequebatur atque ſerviebat Sanctis, nullo die prætermittebat Oblationem ad Altare; bis in die, manè & veſperi ad Eccleſiam ſine ùlla intermiſſione veniebat; ut audiret Deum in ſermonibus, & Deus illam in Orationibus: ſollicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, Orationibus vivebat.

UT

Digitized by Google

VT MATER,

Pietate fortis, terrâ mariq́ue Auguſtinum ſuum ſequebatur, in periculis omnibus ſecura de Deo; cui preces & lacrymas denſiores fundebat, ut accelerarer adjutorium ſuum. Cum gemitu quærebat quod cum gemitu pepererat. Multos annos flebat, ut oculis Dei viveret.

Vnum ei erat propter quod in hac vita aliquantùm immorari cupiebat; ut filium videret Chriſtianum Catholicum, priuſquam moreretur: & hoc ei cumulatiùs præſtitit Deus.

Optimi Filii

PARENTI OPTIMÆ, CATHOLICISSIMÆ, PIISSIMÆ,

Quæ Fidem ſuam, *operantem per dilectionem*, oſtendit & probavit ex operibus bonis, modo utique probandi longè omnium efficaciſſimo, & ipſis etiam Eccleſiæ Paſtoribus, Doctoribus, Prædicatoribus, vel maximè & apprimè neceſſariò, ſi bene & fideliter paſcere, ſi ſalubriter docere, ſi utiliter & fructuosè prædicare voluerint.

HANC METHODVM PROBATIVAM,

Doctrinamq́; ex Auguſtini penu deprómptam

REPENDO, DICO, CONSECROQUE.

Digitized by Google

METHODI PROBATIVÆ

CAPVT I.

Quis ſit hujus Methodi ſcopus ſeu finis?

MOnui antea, in *Methodo Defenſiva, capite decimo* paginâ 373. ſub finem, probandi onus citra ullam prorſus exceptionem, neceſſariò incumbere Adverſariis noſtris, quà *Actoribus*, quà *Accuſatoribus*, quà *Reformatoribus*, quà *Novatoribus*, & contra antiquiſſimæ fundatiſſimæque Religionis pacificos poſſeſſores *ſeſe opponentibus*, poſſeſſionem præſcriptionemque turbantibus, & in eorumdem Poſſeſſorum Epiſcopatus, Parœcias, Templa, Cathedras, Collegia, Fundationes, Dotes, Juraq; omnia ſe *ingerentibus ac intrudentibus*.

Sæpiùs etiam inculcavi hoc eſſe Adverſariorum noſtrorum fundamentale principium, videlicet quòd *Verbum Dei Libris Canonicis comprehenſum ſit omnis veritatis regula. Cõplectatur quicquid neceſſarium eſt ad Dei cultum & ad ſalutem noſtram. Non liceat hominibus; imò nec Angelis ipſis quidquam ei addere, demere, aut immutare. Denique quòd omnia*

 nia

nia debeant expendi, dirigi & reformari ex Scripturæ Sacræ præſcripto. Ita publicè diſertiſque verbis exprimunt in prætentæ Fidei Reformatæ Confeſſione, Articulo quinto.

Itaque non videtur ulli Catholico conſultum, in quavis cum quocumque Hæretico concertatione aut congreſſu, *probantis partes* in ſe ſuſcipere; antequam idem Hæreticus in puro expreſſoque Dei Verbo ſcripto legerit Articulos, quos Romanæ Fidei opponit; aut faſſus fuerit non poſſe legi, non poſſe deſignari, non poſſe oſtendi.

Hoc ubi manifeſtè innotuerit ac conſtiterit, urgeatur ut ſaltem in quinque priorum & puriorum Eccleſiæ ſæculorum Catholicis Conciliis aut Sanctis Patribus, eoſdem Articulos Fidei Romanæ oppoſitos legat vel offerat legendos. Quod autem ad ejuſcemodi Concilia & Patres admittatur, ultrò ei gratìſque conceditur, quandoquidem ex Reformatorum ſuorum Principiis, ad purum & expreſſum Dei Verbum ſcriptum coarctetur, nec illius limites prætergredi debeat, niſi memoratis Reformativis Principiis contraire & reluctari velit.

Si quid ex Scripturis, Conciliis, Patribus proferre voluerit, deſignet *puncta præcisè controverſa*, in favorem ſuum contra Catholicórum Fidem, expreſsè, verbatim, luculentè, evidenter & conſpicuè deciſa, determinata & conſcripta. Nihil *Conſequentiarum* ſuarum ſeu *illationum*, nihil *interpretationum* addat, nihil etiam demat, nihil immutet. Tum ſi hîc etiam defecerit *Actor*, *Novator*, *Accuſator & Reformator* (veriùs *Deformator* & *Calumniator*) & vel ad ædificandos eos qui præſentes adſunt, vel ad avertendum ſcandalum, vel ad aliquem alium ſpiritualem finem, neceſſe fuerit veræ Catholicæque Fidei rationem reddere, & illius articulos probare; non hoc detrectet *quiſquis potens eſt in doctrina ſana*, & Dei auxilio, cauſæque veritate ac æquitate fretus, illius patrocinium ſuſcipiat. Meminerit ejus quod dictum eſt, *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpecta*

ſpectu Regum, & non confundebar. Meminerit illius promiſſionis: *Quum veneritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Nam licèt iſta dicantur Chriſtianis ante Regum & Præſidum tribunalia, pro Fidei Deique causâ reſpondentibus; attamen etiam intelligi poſſunt de illis, qui charitatis urgente præcepto, de Religionis Catholicæ myſteriis ac Fidei Articulis loqui debent, ubicumque neceſſitas ingruerit. Meminerit etiã præclaræ illius exhortationis Auguſtinianæ libro de quinque Hæreſibus, ubi poſtquam monuit poſtulandum *Adjutorium à Domino qui fecit cælum & terram: donabit certanti victoriam* (ait) *qui certandi dedit audaciam. Non nos hoſtium turba, non nos bellantium revocet forma, non quaſi vitrea fulgentia terreant arma. Goliam magnum, robuſtum, armis terribilem, ingentiq; turba munitum DAVID ſolus, puer, parvus atque inermis, uno lapidis ictu proſtravit, totaque Allophylorum caſtra turbavit atque fugavit. Quid autem aliud PETRA contra Goliam manu DAVID miſſa, ni CHRISTVM contra Diabolum, ex ſemine David venturum ſignificavit?* S. Aug. lib. de quinque Hæreſ. c. 1. 1. Reg. cap. 17.

Hoc tamen prætereundum non eſt, ſed advertendum & reflectendum, videlicet Catholica Dogmata eò eſſe creditu difficiliora, quò à ſenſibus & ab imaginatione remotiora. Exemplo ſit *Sacroſanctum Euchariſtiæ Myſterium.* Arduum enim eſt credere panis & vini ſubſtantiam converti in Corpus & Sanguinem Chriſti, & ſub modicis ſpeciebus verè eundem Chriſtum Dominum adeſſe, in tot tamque diſſitis locis, uno eodemque tempore. Magna fide opus eſt, ut hæc credantur. At ex adverſo Zuingliani & Calviniani proponunt doctrinam eò plauſibiliorem quò vicinior eſt ſenſibus, & ad imaginationis captum accommodatior. Longè enim facilius eſt agnoſcere panem eſſe panem, & credere nihil aliud eſſe quàm ſignum aut figuram Corporis Chriſti. Hoc & Ethnicus, & Judæus, & Mahometanus ſine ullo negotio poſſent ſibi perſuadere. Addo Catholicam doctrinam non ſolùm creditu,

Digitized by Google

creditu, ſed & obſervatu difficiliorem eſſe, quò magis repugnat vitioſis naturæ corruptæ motibus, ſenſualibusq; affectibus & inclinationibus: oppoſitas verò Sectas eò faciliores, quò magis favent ac indulgent carni & ſanguini, & minus coercent, comprimunt, aut refrænant propenſiones vel appetitiones circa delectabilia ſecundùm ſenſum. Unde mirum non eſt, ſi eædem Sectæ tot invenerint Sectatores, qui maluerunt cum multis *ingredi latam portam, & ſpacioſam viam quæ ducit ad perditionem*; quàm cum paucis *intrare anguſtam portam, & arctam viam quæ ducit ad vitam.*

Matth, cap. 7.

Obſerva denique (benevole Lector) multiplices quæ per Aſiam & Aphricam graſſabantur Hæreſes, tandem in Mahometiſmum degeneraſſe, & veluti turbidos cœnoſosque torrentes in eundem Mahometiſmum, tanquam omnis impuritatis ac impietatis vaſtiſſimum & profundiſſimum gurgitem præcipites iiſſe. Ita etiam nobis verendum atque ſummoperè cavendum eſt, ne tot infauſtiſſimæ per Europam noſtram Sectæ, horrendam illam Mahometanam eluviem in nos accerſant & inducant. Neque tamen propterea metuendum eſt ne idcircò pereat Eccleſia, quia *Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*, adeoque nec PORTA OTTHOMANICA ſeu TURCICA. Quemadmodum non prævaluit Nero adversùs eam vix dum natam, neque Diocletianus adversùs adultam, neque ipſe Antichriſtus adversùs ſeneſcentem aut etiam decrepitam (ſi ſic loqui fas eſt) unquam prævalebit.

CAPUT II.

De Probationibus circa res Fidei.

NEmo Juris ſive Cæſarei Civilisque, ſive Sacri & Canonici peritus ignorat, *probationem* nihil aliud eſſe, *quàm idoneis argumentis & legitimis mediis factam demonſtrationem.* Contingit autem aliquid *probari* variis modis, ut

ut *confeſſione partium*, *inſtrumentorum exhibitione*, *teſtium depoſitione*, *jurisjurandi Religione*, *inſpectione Iudicis*, *ſuſpicione vehementi*, *famâ atque aliis adminiculis*. Ita probatur in forenſibus Judiciis.

Prætenti Reformatores (ut videre eſt ex præcedenti Capite) in probationibus circa res Fidei, nihil aliud admittunt quàm *divinorum inſtrumentorum*, hoc eſt, ſolius Verbi Divini Scripti *exhibitionem*. Unde in Diſciplina Eccleſiaſtica quam Gallicani Miniſtri fabricati ſunt, capite primo, Articulo undecimo, præſcribunt *ut Miniſtri in Concionibus non niſi ſobriè, Antiquiorum Doctorum ſcripta proferant*. Et capite ſexto, Articulo quarto, *in Diſputationibus* (inquiunt) *ad judicium & deciſionem Doctrinæ, nullus erit locus Antiquiorum Doctorum ſcriptis*. Unde in quocumque cum Hæreticis conflictu, jure meritiſſimo exigunt Catholici, ut ipſi iidem Hæretici ſacras divinaſque conſcriptas tabulas afferant, ibi probationes ſuas legant, proferant, manifeſtent; aut à fundamentali ſuo principio reſiliant eique renuntient. Quid enim æquius poſtulari poteſt, quàm ut Principiis Reformativis, quæ ipſimet ſtatuerunt, inſiſtant ac inhæreant; aut certè ſe illa non benè rectèque poſuiſſe fateantur? Diſcipl. Eccleſ. Reform.

Catholici ad probanda Fidei dogmata, proferunt Verbum Dei tam Scriptum, quàm non Scriptum, Concilia legitima & Sanctos Patres, maximè verò quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum (hæc enim tanquam puriora admittuntur ab Adverſariis) Sanctos autem Patres qui floruerunt illis ſæculis, veluti teſtes doctrinæ quæ tunc vigebat in Eccleſia, adducunt & proferunt prænemorati Catholici.

Quòd Scriptura Sacra ſit verum, indubitatum, authenticum, legitimum, & irrefragabile documentum ac inſtrumentum ad res Fidei probandas, nemo Chriſtianorum ignorat, nemo ambigit, nemo negat.

Quòd Verbum Dei non Scriptum, ſed traditum, ſit ejuſdem cum Verbo Scripto auctoritatis, non deberet

negari

Digitized by Google

negari ab Adverſariis qui plurima & credunt & obſervant, quæ non niſi Traditione nituntur. Vide ſupra in *Methodo Defenſiva*, capite duodecimo, à pagina 394. ad paginam 401.

Denique quòd Concilia repudianda non ſint, nec Sancti Patres reſpuendi, concederent Adverſarii; ſi conſtarent ſibi, & Fidei ſuæ memores reflecterent ad Articulum ſextum Confeſſionis Reformatæ, ubi profitentur hæc ſequentia: *Admittimus id quod determinatum fuit ab antiquis Conciliis: & deteſtamur omnes Sectas & Hæreſes, quæ reprobatæ & rejectæ fuerunt à Sanctis Doctoribus; ut à Sancto Hilario, à Sancto Athanaſio, Sancto Ambroſio, Sancto Cyrillo.*

Porrò quanti & Concilia & Sanctorum Patrum teſtimonia fecerint Majores noſtri, & quo in pretio habuerint, vel ex unius Sancti Vincentii Lirinenſis aureo libello, cui titulus *COMMONITORIVM pro Catholicæ Fidei Antiquitate & Vniverſalitate adversùs profanas omnium Hæreticorum Novitates*, ediſce. Hoc idem Commonitorium à pauciſſimis menſibus è Latino in Gallicum noſtrum idioma verti, adjunctis quibuſdam Annotationibus. Eſtque editum Leodii typis Viduæ Bronckart.

Sanctus itaque Vincentius Lirinenſis, ita ſcribit, prædicti Commonitorii capite trigeſimo nono: *Hîc jam conſequens eſſe video, ut exemplis demonſtrem, quónam modo profanæ Hæreticorum Novitates, prolatis atque collatis veterum Magiſtrorum concordantibus ſibimet ſententiis & deprehendantur & condamnentur. Quæ tamen antiqua Sanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus divinæ Legis quæſtiunculis; ſed ſolùm certè præcipuè in Fidei regula, magno nobis ſtudio, & inveſtiganda eſt & ſequenda. Sed neque ſemper, neque omnes Hæreſes hoc modo impugnandæ ſunt: ſed Novitiæ recenteſque tantummodò: quum primùm ſcilicet exoriuntur; antequam infalſarint vetuſtæ Fidei regulas, ipſius temporis vertentur anguſtiis: ac priuſquàm manante latiùs veneno, Majorum volumina vitiare conentur. Cæterùm dilatatæ & inveteratæ Hæreſes, nequaquam*

Digitized by Google

quaquam hac viâ aggredienda ſunt; eò quòd prolixo temporum tractu, longa his ſucandæ veritatis patuerit occaſio. Atque ideò quaſcumque illas Antiquiores vel Schiſmatum vel Hæreſeon profanitates, nullo modo nos oportet; niſi aut ſolâ (ſi opus eſt) Scripturarum authoritate convincere: aut certè jam antiquitùs univerſalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis convictas damnatasque vitare. Itaque quum primùm mali cujuſque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defenſionem ſui quædam Sacræ Legis verba furari, eaque fallaciter & fraudulenter exponere: ſtatim interpretando Canoni Majorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcumque exurget novitium, ideòque profanum, & abſque ullâ ambage prodatur, & ſine ullâ retractatione damnetur. Sed eorum dumtaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in Fide, & Communione Catholicâ ſanctè, ſapienter, conſtanter viventes, docentes & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fœliciter meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque, habeatur: Quidquid verò, quamvis ille Sanctus & Doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit; id inter proprias & occultas, & privatas opiniunculas à communis, publicæ, & generalis ſententiæ authoritate ſecretũ ſit, nec ſummo æternæ ſalutis periculo, juxta ſacrilegam Hæreticorum & Schiſmaticorum conſuetudinem, univerſalis dogmatis antiquâ veritate dimiſſâ, unius hominis novitium ſectemur errorem. Quorum Beatorum Patrum ſanctum Catholicumq; conſenſum, ne quis ſibi temerè contemnendum fortè arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apoſtolus: Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos: *quorum ipſe unus erat:* ſecundò Prophetas; *qualem in Actibus Apoſtolorum legimus Agabum:* tertiò Doctores, *qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò quòd per eos Prophetarum Myſteria populis aperiantur. Hos ergo in Eccleſia Dei*

divinitus

divinitus per tempora & loca diſpenſatos quiſquis in ſenſu Catholici dogmatis unum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum; à quorum veridicâ unitate ne quis diſcrepet, impenſiùs obteſtatur idem Apoſtolus dicens: Obſecro autem vos Fratres, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententiâ. *Quòd ſi quis ab eorum ſententiæ communione deſciverit, audiet illud ejuſdem Apoſtoli*: non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. *Id eſt non ejus, qui à conſentiendi unitate defecerit; ſed eorum qui in conſentiendi pace permanſerint*: Sicut in omnibus (*inquit*) Eccleſiis Sanctorum doceo, *id eſt, Catholicorum, quæ ideo ſanctæ ſunt, quia in Fidei Communione perſiſtunt. Et ne quis forſitan prætermiſſis cæteris, ſe ſolum audiri, ſibi ſoli credi arrogaret, paulò poſt ait*: An à vobis (*inquit*) Verbum Dei proceſſit, aut in vos ſolos devênit? *Et ne hoc quaſi perfunctoriè acciperetur, adjecit*: Si quis (*inquit*) videtur Propheta eſſe aut ſpiritalis, *id eſt, ſpiritalium rerum Magiſter, ſummo ſtudio æqualitatis & unitatis cultor exiſtat, ut ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat, & ab univerſorum ſenſibus non recedat*: *Cujus rei mandata* qui ignorat, *inquit, id eſt, qui aut neſcita non diſcit, aut ſcita contemnit*, ignorabitur, *hoc eſt, indignus habebitur qui inter unitos fide, & exæquatos humilitate divinitus reſpiciatur: quo malo neſcio an quicquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxta Apoſtolicam comminationem* Pelagiano *illi provenisſe cernimus Iuliano, qui ſe Collegarum ſenſui aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit. Sed jam tempus eſt ut pollicitum proferamus exemplum, ubi, & quomodo Sanctorum Patrum ſententiæ congregatæ ſint, ut ſecundùm eas ex decreto atque authoritate Concilii, Eccleſiaſtica Fidei regula figeretur.*

Subdit idem Sanctus Vincentius Lirinenſis, recapitulando ſecundum Commonitorium (quod intercidit nec amplius extat) hæc ſequentia: *Quòd ne præſumptione magis noſtrâ, quàm auctoritate Eccleſiaſticâ promere videremur, exemplum adhibuimus Sancti Concilii, quod ante triennium fer-*

mè

me in Aſiâ apud Epheſum celebratum eſt, Viris Clariſſimis Baſſo Antiochoque Conſulibus. Vbi quum de ſaciendis Fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan profana Novitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet: univerſis Sacerdotibus qui illo ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholiciſſimum, fideliſſimum, atque optimum factu viſum eſt, ut in medium Sanctorum Patrum ſententiæ proferrentur; quorum alios Martyres, alios Confeſſores, omnes verò Sacerdotes Catholicos fuiſſe, & permanſiſſe conſtaret: ut ſcilicet ritè atque ſolemniter ex eorum conſenſu atque decreto antiqui dogmatis Religio confirmaretur, & profanæ Novitatis blaſphemia condemnaretur. Quod quum ita factum foret, jure meritoque impius ille NESTORIUS *Catholicæ Veritati contrarius, Beatus verò* CYRILLUS *Sacroſanctæ Antiquitati conſentaneus judicatus eſt. Et ut ad Fidem rerũ nihil deeſſet, etiam nomina & numerum (licèt ordinem fuiſſemus obliti) edidimus eorum Patrum, juxtà quorum ibidem concinentem ſibi concordemque ſententiam, & Legis ſacræ proloquia expoſita ſunt, & divini dogmatis regula conſtabilita eſt. Quos ad confirmandam memoriam ſic quoque recenſere nequaquam ſuperfluum eſt. Sunt ergo ii Viri, quorum in illo Concilio, vel tanquam Iudicum, vel tanquam Teſtium ſcripta recitata ſunt, Sanctus Petrus Alexandrinus Epiſcopus, Doctor præſtantiſſimus, & Martyr beatiſſimus: Sanctus Athanaſius eiuſdem Civitatis Antiſtes, Magiſter fideliſſimus, & Confeſſor eminentiſſimus: Sanctus Theophilus, ejuſdem item Vrbis Epiſcopus, Vir fide, vitâ, ſcientiâ ſatis clarus: cui ſucceſſit Venerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam illuſtrat Eccleſiam. Et ne forſitan unius Civitatis ac Provinciæ doctrina hæc putaretur, adhibita ſunt etiam illa Cappadociæ lumina, Sanctus Gregorius Epiſcopus & Confeſſor de Nazianzo, vel Nazabos: Sanctus Baſilius Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus & Confeſſor: Sanctus item alter Gregorius Niſſenus Epiſcopus, fidei, converſationis, integritatis & ſapientiæ merito, fratre Baſilio digniſſimus. Sed ne ſola Græcia, aut Oriens tantùm, verum etiam Occidentalis, & Latinus orbis ita ſemper ſenſiſſe adprobetur, lectæ ſunt quoque ibi quædam ad quoſdam Epiſtolæ, Sancti Felicis Martyris, & Sancti Iulii urbis*

Romæ Epiſcoporum. Et ut non ſolùm Caput orbis, verumetiam latera illi judicio teſtimonium perhiberent, adhibitus eſt à meridie Beatiſſimus Cyprianus, Carthaginenſis Epiſcopus, & Martyr; à Septentrione Sanctus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus. Ii ſunt igitur omnes apud Epheſum ſacrato Decalogi numero Magiſtri, Conſiliarii, Teſtes, Iudiceſque producti, quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, conſilium ſequens, credens teſtimonio, obediens judicio, abſque odio, tædio, præſumptione, & gratiâ de Fidei regulis pronuntiavit. Quamquam multò amplior Majorum numerus adhiberi potuerit; ſed neceſſe non fuit: quia neque multitudine Teſtium negotii tempora occupari oportebat, & decem illos non aliud ferè ſenſiſſe, quàm cæteros omnes Collegas ſuos nemo dubitabat. Poſt quæ omnia adjecimus etiam beati Cyrilli ſententiam, quæ geſtis ipſis Eccleſiaſticis continetur: Namque quum lecta eſſet Sancti Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis Epiſtola, qui nihil aliud intendebat & precabatur; niſi ut expugnatâ Novitate Antiquitas defenderetur, ita Epiſcopus Cyrillus prolocutus eſt, & definivit: quod hic quoque interponere non abre videtur: ait enim in fine Geſtorum. Et hæc (*inquit*) quæ lecta eſt Epiſtola, Venerandi & multùm Religioſi Epiſcopi Carthaginenſis Capreoli, Fidei Geſtorum inſeretur, cujus aperta ſententia eſt. Vult enim Antiquæ Fidei dogmata confirmari, Novitia verò, & ſuperfluè adinventa & impiè promulgata reprobari atque damnari: *Omnes Epiſcopi adclamaverunt:* hæ omnium voces ſunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum eſt. *Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota, niſi ut quod erat antiquitùs traditum, teneretur; quod adinventum nuper, exploderetur? Poſt quæ admirati ſumus & prædicavimus, quanta Concilii illius fuerit humilitas & ſanctitas, ut tot numero Sacerdotes, penè ex majori parte Metropolitani, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ, ut propè omnes poſſent de dogmatibus diſputare: Quibus proptereà ipſa in unum congregatio audendi ab ſe aliquid, & ſtatuendi addere videretur fiduciam; nihil tamen novarent, nihil præſumerent, nihil ſibi penitus arrogarent; ſed omnimodis præcaverent, ne aliquid poſteris traderent,*

Digitized by Google

traderent, quod ipſi à Patribus non accepiſſent. Et non ſolùm in præſenti rem benè diſponerent: verùmetiam poſt futuris exempla præberent, ut & ipſi ſcilicet ſacratæ Vetuſtatis dogmata colerent; profana verò Novitatis adinventa damnarent. Invecti ſumus etiam in Neſtorii ſceleratam præſumptionem, quòd Sacram Scripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe jactaret, quicùmque ante ſe Magiſterii munere præditi divina eloquia tractaviſſent: univerſos ſcilicet Sacerdotes, univerſos Confeſſores & Martyres, quorum alii explanaſſent Dei Legem, alii verò explanantibus conſenſiſſent vel credidiſſent: totam poſtremò etiam nunc errare & ſemper erraſſe adſeveraret Eccleſiam, quæ (ut ipſi videbatur) ignaros erroneoſq; Doctores & ſecuta eſſet, & ſequeretur. Quæ omnia licèt cumulatè abundèque ſufficerent ad profanas quaſque Novitates obruendas & extinguendas; tamen ne quid deeſſe tantæ plenitudini videretur, ad extremum geminam adjecimus Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, unam ſcilicet Sancti Papæ Sixti, qui nunc Romanam Eccleſiam venerandus illuſtrat: alteram deceſſoris ſui beatæ memoriæ Papæ Cæleſtini, quam hîc quoque interponere neceſſarium judicavimus. Ait itaque Sanctus Papa Sixtus in Epiſtola, quam de cauſa Neſtorii Antiocheno miſit Epiſcopo: Ergo (*inquit*) quia ſicut ait Apoſtolus; Fides una eſt, quæ evidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. *Quæ ſunt tandem illa credenda & dicenda; ſequitur:* Nihil ultrà (*inquit*) liceat Novitati, quia nihil addi convenit Vetuſtati. Perſpicua Majorum fides & credulitas nullâ cœni permixtione turbetur. *Omnino Apoſtolicè, ut majorem credulitatem perſpicuitatis lumine ornaret, novitias verò profanitates, cœni permixtione deſcriberet. Sed & Papa Cæleſtinus pari modo eâdemque ſententiâ. Ait enim in Epiſtola, quam Gallorum Sacerdotibus miſit, arguens eorum conniventiam, quòd antiquam Fidem ſilentio deſtituentes, profanas Novitates exſurgere paterentur.* Meritò (*inquit*) cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujuſmodi, non ſit iis liberum habere pro voluntate ſermonem. *Vetuſtatis Prædicatores, an Novitatis Adinventores? Ipſe dicat, & dubi-*

tationem legentium ipſe diſſolvat : ſequitur enim: Deſinat (*inquit*) ſi ita res eſt ; inceſſere Novitas Vetuſtatem. *Ergo hæc fuit Beati Cæleſtini beata ſententia,* ut non Vetuſtas ceſſaret obruere Novitatem ; ſed potius Novitas deſineret inceſſere Vetuſtatem. *Quibus Apoſtolicis Catholicisque decretis quiſquis refragatur, inſultet primùm omnium neceſſe eſt, memoriæ Sancti Cæleſtini, qui ſtatuit,* ut deſineret inceſſere Novitas Vetuſtatem; *deinde irrideat definita Sancti Sixti, qui cenſuit* ne ultra quicquam liceat Novitati, quia nihil addi convenit Vetuſtati. *Sed & Beati Cyrilli ſtatuta contemnat, qui venerandi Capreoli zelum magnâ prædicatione laudavit,* quòd Antiqua Fidei Dogmata confirmari cuperet : Novitia verò adinventa damnari. *Epheſinam quoque Synodum, id eſt totius penè Orientis Sanctorum Epiſcoporum judicata proculcet, quibus divinitus placuit* nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quòd ſacrata, ſibique in Chriſto conſentiens Sanctorum Patrum tenuiſſet Antiquitas : *quique etiam vociferantes & acclamantes uno ore teſtificati ſunt* has eſſe omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes cenſere;ut ſicut univerſi ferè ante Neſtorium Hæretici contemnentes Vetuſtatem, & aſſerentes Novitatem, damnati eſſent, ita ipſe quoque Neſtorius author Novitatis, & impugnator Vetuſtatis condemnaretur. *Quorum Sacroſancta, & cæleſtis gratiæ munere inſpirata conſenſio ; ſi cui diſplicet, quid aliud ſequitur; niſi ut profanitatem Neſtorii aſſerat non jure damnatam? Ad extremum quoque, univerſam Chriſti Eccleſiam, & Magiſtros ejus Apoſtolos, & Prophetas, præcipuè tamen Beatum Apoſtolum Paulum, velut quadam purgamenta contemnat : illam quòd à religione colenda & excolendæ ſemel traditæ ſibi Fidei nunquam receſſerit : illum verò quia ſcripſerit.* O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum Novitates. *Et item :* Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod accepiſtis,anathema ſit. *Quòd ſi neque Apoſtolica definita,neque Eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt,quibus ſecundùm Sacroſanctæ Univerſitatis,& Antiquitatis conſenſionem cuncti ſemper Hæretici, & ad extremum*

Pelagius,

Digitized by Google

Pelagius, Celeſtius, Neſtorius jure meritoque damnati ſunt, neceſſe eſt profectò omnibus deinceps Catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ Matris legitimos filios probare ſtudent, ut Sancta Sanctorum Patrum Fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur: profanas verò profanorum Novitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur. Hæc Sanctus Vincentius Lirinenſis, qui florebat anno reparatæ ſalutis quadringenteſimo vigeſimo, & quum hæc ſcriberet, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos, Anabaptiſtas, cæteroſque recentiores Sectarios præ oculis habuiſſe videtur, ut in eos totius Commonitionis hujus vis eloquentiſſima detonaret.

CAPUT III.

POSITIO CATHOLICA

De Canone Scripturarum.

LIbri Canonici qui ab Eccleſia Catholica ſuſcipiuntur, ſunt infraſcripti. *Veteris Teſtamenti*, quinque Moyſi, id eſt Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Joſué, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralippomenon, Eſdræ primus & ſecundus qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Heſter, Job, Pſalterium Davidicum centum & quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel: duodecim Prophetæ minores, id eſt Oſée, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus & ſecundus. *Teſtamenti novi*, quatuor Evangelia, ſecundùm

Digitized by Google

Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem; Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes; duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

Libros Canonicos deſcribimus ex verbis Auguſtini, libro de Prædeſtinatione Sanctorum, capite decimo quarto, *qui meruerunt in Eccleſia Chriſti de gradu Lectorum, longâ annoſitate recitari, & à Chriſtianis Epiſcopis, uſque ad extremos Laïcos fideles, pœnitentes, Catechumenos, cum veneratione divinæ Authoritatis audiri: adeò ut temporibus Apoſtolorum proximi, egregii Tractatores, qui eoſdem Libros in teſtes adhibebant, nihil ſe adhibere niſi divina teſtimonia crediderint.*

Brevius libro vigeſimo tertio contra Fauſtum Manichæum, capite nono, *Literæ* CANONICÆ *ſunt* (ait Sanctus Doctor) *quas recepit & tenet Eccleſia toto orbe diffuſa, quæ per illos eſt etiam Prophetata; & quemadmodum promiſſa, ſic reddita.*

Nulla eſt diſceptatio inter Nos & prætentos Reformatos Calvinianos, niſi de Libris *Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, ac Machabæorum primo & ſecundo*, quos ipſi è *Canonicorum* numero expungunt, & inter *Apochryphos* rejiciunt. Hancque ſolam & fundamentalem rationem ſubjiciunt in Articulo quinto Confeſſionis Reformatæ: *Agnoſcimus & diſcernimus Libros* CANONICOS *ab aliis; non tam ex communi concordiâ & conſenſu Eccleſiæ, quàm ex teſtimonio & perſuaſione interiori Spiritus Sancti.*

Digitized by Google

Certum eſt neque Adverſarios, neque Nos poſſe Scripturas Canonicas per Scripturas ipſas probare. Unde igitur conſtat eſſe Canonicas, & Verbum Dei purum, incorruptum, nullâque adinventionis humanæ additione ac commixtione adulteratum, in illis contineri? Unde inquam hoc conſtat, niſi ex Eccleſiæ Traditione ac infallibili teſtimonio?

Reverà ante ullum Dei Verbum Scriptum, extabat Fidelium congregata aliqua multitudo, aut Eccleſia, aut Synagoga. Nam antiqui Teſtamenti Scriptura prima cæpit à Moyſe; ſed ante hunc fuit *Adam, Abel, Seth, Enoch (qui cum Domino ambulavit) Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph & alii.* Gen. ſ. 5. c. 12. &c. Antequam ullus Apoſtolorum, aut Evangeliſtarum, aut Diſcipulorum quicquam literis conſignaret, erat collecta Novi Teſtamenti Eccleſia. Imò ſine Scriptis ullis Eccleſias multas fundarunt *Andreas, Philippus, Thomas, Bartholomaus & Barnabas.* Nulla autem Dei Eccleſia fundatur ſine ejus *Verbo*; & nullum tunc erat *Verbum Scriptum*; ergo *Verbo non Scripto* fundata eſt Eccleſia Primitiva. Et quemadmodùm Sponſus alloquitur Sponſam dilectam *Verbo non Scripto*, deinde *Scripto*: ita Chriſtus Sponſus Eccleſiam Sponſam. Rursùs quemadmodùm nemo meliùs novit *Verbum Sponſi* ſive non Scriptum, ſive Scriptum, & nemo melius à quocumque alio verbo diſcernit, quàm Sponſa: ita nemo meliùs novit, nemo meliùs Chriſti Domini Verbum ſive non Scriptum ſive Scriptum, à quocumque alio verbo diſcernit, quàm illius vera dilectaque Sponſa Eccleſia. Denique ſicuti nemo perfectiùs aſſequitur ſenſum Sponſi, nemo exploratiùs mentem illius attingit, nemo certiùs intentionem illius capit, quàm confidentiſſima Sponſa; ſic de Eccleſia comparatè ad Chriſtum Sponſum, non ſolummodò præſumendum eſt, ſed etiam veraciter rectèq; ſentiendum. Proinde optimo jure & juſtiſſimis de cauſis, Catholici omnes in Confeſſione Fidei ſuæ, *Sacram Scripturam juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia (cujus eſt judicare*

de vero ſenſu & interpretatione Sacrarum Scripturarum) admittunt: ſeque eaſdem Scripturas non niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accepturos eſſe & interpretaturos profitentur.

Ad præciſam autem controverſiam deſcendendo, utrum videlicet Libri *Tobiæ*, *Iudith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, *Baruch*, & *Machabaeorum primus & ſecundus ſint Canonici*, *an vero Apochryphi*? Suſtinemus illos eſſe Canonicos, & probamus.

Primò, Quia Concilium Carthaginenſe tertium (cui Beatus Auguſtinus interfuit & ſubſcripſit) inter Canonicas Scripturas enumerat *Tobiam*; *Iudith*, *quinque libros Salomonis*, & *duos Machabaeorum*. Illud idem Concilium in Synodo ſexta Generali fuit confirmatum. Deinde Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum, inter Libros quos ſuſcipit & veneratur Eccleſia tanquam Canonicos, recenſet *Tobiam*, *Iudith*, *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*, *Baruch*, & *duos Machabaeorum*. *Synodus Nicana* (omnium Generalium prima & celeberrima) *in numero Sanctarum Scripturarum legitur computaſſe librum Iudith*, quemadmodum refert Sanctus Hieronymus prologo in eundem librum. Concilium Toletanum undecimum, capite primo, *Librum Sapientiæ nominat Scripturam ſacram.*

Secundò, Probamus ex Sanctis Patribus. Et quidem quod *ad Auguſtinum* attinet, vide in *Methodo Converſiva* hîc ſupra, paginâ centeſimâ decimâ ſextâ & centeſimâ decimâ ſeptimâ, *S. Baſilius* in oratione de Avaritia, prolatam è *libro Tobiæ* ſententiam, nuncupat *præceptum divinum*. *S. Ambroſius* in libro de Tobia, eundem librum vocat *Scripturam Propheticam*. Librum Sapientiæ eſſe Canonicum, præter Auguſtinum teſtantur *Melito Aſianus* in Epiſtola ad Oneſimum: *S. Cyprianus* in libro de habitu Virginum; *Cyrillus* libro ſecundo in Julianum. Librum Ecclesiastici ut Canonicum agnoſcunt *Clemens Alexandrinus* libro ſeptimo Stromatum; *S. Cyprianus* libro tertio Epiſtolâ nonâ; *S Ambroſius* libro quarto de Fide, capite quarto, ubi verba ex Eccleſiaſtici vigeſimo quarto deprompta

prompta vocat *divina Oracula.* De Baruch atteſtantur *Cyrillus* libro decimo in Julianum; *Clemens Alexandrinus* libro ſecundo Pædagogi, capite tertio, vocat Prophetiam Baruch *Scripturam Divinam.* Idem ait *S. Ambroſius* libro primo de Fide, capite ſecundo; *Theodoretus* exponens totam ejus Prophetiam, & ſcribens in caput ſecundum, vocat expreſſè *Divinam Scripturam.* Addo plurimos Sanctorum Patrum credidiſſe, quòd liber Baruch eſſet pars Prophetiarum Hieremiæ, cujus & diſcipulus & Notarius erat præmemoratus Baruch, ut patet ex trigeſimo quinto capite ejuſdem Hieremiæ. Unde ſub hujus nomine illum allegarunt *Clemens Alexandrinus*, libro primo Pædagogi capite tertio; *S. Ambroſius* libro primo de pœnitentia, capite octavo: *S. Baſilius* libro quarto in Eunomium: *S. Chryſoſtomus* in Oratione quòd Chriſtus ſit Deus, contra Gentes; *Sixtus Papa I.* in Epiſtola ad omnes Fideles: *Felix IV.* in Epiſtola ad Petrum Antiochenum; & *Pelagius II.* in Epiſtola ad Vigilium. Denique quòd libri Machabæorum ſint Canonici, patet ex *S. Gregorio Nazianzeno*, in Oratione de Machabæis; ex *S. Cypriano* tum libro de Exhortatione Martyrii, capite undecimo; tum libro primo Epiſtolâ tertiâ ad Cornelium; & ex *S. Ambroſio* libro ſecundo de Job, capite decimo, undecimo & duodecimo.

Jam vide *Lector*, & apud temetipſum expende, quibúſnam de Scripturarum Canone ſit fides habenda? Utrùm Conciliis Catholiciſſimis *Nycæno primo* (cui affuerunt trecenti decem & octo Epiſcopi) *Carthaginenſi*, *Toletano* & *Florentino* ad quod tum Græcæ tum Latinæ Eccleſiæ Antiſtites convenerant: item Sanctis tum Pontificibus tum Patribus, *Sixto I. Felici IV. Pelagio I. Cypriano*, *Cyrillo*, *Melitoni*, *Clementi*, *Baſilio*, *Ambroſio*, *Nazianzeno*, *Chryſoſtomo*, *Theodoreto*: An verò uni Nautæ vel Aurigæ Batavo; imò uni Mulierculæ Reformatæ, quæ ex imaginaria quadam & ſuppoſititiâ, non *Spiritus Sancti*; ſed proprii *Spiritus Hæretici perſuaſione*, agnoſcit Libros Cano-

nicos, & ab aliis quibuſcumque diſcernit? Quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat, huic prætentæ Reformatæ Mulierculæ nunc adeſſe *teſtimonium, perſuaſionem, aut ſuggeſtionem interiorem Spiritus Sancti*: tot verò Primitivæ Eccleſiæ *Conciliis, Pontificibus, Doctoribus* defuiſſe?

OPPOSITIO HÆRETICA.

Prima, Concilium Laodicenum capite quinquageſimo nono, ubi enumerat Libros qui debent in authoritatem recipi & legi, non meminit *Tobiæ*, nec *Iudith*, nec *Sapientiæ*, nec *Eccleſiaſtici*, neque *Baruch*, neque *Machabæorum*.

Reſpondeo, Tempore Laodiceni Concilii nondum conſtitiſſe de omnibus Libris Canonicis: unde nec ab eodem Concilio recenſebatur Apocalypſis, quam tamen recipiunt Adverſarii noſtri ut Canonicam. Deinde vitioſum eſt argumentum ab authoritate negatâ, quemadmodùm ſuprà monui in *Methodo Defenſivâ*; non enim ſequitur: *Laodicenum Concilium non dicit hunc Librum eſſe Canonicum, ergo hic Liber non eſt Canonicus.* Addo nullum Concilium Catholicum directè unquam contradixiſſe ulli ex Canonicis Libris hodie receptis, aut ullum tanquam ſuppoſititium rejeciſſe, hoc eſt expreſſo determinatoque judicio poſitivè cenſuiſſe profanum. Suſpenderunt ſubinde Concilia ſuum hac in parte judicium, videlicet non computando hunc vel illum Librum inter Canonicos; ſed ejuſcemodi Actus ſuſpenſivi (ut ita dicam) non impediunt quominùs Eccleſia ſuo tempore in Canonem admittat & recipiat. Hinc Synodus etiam Trullana, quantumvis tota Græcanica, dum *Laodicenum Concilium* ſine ulla prorſus exceptione aut reſtrictione approbavit; non putavit ſe ſibi contradicere, ſimul confirmando *Carthaginenſe*, ubi Catalogus hodiernus expreſsè habetur.

Oppoſitio ſecunda, In Libris quos Adverſarii pro Apochryphis habent, multa inveniuntur quæ graviſſimas pariunt difficultates, & difficillimè conciliari poſſunt, utpotè

vel

vel non ſibi cohærentia, vel à ſe invicem diſcrepantia, vel etiam inter ſe pugnantia.

Ad hanc & alias ejuſcemodi oppoſitiones, reſpondeo cum Auguſtino in libro de Utilitate credendi ad Honoratum capite quinto, *Quum de rebus obſcuriſſimus lectio eſt, non liquidò* SCIRI; *ſed tantummodò* CREDI *poſſe.* Et capite ſeptimo, *ſi aliqua occurrunt quæ videantur abſurda*, TARDITATEM *noſtram*, *& putrefactum tabe hujus mundi animum eſſe accuſandum potiùs, quàm eos qui fortaſſè à nobis intelligi nequeunt.* Si ejuſmodi difficultates, aut etiam contradictiones vel abſurditates apparentes, attendendæ ſunt, quis non deterrebitur à Geneſi, à libris Judicum, à Canticis & aliis nonnullis? Profectò neque Concilia (quæ ſupra commemoravi) neque Sanctos Patres hæc terriculamenta moverunt, quominùs libros à Novis Sectariis repudiatos & expunctos, *in Canonicorum* Catalogum ac numerum reciperent. Nec tantæ occurrunt perplexitates, aut diſcrepantiæ vel repugnantiæ in ſpeciem, quin à Catholicis Doctoribus explicentur & ſolvantur, ut videre eſt apud *Bellarminum in Controverſiis de* Verbo Dei.

CAPVT IV.

POSITIO CATHOLICA, *De Traditionibus.*

Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ Traditiones, ac reliquæ Obſervationes & Conſtitutiones Eccleſiæ, ſunt admittendæ & amplectendæ.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

NOmine *Traditionum Apoſtolicarum & Eccleſiaſticarum* intelligimus cum Auguſtino, *dogmata tam ad Fidem quàm*

quàm ad mores ſpectantia, quæ non ſunt ſcripta; ſed quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, & toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi: vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis (quorum eſt in Eccleſiâ ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quòd Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cælum, & Adventus Spiritus Sancti de Cælo, anniverſariâ ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit quod ſervatur ab univerſa quàcumque ſe diffundit Eccleſia. Vide ſupra in Methodo *Converſiva*, paginâ centeſimâ vigeſimâ primâ.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Traditiones eſſe admittendas & amplectendas, probamus.

Secundæ ad Theſſalonicenſes capite ſecundo: *Tenete* TRADITIONES *quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram.* Exponit S. Chryſoſtomus, Homiliâ quartâ in illum locum, his verbis; *Itaque Fratres ſtate, & tenete* TRADITIONES *quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram. Hinc perſpicuum eſt quòd non omnia tradiderit per Epiſtolam; ſed multa etiam ſine Scriptis: & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem* ECCLESIÆ TRADITIONEM *cenſeamus eſſe fide dignam.* EST TRADITIO; *nihil quæras amplius*.

Primæ ad Corinthios undecimo, *Laudo vos Fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut* TRADIDI *vobis, præcepta mea tenetis. Cætera quum venero diſponam.* Sic explicat S. Baſilius, libro de Spiritu Sancto capite vigeſimo nono: *Arbitror Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis* TRADITIONIBUS *inhærere.* Laudo vos (inquit Paulus) quòd omnia mea meminiſtis; & quemadmodùm tradidi vobis, Traditiones tenetis.

Secundæ ad Timotheum primo, *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in Fide & in dilectione in CHRISTO IESV. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum.* Quod explanans S. Chryſoſtomus Homiliâ tertiâ, in eandem Epiſtolam, ſic ait, *Non modò per literas, ſed etiam verbis, quæ eſſent agenda, Diſcipulo dictavit. Quod plurimis & aliis in locis oſtendit, dicens*: ſive per verbum, ſive per,

per Epiſtolam quaſi per nos miſſam. *Hoc & hic multò magis fecit. Ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi ABSQVE SCRIPTO TRADIDIT; quæ illi modò ad memoriam revocans dicit:* Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti. *Quid autem hoc ſibi vult?* Pictorum (inquit) more, imaginem virtutis tibi impreſſimus: & omnium quæ Deo grata ſunt, veluti normam privatamque formam tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habeto firmiter. Et ſive de Fide, ſive de Charitate, ſive de Caſtitate opus ſit aliquid loqui ac definire, inde tibi exemplaria accipe. Hæc Chryſoſtomus.

Addo *Euſtathium* Hæreticum fuiſſe à Synodo Gangrenſi damnatum, eoquòd Eccleſiæ TRADITIONES contemnendas eſſe doceret.

Poſtremò, *Sanctus Vincentius Lirinenſis* toties ſupra laudatus, hanc de TRADITIONIBUS materiam diſertè, luculentè & nervosè complexus *in Commonitorio*, ſic ait: *Sæpè magno ſtudio & ſummâ attentione perquirens à quàm plurimis ſanctitate & doctrinâ præſtantibus Viris, quònam modo poſſim certâ quâdam & quaſi generali ac regulari viâ Catholicæ Fidei veritatem ab Hæreticæ pravitatis falſitate diſcernere; hujuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli; quod ſive ego, ſive quis vellet exſurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſq; vitare, & in Fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire Fidem ſuam Domino adjuvante deberet. Primùm ſcilicet divinæ Legis auctoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ Traditione. Hîc forſitan requirat aliquis: quum ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt; ſed ejuſdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur; ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit; aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus; aliter Iovinianus, Pelagius, Celeſtius; aliter poſtremò Neſtorius.*

rius. Atque idcircò multùm neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt etenim verè propriéq; Catholicũ, quod ipſa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia ferè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur Univerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem. Sequemur autem Univerſitatem hoc modo: Si hanc Unam Fidem Veram eſſe fateamur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos Sanctos Majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſectemur. Quid igitur tunc faciet Chriſtianus Catholicus ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula, ab univerſalis Fidei Communione præciderit? Quid utique, niſi ut peſtifero corruptoque membro ſanitatem univerſi corporis anteponat? Quid ſi novella aliqua contagio non jam portiunculam tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item providebit ut Antiquitati inhæreat, quæ prorſus jam non poteſt ab ulla Novitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum, vel certè Civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omninò curabit, ut paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi qua ſunt univerſaliter antiquitùs univerſalis Concilii decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat, ubi nihil hujuſmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter ſe Majorum conſulat interrogetque ſententias, *eorum duntaxat, qui diverſis licet temporibus & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ Communione & Fide permanentes, Magiſtri probabiles extiterunt; & quidquid non unum aut duos tantùm, ſed omnes pariter uno eodemque conſenſu, apertè, frequenter, perſeveranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit; id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum. Sed ut planiora fiant quæ dicimus, exemplis ſigillatim illuſtranda ſunt, & paulò uberius exaggeranda, ne*

immodica

immodicæ brevitatis ſtudio rapiantur rerum pondera, orationis celeritate. Tempore Donati (à quo Donatiſtæ) quum ſeſe multa pars Aphricæ in erroris furias præcipitaret, quumque immemor nominis, religionis, profeſſionis, unius hominis ſacrilegam temeritatem Eccleſiæ Chriſti præponeret; tunc quicumque per Aphricam conſtituti, profano Schiſmate deteſtato, univerſis mundi Eccleſiis aſſociati ſunt, ſoli ex illis omnibus intra Sacraria Catholicæ Fidei ſalvi eſſe potuerunt: egregiam profectò relinquentes poſteris formam, quemadmodum ſcilicet deinceps bono more, uniùs, aut certè paucorum veſaniæ, univerſorum ſanitas anteferretur. Item quando Arianorum venenum, non jam portiunculam quandam, ſed penè orbem totum contaminaverat; adeò ut propè cunctis Latini ſermonis Epiſcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur; quidnam potiſſimum in tantâ rerum confuſione ſequendum foret; tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor extitit, Antiquam Fidem Novellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii ipſius peſte maculatus eſt. Cujus quidem temporis periculo ſatis ſuperque monſtratum eſt, quantùm invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Tunc ſi quidem non ſolùm parvæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantùm Affinitates, Cognationes, Amicitiæ, Domus, verumetiam Vrbes, Populi, Provinciæ, Nationes, univerſum poſtremò Romanum Imperium funditùs concuſſum & emotum eſt. Namque quum profana ipſa Arianorum Novitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto primò omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis ſubjugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit Vniverſa miſcere atque vexare, Privata ac Publica, Sacra Profanaque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcumque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ Conjuges, depullatæ Viduæ, profanatæ Virgines, dilacerata Monaſteria, diſturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergaſtula, Carceres, Metalla. Quorum pars maxima interdictis Vrbibus protruſi atque extorres inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, contriti & tabefacti ſunt. Atqui hæc omnia nunquid ullam aliam ob cauſam, niſi utique, dum pro cæleſti

dogmate

dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur? Dum bene fundata Antiquitas ſceleſtâ Novitate ſubruitur; dum Superiorum Inſtituta violantur, dum reſcinduntur Scita Patrum, dum convelluntur Definita Majorum, dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ Vetuſtatis caſtiſſimos limites, profanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet? Sed forſitan odio Novitatis ac amore Vetuſtatis hæc fingimus. Quiſquis hoc æſtimat, Beato ſaltem credat AMBROSIO, qui in ſecundo ad Imperatorem GRATIANUM *libro, acerbitatem temporis ipſe deplorans ait*: Sed jam ſatis (*inquit*) ô omnipotens Deus! noſtro exitio, noſtroq; ſanguine, Confeſſorum neces, exitia Sacerdotum; & nefas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit eos qui violaverint Fidem, tutos eſſe non poſſe. *Item in tertio ejuſdem Operis libro*: Servemus igitur (*inquit*) Præcepta Majorum, nec hæreditaria ſignacula auſu temerario violemus. Librum ſignatum illum Propheticum non Seniores, non Poteſtates, non Angeli, non Archangeli aperire auſi ſunt. Soli Chriſto explanandi ejus prærogativa ſervata eſt. Librum Sacerdotalem quis noſtrûm diſſignare audeat, ſignatum à Confeſſoribus & multorum jam Martyrio conſecrátum? Quem qui diſſignare coacti ſunt, poſtea tamen damnatâ fraude ſignarunt. Qui violare non auſi ſunt, Confeſſores & Martyres extiterunt; quomodò Fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus? *Prædicamus planè, inquam, ô Venerande AMBROSI, laudátesq; miramur: nam quis ille tam demens eſt, qui eos, & ſi adſequi non valeat, non exoptet ſequi; quos à defenſione Majorum Fidei, nulla vis depulit? Non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non Palatium, non Satellites, non Imperator, non Imperium, non Homines, non Dæmones. Quos inquam, pro religioſa Vetuſtatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit; ut per eos proſtratas reſtauraret Eccleſias, extinctos ſpiritualiter populos vivificaret, dejectas Sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas novellæ impietatis non literas, ſed lituras, infuſo cælitus Epiſcopis Fidelium Lachrymarum fonte deleret. Univerſum poſtremò jam penè mundum ſeva repentina Hæreſeos tempeſtate perculſum ad*

Antiquam

Antiquam Fidem à Novella perfidia, ad Antiquam ſanitatem à Novitatis cæcitate revocaret. Sed in hac divina quadam Confeſſorum virtute, illud eſt etiam nobis vel maximè conſiderandum, quòd tunc apud ipſam Eccleſiæ Vetuſtatem, non partis alicujus, ſed Vniverſitatis ab iis eſt ſuſcepta defenſio. Neque enim fas erat ut tales ac tanti Viri, unius aut duorum hominum errabundas, ſibique ipſis contrarias ſuſpiciones tam magno molimine aſſererent, aut verò pro alicujus provinciolæ temerariâ quadam conſpiratione certarent; ſed omnium ſanctæ Eccleſiæ Sacerdotum Apoſtolicæ & Catholicæ Veritatis hæredum decreta & definita ſectantes, maluerunt ſemetipſos quàm vetuſtæ Veritatis Fidem prodere. Vnde & ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non ſolùm Confeſſores: verumetiam Confeſſorum Principes jure meritòque habeantur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planeque divinum, & veris quibusq; Catholicis indefeſſâ meditatione recolendum, qui in modum ſeptemplicis candelabri, ſeptenâ Sancti Spiritus luce radiati, clariſſimam poſteris formulam præmonſtrarunt, quonam modo deinceps per ſingula quæque erroris vaniloquia, Sacratæ Vetuſtatis auctoritate, profanæ Novitatis conteratur audacia. Neque hoc ſanè novum. Siquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, ut quò quiſque foret religioſior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat unum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimùm Sede ſumemus; ut omnes luce clariùs videant, Beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio quantâ vi ſemper, quanto ſtudio, quantâ contentione defenderit ſuſceptæ ſemel Religionis integritatem. Quondam igitur Venerabilis memoriæ AGRIPINUS *Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra divum Canonem, contra Vniverſalis Eccleſiæ Regulam, contra Senſum omnium Conſacerdotum, contra Morem atque Inſtituta Majorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali invexit, ut non ſolùm Hæreticis omnibus formam ſacrilegii; ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionē præbuerit erroris. Quū ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaverſùm Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur: tunc beatæ memoriæ*

Papa STEPHANUS, *Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis; ſed tamen præ cæteris reſtitit. Dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm Fidei devotione vinceret, quantùm loci Authoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola quæ tunc ad Aphricam miſſa eſt, his verbis ſanxit,* NIHIL INNOVANDUM, NIHIL NISI QUOD TRADITUM EST. *Intelligebat enim Vir Sanctus & prudens, nihil aliud ratione pietatis admittere; niſi ut omnia, quâ Fide à Patribus ſuſceptâ forent, eâdem Fide Filiis conſignarentur, noſque Religionem non quà vellemus ducere: ſed potiùs quà illa duceret, ſequi oportere; idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis; non ſua poſteris traducere, ſed à Majoribus accepta ſervare. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? Quis utique niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet Antiquitas, exploſa Novitas. Sed fortè tunc ipſi Novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis Ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus Aſſertorum numerus, tanta veriſimilitudo, tanta Divinæ Legis Oracula; ſed planè novo ac malo more intellecta; ut mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſola tanti moliminis cauſa ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata Novitatis profeſſio deſtituiſſet. Quid poſtremò ipſius Aphricani Concilii ſive Decreti, quæ vires? Donante Deo, nullæ; ſed univerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* Hæc S. Vincentius Lirinenſis.

Quòd etiam CONSTITUTIONES ECCLESIÆ SINT OBSERVANDÆ, probatur ex Joannis vigeſimo, *Sicut miſit me Pater & Ego mitto vos.* Quod Chryſoſtomus Homiliâ octogeſimâ quintâ in eundem Joannem, ſic exponit: *Quare hoc dicit? Eorum animos erigit, & ſuam proponit authoritatem: ſiquidem ſuum eis relicturus erat miniſterium. Quemadmodùm enim Rex mittens Præfectos, ut in carcerem Reos intrudant & ut liberent, poteſtatem præbet: ita IESVS Diſcipulos mittens, hâc munit Authoritate.*

Lucæ decimo, *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hunc locum pertinere ad Succeſſores Apoſtolorum, tradit S. Cyprianus Epiſtolâ quinquageſimâ quintâ, & S. Baſilius in Conſtit. Monaſt. capite 22.

Digitized by Google

Ad Romanos decimo tertio, *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei Ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Subdit, *ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram; ſed etiam propter conſcientiam.*

Ad Hebræos decimo tertio, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.*

Actorum decimo quinto, *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis, nihil ultra vobis IMPONERE ONERIS, quàm HÆC NECESSARIA; ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, à ſuffocato, ſanguine & fornicatione.*

Paulus primæ ad Corinthios undecimo, *Cætera* (inquit) *quum venero, diſponam.* Unde Sanctus Auguſtinus libro primo ad Inquiſitiones Januarii, capite ſexto, *Liquidò apparet* (inquit) *quando primùm acceperunt Diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quòd à jejunis ſemper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti primùm Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi, &c. Chriſtus non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur; ut Apoſtolis per quos ECCLESIAS DISPOSITURUS erat, ſervaret hunc locum.* Cætera quum venero (*ait Paulus*) ordinabo.

Idem Apoſtolus primæ ad Timotheum tertio, ſtatuit legem ne bigami ordinentur. Et hæc lex eſt merè poſitiva Eccleſiaſtica. Quis tamen neget eam obligare? Unde in Concilio Carthaginenſi quarto, Canone ſexageſimo nono, Epiſcopus qui ſciens bigamum ordinavit, privatur poteſtate ordinandi.

Addo haſce duas Regulas Auguſtinianas.

Quamvis certum de Scripturis non proferatur exemplum; tamen earumdem Scripturarum à nobis tenetur veritas, quum id facimus, quod univerſæ jam placuit Ec-

cleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas, libro primo contra Creſconium capite trigeſimo ſecundo.

Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia; hinc quin ita faciendum ſit, DISPUTARE, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, libro primo ad Inquiſitiones Januarii, capite quinto.

OPPOSITIO HÆRETICA.

Prima, Solent Adverſarii objicere illud Matthæi decimo quinto: *Quare transgredimini mandatum Dei propter Traditionem veſtram? Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram.* Item, *ſine cauſa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.*

Reſpondeo non hîc à Chriſto Domino reprehendi Traditiones Apoſtolicas aut præcepta Eccleſiæ; quippe quũ legibus divinis non adverſentur; ſed potiùs illis ſtabiliendis & in praxim redigendis ſubſerviãt: nec tam hominũ ſint quàm Dei præcepta, per ejus Vicarios & Legatos nobis tradita. Solùm ergo reprehendit mandata hominum, quæ ita ſunt hominum, ut non ſint Dei. Qualia ſunt de quibus hîc agebatur, nimirùm vel vana prorſus & futilia, ut *frequentes lotiones ſuperſtitioſæ*: vel aperte contraria Legi divinæ naturali, *ut parentum defraudatio.*

Secunda oppoſitio, Deuteronomii quarto capite ſic præcipit Deus, *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo*: cur ergo addidit Eccleſia Romana Traditiones & varia præcepta?

Reſpondeo primò, Hujus textus eum eſſe ſenſum, ut velit Deus integrè & perfectè ſervari mandata ſua, & nihil addi, nihil auferri per falſam aut pravam interpretationem hoc eſt (quod aliâ phraſi ſolet Scriptura exprimere) *non declinari ad dexteram neque ad ſiniſtram.* Et hanc eſſe veram ac genuinam illius loci expoſitionem ex eo patet,

quòd

quòd alioqui peccaſſent Prophetæ & Apoſtoli, tam multa poſtmodùm addendo: imò etiam multa auferendo. Nam Actorum decimo quinto Apoſtoli & Seniores abſtulerunt à Gentibus ad Fidem converſis *obſervationem legalium*, demptâ *ſolâ abſtinentiâ à ſanguine & ſuffocatis*.

Reſpondeo ſecundò, Traditiones Apoſtolicas & Eccleſiaſtica Præcepta non eſſe *additiones* ad Legem ſed potiùs *explicationes*. Nam in Lege & Prophetis, non continetur Novum Teſtamentum, niſi quodămodò implicitè & virtualiter, velut planta in ſemine. In Lege enim, Deuteronomii decimo octavo, ſic habetur: *Prophetam de gente tua & de Fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Ibi in genere continetur quicquid Chriſtus Dominus aut dixit aut fecit: ſed in particulari quod debuerit Perſonarum Trinitatem prædicare, novæ Legis Sacramenta inſtituere, non legitur nec habetur explicitè.

Tertia Oppoſitio ſumitur ab Adverſariis noſtris ex Apocalypſis ultimo: *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus; ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de libris Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vitæ, & de Civitate Sancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.*

Reſpondeo Sanctum Joannem ibi prohibere corruptionem libri illius: non autem, ne alii libri ſcribantur, vel dogmata tradantur. Alioqui ſecum ipſe pugnaſſet: nam juxta *Kemnitium* in examine Concilii Tridentini paginâ ducenteſimâ ſecundâ, idem Sanctus Joannes poſt Apocalypſim ſcripſit Evangelium ſuum.

Quarta Oppoſitio deſumitur ex graviſſima illa inter Cyprianum alioſque Epiſcopos ei adhærentes, & Stephanum Papam colluctatione ac diſceptatione, *De iis vel non rebaptizandis vel rebaptizandis*, *qui ab Hæreticis fuerant baptizati*. Idem enim Cyprianus *non hominis conſuetudinem ſequendam eſſe; ſed Dei veritatem* contendebat. *Liboſus* autem *à Vaga* dicebat, *Ego ſum Veritas* (*inquiebat Chriſtus*) *non autem*, *Ego ſum conſuetudo*, *&c.* Videri poteſt Auguſtinus libro ſexto de Baptiſmo contra Donatiſtas.

quàm ad mores ſpectantia, quæ non ſunt ſcripta; ſed quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, & toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi: vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis (quorum eſt in Eccleſiâ ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quòd Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cœlum, & Adventus Spiritus Sancti de Cœlo, anniverſariâ ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit quod ſervatur ab univerſa quacumque ſe diffundit Eccleſia. Vide ſupra in Methodo *Converſiva*, paginâ centeſimâ vigeſimâ primâ.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Traditiones eſſe admittendas & amplectendas, probamus.

Secundæ ad Theſſalonicenſes capite ſecundo: *Tenete* TRADITIONES *quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram.* Exponit S. Chryſoſtomus, Homiliâ quartâ in illum locum, his verbis; *Itaque Fratres ſtate, & tenete* TRADITIONES *quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram. Hinc perſpicuum eſt quòd non omnia tradiderit per Epiſtolam; ſed multa etiam ſine Scriptis: & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem* ECCLESIÆ TRADITIONEM *cenſeamus eſſe fide dignam.* EST TRADITIO; *nihil quæras amplius.*

Primæ ad Corinthios undecimo, *Laudo vos Fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut* TRADIDI *vobis, præcepta mea tenetis. Cætera quum venero diſponam.* Sic explicat S. Baſilius, librò de Spiritù Sanctò capite vigeſimo nono: *Arbitror Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis* TRADITIONIBUS *inhærere.* Laudo vos (inquit Paulus) quòd omnia mea meminiſtis; & quemadmodùm tradidi vobis, Traditiones tenetis.

Secundæ ad Timotheum primo, *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in Fide & in dilectione in CHRISTO IESV. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum.* Quod explanans S. Chryſoſtomus Homiliâ tertiâ, in eandem Epiſtolam, ſic ait, *Non modò per literas, ſed etiam verbis, quæ eſſent agenda, Diſcipulo dictavit. Quod plurimis & aliis in locis oſtendit, dicens:* ſive per verbum, ſive

per,

per Epiſtolam quaſi per nos miſſam. *Hoc & hîc multò magis fecit. Ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi* ABSQVE SCRIPTO TRADIDIT; *quæ illi modò ad memoriam revocans dicit:* Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti. *Quid autem hoc ſibi vult?* Pictorum (inquit) more, imaginem virtutis tibi impreſſimus: & omnium quæ Deo grata ſunt, veluti normam privatamque formam tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habeto firmiter. Et ſive de Fide, ſive de Charitate, ſive de Caſtitate opus ſit aliquid loqui ac definire, inde tibi exemplaria accipe. Hæc Chryſoſtomus.

Addo *Euſtathium* Hæreticum fuiſſe à Synodo Gangrenſi damnatum, eoquòd Eccleſiæ TRADITIONES contemnendas eſſe doceret.

Poſtremò, *Sanctus Vincentius Lirinenſis* toties ſupra laudatus, hanc de TRADITIONIBUS materiam diſertè, luculentè & nervosè complexus *in Commonitorio*, ſic ait: *Sæpè magno ſtudio & ſummâ attentione perquirens à quàm plurimis ſanctitate & doctrinâ præſtantibus Viris, quònam modo poſſim certâ quâdam & quaſi generali ac regulari viâ Catholicæ Fidei veritatem ab Hæreticæ pravitatis falſitate diſcernere; hujuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli; quod ſive ego, ſive quis vellet exſurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq́; vitare, & in Fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire Fidem ſuam Domino adjuvante deberet. Primùm ſcilicet divinæ Legis auctoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ Traditione. Hîc forſitan requirat aliquis: quum ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt; ſed ejuſdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur; ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit; aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus; aliter Iovinianus, Pelagius, Celeſtius; aliter poſtremò Neſtorius.*

rius. Atque idcircò multùm neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt etenim verè propriéq; Catholicū, quod ipſa vis nominis, ratioq́ue declarat, quæ omnia ferè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur Univerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem. Sequemur autem Univerſitatem hoc modo: Si hanc Unam Fidem Veram eſſe fateamur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos Sanctos Majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones, ſententiaſq́ue ſectemur. Quid igitur tunc faciet Chriſtianus Catholicus ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula, ab univerſalis Fidei Communione præciderit? Quid utique, niſi ut peſtifero corruptoque membro ſanitatem univerſi corporis anteponat? Quid ſi novella aliqua contagio non jam portiunculam tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item providebit ut Antiquitati inhæreat, quæ prorſus jam non poteſt ab ulla Novitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum, vel certè Civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omninò curabit, ut paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi qua ſunt univerſaliter antiquitùs univerſalis Concilii decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat, ubi nihil hujuſmodi reperiatur?
Tunc operam dabit, ut collatas inter ſe Majorum conſulat interrogetq́ue ſententias, *eorum duntaxat, qui diverſis licet temporibus & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ Communione & Fide permanentes, Magiſtri probabiles extiterunt; & quidquid non unum aut duos tantùm, ſed omnes pariter uno eodemq́ue conſenſu, apertè, frequenter, perſeveranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit; id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum. Sed ut planiora fiant quæ dicimus, exemplis ſigillatim illuſtranda ſunt, & paulò uberius exaggeranda, ne*
immodica

immodica brevitatis ſtudio rapiantur rerum pondera, orationis celeritate. Tempore Donati (à quo Donatiſtæ) quum ſeſe multa pars Aphricæ in erroris furias præcipitaret, quumque immemor nominis, religionis, profeſſionis, unius hominis ſacrilegam temeritatem Eccleſiæ Chriſti præponeret; tunc quicumque per Aphricam conſtituti, profano Schiſmate deteſtato, univerſis mundi Eccleſiis aſſociati ſunt, ſoli ex illis omnibus intra Sacraria Catholicæ Fidei ſalvi eſſe potuerunt: egregiam profectò relinquentes poſteris formam, quemadmodum ſcilicet deinceps bono more, uniùs, aut certè paucorum veſaniæ, univerſorum ſanitas anteferretur. Item quando Arianorum venenum, non jam portiunculam quandam, ſed penè orbem totum contaminaverat; adeò ut propè cunctis Latini ſermonis Epiſcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur; quidnam potiſſimum in tantâ rerum confuſione ſequendum foret; tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor extitit, Antiquam Fidem Novellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii ipſius peſte maculatus eſt. Cujus quidem temporis periculo ſatis ſuperque monſtratum eſt, quantùm invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolùm parvæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantùm Affinitates, Cognationes, Amicitiæ, Domus, verumetiam Vrbes, Populi, Provinciæ, Nationes, univerſum poſtremò Romanum Imperium funditùs concuſſum & emotum eſt. Namque quum profana ipſa Arianorum Novitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto primò omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis ſubjugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit Univerſa miſcere atque vexare, Privata ac Publica, Sacra Profanaque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcumque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ Conjuges, depullatæ Viduæ, profanatæ Virgines, dilacerata Monaſteria, diſturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergaſtula, Carceres, Metalla. Quorum pars maxima interdictis Vrbibus protruſi atque extorres inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, contriti & tabefacti ſunt. Atqui hæc omnia nunquid ullam aliam ob cauſam, niſi utique, dum pro cæleſti

dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur? Dum bene fundata Antiquitas ſceleſtâ Novitate ſubruitur; dum Superiorum Inſtituta violantur, dum reſcinduntur Scita Patrum, dum convelluntur Definita Majorum, dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ Vetuſtatis caſtiſſimos limites, profanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet? Sed forſitan odio Novitatis ac amore Vetuſtatis hæc fingimus. Quiſquis hoc æſtimat, Beato ſaltem credat AMBROSIO, qui in ſecundo ad Imperatorem GRATIANUM *libro, acerbitatem temporis ipſe deplorans ait:* Sed jam ſatis (*inquit*) ô omnipotens Deus! noſtro exitio, noſtroq; ſanguine, Confeſſorum neces, exitia Sacerdotum; & nefas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit eos qui violaverint Fidem, tutos eſſe non poſſe. *Item in tertio ejuſdem Operis libro:* Servemus igitur (*inquit*) Præcepta Majorum, nec hæreditaria ſignacula auſu temerario violemus. Librum ſignatum illum Propheticum non Seniores, non Poteſtates, non Angeli, non Archangeli aperire auſi ſunt. Soli Chriſto explanandi ejus prærogativa ſervata eſt. Librum Sacerdotalem quis noſtrûm diſſignare audeat, ſignatum à Confeſſoribus & multorum jam Martyrio conſecratum? Quem qui diſſignare coacti ſunt, poſtea tamen damnatâ fraude ſignarunt. Qui violare non auſi ſunt, Confeſſores & Martyres extiterunt; quomodò Fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus? *Prædicamus planè, inquam, ô Venerande AMBROSI, laudâtesq; miramur: nam quis ille tam demens eſt, qui eos, & ſi adſequi non valeat, non exoptet ſequi; quos à defenſione Majorum Fidei, nulla vis depulit? Non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non Palatium, non Satellites, non Imperator, non Imperium, non Homines, non Dæmones. Quos inquam, pro religioſæ Vetuſtatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit; ut per eos proſtratas reſtauraret Eccleſias, extinctos ſpiritualiter populos vivificaret, dejectas Sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas novellæ impietatis non literas, ſed lituras, infuſo cælitus Epiſcopis Fidelium Lachrymarum fonte deleret. Univerſum poſtremò jam penè mundum ſevâ repentinæ Hæreſeos tempeſtate perculſum ad*

Antiquam

Antiquam Fidem à Novella perfidia, ad Antiquam ſanitatem à Novitatis cæcitate revocaret. Sed in hac divina quadam Confeſſorum virtute, illud eſt etiam nobis vel maximè conſiderandum, quòd tunc apud ipſam Eccleſiæ Vetuſtatem, non partis alicujus; ſed Univerſitatis ab iis eſt ſuſcepta defenſio. Neque enim fas erat ut tales ac tanti Viri, unius aut duorum hominum errabundas, ſibique ipſis contrarias ſuſpiciones tam magno molimine aſſererent, aut verò pro alicujus provinciolæ temerariâ quadam conſpiratione certarent; ſed omnium ſanctæ Eccleſiæ Sacerdotum Apoſtolicæ & Catholicæ Veritatis hæredum decreta & definita ſectantes, maluerunt ſemetipſos quàm vetuſtæ Veritatis Fidem prodere. Unde & ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non ſolùm Confeſſores: verumetiam Confeſſorum Principes jure meritòque habeantur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planeque divinum, & veris quibusq; Catholicis indefeſſâ meditatione recolendum, qui in modum ſeptemplicis candelabri, ſeptenâ Sancti Spiritus luce radiati, clariſſimam poſteris formulam præmonſtrarunt, quonam modo deinceps per ſingula quæque erroris vaniloquia, Sacratæ Vetuſtatis auctoritate, profanæ Novitatis conteratur audacia. Neque hoc ſanè novum. Siquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, ut quò quiſque foret religioſior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat unum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimùm Sede ſumemus; ut omnes luce clariùs videant, Beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio quantâ vi ſemper, quanto ſtudio, quantâ contentione defenderit ſuſceptæ ſemel Religionis integritatem. Quondam igitur Venerabilis memoriæ AGRIPINUS *Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra divum Canonem, contra Univerſalis Eccleſiæ Regulam, contra Senſum omnium Conſacerdotum, contra Morem atque Inſtituta Majorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali invexit, ut non ſolùm Hæreticis omnibus formam ſacrilegii; ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionē præbuerit erroris. Quū ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaverſùm Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur: tunc beatæ memoriæ*

Papa STEPHANUS, *Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis; ſed tamen præ cæteris reſtitit. Dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm Fidei devotione vinceret, quantùm loci Authoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola quæ tunc ad Aphricam miſſa eſt, his verbis ſanxit,* NIHIL INNOVANDUM, NIHIL NISI QUOD TRADITUM EST. *Intelligebat enim Vir Sanctus & prudens, nihil aliud ratione pietatis admittere; niſi ut omnia, quâ Fide à Patribus ſuſceptâ forent, eâdem Fide Filiis conſignarentur, noſque Religionem non quà vellemus ducere: ſed potiùs quà illa duceret, ſequi oportere; idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis; non ſua poſteris traducere, ſed à Majoribus accepta ſervare. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? Quis utique niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet Antiquitas, exploſa Novitas. Sed fortè tunc ipſi Novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis Ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus Aſſertorum numerus, tanta veriſimilitudo, tanta Divinæ Legis Oracula; ſed planè novo ac malo more intellecta; ut mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſola tanti moliminis cauſa ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata Novitatis profeſſio deſtituiſſet. Quid poſtremò ipſius Aphricani Concilii ſive Decreti, quæ vires? Donante Deo, nullæ; ſed univerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* Hæc S. Vincentius Lirinenſis.

Quòd etiam CONSTITUTIONES ECCLESIÆ SINT OBSERVANDÆ, probatur ex Joannis vigeſimo, *Sicut miſit me Pater & Ego mitto vos.* Quod Chryſoſtomus Homiliâ octogeſimâ quintâ in eundem Joannem, ſic exponit: *Quare hoc dicit? Eorum animos erigit, & ſuam proponit authoritatem: ſiquidem ſuum eis relicturus erat miniſterium. Quemadmodùm enim Rex mittens Præfectos, ut in carcerem Reos intrudant & ut liberent, poteſtatem præbet: ita IESVS Diſcipulos mittens, hâc munit Authoritate.*

Lucæ decimo, *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hunc locum pertinere ad Succeſſores Apoſtolorum, tradit S. Cyprianus Epiſtolâ quinquageſimâ quintâ, & S. Baſilius in Conſtit. Monaſt. capite 22.

Ad Romanos decimo tertio, *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei Ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Subdit, *ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram; ſed etiam propter conſcientiam.*

Ad Hebræos decimo tertio, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.*

Actorum decimo quinto, *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis, nihil ultra vobis IMPONERE ONERIS, quàm HÆC NECESSARIA; ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, à ſuffocato, ſanguine & fornicatione.*

Paulus primæ ad Corinthios undecimo, *Cætera* (inquit) *quum venero, diſponam.* Unde Sanctus Auguſtinus libro primo ad Inquiſitiones Januarii, capite ſexto, *Liquidò apparet* (inquit) *quando primùm acceperunt Diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quòd à jejunis ſemper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti primùm Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi, &c. Chriſtus non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur; ut Apoſtolis per quos ECCLESIAS DISPOSITURUS erat, ſervaret hunc locum.* Cætera quum venero (*ait Paulus*) ordinabo.

Idem Apoſtolus primæ ad Timotheum tertio, ſtatuit legem ne bigami ordinentur. Et hæc lex eſt merè poſitiva Eccleſiaſtica. Quis tamen neget eam obligare? Unde in Concilio Carthaginenſi quarto, Canone ſexageſimo nono, Epiſcopus qui ſciens bigamum ordinavit, privatur poteſtate ordinandi.

Addo haſce duas Regulas Auguſtinianas.

Quamvis certum de Scripturis non proferatur exemplum; tamen earumdem Scripturarum à nobis tenetur veritas, quum id facimus, quod univerſæ jam placuit Ec-

quòd alioqui peccaſſent Prophetæ & Apoſtoli, tam multa poſtmodùm addendo: imò etiam multa auferendo. Nam Actorum decimo quinto Apoſtoli & Seniores abſtulerunt à Gentibus ad Fidem converſis *obſervationem legalium*, demptâ *ſolâ abſtinentiâ à ſanguine & ſuffocatis.*

Reſpondeo ſecundò, Traditiones Apoſtolicas & Eccleſiaſtica Præcepta non eſſe *additiones* ad Legem ſed potiùs *explicationes*. Nam in Lege & Prophetis, non continetur Novum Teſtamentum, niſi quodămodò implicitè & virtualiter, velut planta in ſemine. In Lege enim, Deuteronomii decimo octavo, ſic habetur: *Prophetam de gente tua & de Fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Ibi in genere continetur quicquid Chriſtus Dominus aut dixit aut fecit: ſed in particulari quod debuerit Perſonarum Trinitatem prædicare, novæ Legis Sacramenta inſtituere, non legitur nec habetur explicitè.

Tertia Oppoſitio ſumitur ab Adverſariis noſtris ex Apocalypſis ultimo: *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus; ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de libris Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vitæ, & de Civitate Sancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.*

Reſpondeo Sanctum Joannem ibi prohibere corruptionem libri illius: non autem, ne alii libri ſcribantur, vel dogmata tradantur. Alioqui ſecum ipſe pugnaſſet: nam juxta *Kemnitium* in examine Concilii Tridentini paginâ ducenteſimâ ſecundâ, idem Sanctus Joannes poſt Apocalypſim ſcripſit Evangelium ſuum.

Quarta Oppoſitio deſumitur ex graviſſima illa inter Cyprianum alioſque Epiſcopos ei adhærentes, & Stephanum Papam colluctatione ac diſceptatione, *De iis vel non rebaptizandis vel rebaptizandis, qui ab Hæreticis fuerant baptizati.* Idem enim Cyprianus *non hominis conſuetudinem ſequendam eſſe; ſed Dei veritatem* contendebat. *Liboſus* autem *à Vaga* dicebat, *Ego ſum Veritas* (*inquiebat Chriſtus*) *non autem, Ego ſum conſuetudo, &c.* Videri poteſt Auguſtinus libro ſexto de Baptiſmo contra Donatiſtas.

Reſpondeo eundem Auguſtinum breviter & ſolidè huic difficultati ſatisfacere dum ait: *Defenſiones ipſius conſuetudinis non tales afferebantur, quibus illa talis anima* (videlicet Cypriani) *moveretur. Et hinc noluit vir graviſſimus rationes ſuas etſi non veras (quod eum latebat) ſed tamen non victas; veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ conſuetudini cedere.*

CAPVT V.

POSITIO CATHOLICA

De Eccleſia ejuſque Notis.

Credenda eſt Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Chriſti Domini Eccleſia.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

NOmine *Eccleſiæ* intelligimus *Cœtum hominum, ejuſdem Fidei Chriſtianæ profeſſione & eorumdem Sacramentorum communione colligatum, ſub regimine Paſtorum legitimorum.* Hanc Eccleſiæ ſive definitionem ſive deſcriptionem non improbabunt (ni fallor) ipſimet Acatholici, qualeſcumque tandem ſint, & in cujuſcumque Sectæ *verba iurare addicti.*

Certè Calviniani reliquis omnibus vel ſubtiliores, vel ſaltem callidiores, non poſſunt (velint, nolint) huic eidem definitioni aut deſcriptioni non aſſentiri & ſubſcribere: quandoquidem in ipſorum Catechiſmo Reformato, Dominicâ decimâ quintâ dicatur *Eccleſia eſſe Societas Fidelium:* & Dominicâ quadrageſimâ quintâ credatur *neceſſarium eſſe ut ſint Paſtores.* Denique in Confeſſione prætentæ Fidei Reformatæ, Articulo vigeſimo nono: *Quòd ad*

ad veram Eccleſiam attinet (inquiunt Reformatores) *credimus eam regi debere, juxta politiam à Domino noſtro* I E S V *Chriſto conſtitutam. Hoc eſt, ut ſint Paſtores.*

Ne quis porrò ignoraret *ubi paſcat, ubi cubet pulcherrima* illa Eccleſia, *& poſt greges alienarum vagari inciperet*; divinitùs factum eſt, ut in SYMBOLO, vero utique ac incorrupto Fidei compendio & totius Populi Chriſtiani communiſſimâ ſanctiſſimâque teſſerâ, eas Eccleſiæ notas ac inſignia haberemus; ut & quæ qualiſve eſſet, cognoſci: & ab omnibus fucatis, ac falſis Eccleſiis poſſet manifeſtiſſimè diſtingui. Neque enim ſatis eſt nos qualemcumque Eccleſiam credere: ſed eam ipſam, qualis ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis, nobis credēda proponitur: ut nemo pro arbitrio ſuo Regni Chriſti notas atque limites ſibi fingat & ſtatuat; ſed intra eos fines ac metas, quas nobis Majores noſtri poſuerunt, ſe contineat. Quod quidem SYMBOLUM, quum Adverſariorum noſtrorum plurimi nobiſcum communiter profiteantur; improbâ tamen cupiditate victi & obcœcati, intelligere nolunt aliam ſe Eccleſiam in ſumma Fidei nobiſcum profiteri, aliam verò quærere; ut vel *de ore ſuo cum illo ſervo nequam* hac in parte *judicentur & condemnentur*; quòd UNAM, SANCTAM, CATHOLICAM & APOSTOLICAM ECCLESIAM profeſſi, *Lutherum* aut *Zuinglium* aut *Calvinum*, ſequi malint. Verùm quum eas NOTAS quæ in SYMBOLO ſunt, prætentis Eccleſiis ſuis convenire nullo pacto poſſe, privatâ conſcientiâ judicarent, alias ſibi neceſſariò quærendas ac fingendas eſſe exiſtimarunt. Sed de his poſtea agemus. Nunc verò proprietates Eccleſiæ ſeu Notas, ſubjectis aliquot Sectionibus, ad majorem diſtinctionem ac elucidationem exponamus & probemus.

Cant. 1.

Luc. 19.

SECTIO I.
De Unitate Eccleſiæ.

PRima in Symbolo expreſſa veræ Eccleſiæ Nota hæc eſt, quòd ſit UNA.

Cant. 6. Probatur ex Scripturis, *VNA eſt Columba mea, Perfecta mea, VNA eſt Matri ſua, electa Genitrici ſua. Viderunt eam Filia & beatiſſimam prædicaverunt. Reginæ laudaverunt eam.*

Ioan. 17. *Non pro eis tantùm rogo, ſed & pro eis qui credituri ſunt (per verbum eorum) in me; ut omnes VNVM ſint. Sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipſi in nobis VNVM ſint. Ego in eis, & tu in me; ut ſint conſummati in VNVM: & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti.*

Pſal. 144 Daniel. 2. Matth. 12. Regnum Chriſti Domini *eſt Regnum omnium ſæculorum. Regnum quod in æternum non diſſipabitur, ſed ſtabit.* Omne autem *Regnum diviſum contra ſe, deſolabitur,* ait idem Dominus.

Hoc UNITATIS limite Eccleſiam à Valentini, Marcionis, & reliquorum Hæreticorum Sectis, primus diſtinxit Apoſtolorum Succeſſor, Magnus Irenæus Lugdunenſis, his verbis: *Quum hanc prædicationem acceperit, & hanc Fidem (quemadmodùm diximus) Eccleſia; & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit quaſi VNAM domum inhabitans: & ſimiliter credit, videlicet quaſi VNAM animam habens & VNVM cor: & conſonanter hæc prædicat & docet & tradit, quaſi VNVM poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt; ſed tamen virtus Traditionis VNA & eadem eſt. Et neque aliter hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Libia, neque hæ quæ in Medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt; ſic & lumen & prædicatio Veritatis ubique lucet & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem Veritatis venire.* Hæc Irenæus.

S. Iren. l. 1. cap. 1

Cypr. de Vnitate Eccleſ. & lib. 1. Epiſt. 8. Beatus Cyprianus, *Eccleſia VNA eſt* (inquit) *quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodò Solis multi radii, ſed lumen Vnum; & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum. Et quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur; unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios*

ſuos

Digitized by Google

ſuos porrigit: unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur.

Tertullianus hoc eodem ſigno utitur: *Tot* (inquit) *& tantæ Eccleſiæ! Vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes;* ſic omnes *prima & omnes Apoſtolicæ; dum unam probant unitatem, communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis; quæ cuncta non alia ratio regit, quàm ejuſdem Sacramenti una Traditio.* Non eſt hic opus, aliorum omnium Coriphæum Auguſtinum, in medium adducere, quum integrum librum *de Eccleſiæ unitate* conſcripſerit. Tertul. de Præſc.

Illam ergo veram eſſe Chriſti Eccleſiam dicimus, quæ Una ſit, ſeu quæ ſemper Una & eadem, hoc eſt, quæ non exoriatur hoc anno, altero autem occidat: quæ nunc his de rebus illud ſentiat & judicet; aliàs verò aliud & iterum aliud: ſed ea demum erit Una Eccleſia, quæ unum & idem de rebus iiſdem ſemper ſenſerit & ſentiat: quæ quos ſenſus à principio accepit, quibus imbuta ac inſtituta fuit à primis Ducibus & Fundatoribus Fidei, eoſdem perſeverantiſſimè conſervet & tueatur. Quæ non tanquam veſtes, ſic opiniones mutet. Quæ non tanquam ex hoſpitiis in hoſpitia, ſic ex ſententiis in ſententias tranſeat. Quæ *more parvulorum non fluctuet, nec circumferatur omni vento doctrinæ.* Quæ etſi proficiat, & ſua habeat incrementa; eaſdem tamen rerum ſpecies conſervet: ut quamvis in gramine, quamvis in herba, quamvis in ſpica ſit; unum tamen & idem ſemper frumentum permaneat. Non quæ triticum ab initio polliceatur; & mox in lolium infœlix, aut in ſteriles avenas exeat. Proficit quidem Eccleſia; ſed ita ut verè profectus ille ſit Fidei, non autem permutatio. Quemadmodùm ante hos mille annos præclariſſimè notavit S. Vincentius Lirinenſis in aureo Commonitorii ſui libello, capite vigeſimo octavo. Creſcere igitur Eccleſiam & proficere oportet, non tamen in aliam deſinere, non ſemetipſam deſtruere, non more viperarum conficere.

Neceſſe eſt ut nihil pugnans, nihil adverſum illis rebus quas in primis ſuis initiis docuit ac tradidit, ſubſequentibus temporibus doceat aut tradat: nemo ejus præjudiciis aut teſtimoniis contra illam ipſam uti poſſit, ſeu ejus arma in ipſammet convertere ac contorquere. *Una* tandem erit, ſi non ſolo nomine, hominumque cœtu; ſed etiam ſenſu & dogmate, iiſdem rerum ſpeciebus omnibus, una eademque perſtiterit.

Adverte tamen (*Benevole Lector*) non ſufficere ad unitatem Eccleſiæ conſtituendam, ut quomodocumque UNA ſit: ſed etiam ut ejuſdem unitatis in ſe principia & cauſas habeat, quas Unitas ipſa, vi & naturâ ſua ſequatur per ſe; etiamſi hac de re nihil cogites, & nullos cōminiſcaris *Syncretiſmos*. Quod poſtremùm addo, quia totus in hos incumbit *David Paræus*, ſuo illò IRENICO, ſeu pacifico & votivo libello Heilderbergæ edito Anno 1614. ubi omnibus ingenii ac eloquentiæ ſuæ nervis & viribus contendit, ut tam Lutheranis, quàm Zuinglianis & Calvinianis perſuadeat, *Syncretiſmos* quoſdam ineundos eſſe ac quocumque modo componendos; dum interim conjunctis caſtris & adunatis conatibus adversùs Antichriſti Romani tyrannidem decertent, eamque penitus profligent. Ad hoc ipſum collimavit famoſa illa Synodus Nationalis Charentonienſis propè Pariſios, anno Domini 1631. Dum enim viderent Gallicani Miniſtri Calviniani, Regem Sueciæ attritis Romani ſeu potiùs Germanici Imperii viribus, cæteris Europæ Regnis inhiare; & tot inflatum victoriis, ſpe quadam ac fiduciâ virium & ſucceſſuum, eadem Regna præmaturè devorare, tunc omninò cenſuerunt Regis illius Lutherani ambitioni præ-litandum, ejusque gratiam præoccupandam & præaucupandam eſſe. Adeoque in Lutheranorum gratiam, publicè ac Synodicè (ut ita dicam) ſtatuerunt, *Lutheranos Fratres ad Calvinianam Cœnam admittendos eſſe*, nullâ præmiſſâ abjuratione *Fidei* de verâ & reali præſentiâ Corporis & Sanguinis Chriſti; vel etiam *erroris* de ejuſdem

Corporis

Corporis Ubiquitate, circa quam multò maxima pars Lutheranorum inſanit. Ne autem illi iidem Gallicani Miniſtri, & Synodici Patres, vel leviter vel incogitanter, ad ejuſcemodi decretum prorupiſſe viderentur, hanc fundamentalem pronuntiati ſui cauſam ediderunt, nimirùm *quòd Controverſia inter Lutheranos & Calvinianos circa Cœnam ſit exigui momenti, nec eorum inter ſe unitati & unioni officere debeat. Deinde quòd Lutherana Fides, quantumvis directè oppoſita Calvinianæ opinioni, nihil habeat veneni.* Sed quo animo hanc fucatã aut palliatam Fraternitatem acceperint Lutherani, teſtantur *Danhawerus Argentoratenſis* in ſua ad Heidelbergenſes Reſponſione, *Hulſemanus Lipſienſis in* Calviniſmo irreconciliabili, & *Callovii* Epicriſis adversùs Colloquium & Unionem Caſſelentenſem cum Calvinianis Rintelenſibus.

Verùm ad Unitatis (quæ utique veræ Chriſti Eccleſiæ nota eſt in Symbolo aſſignata) cauſas atque principia revertamur, In unoquoque animante, Unitatis cauſæ ſeu principia ſunt, tum *anima ipſa ſeu ſpiritus* ſi facultates internas ſpectes: tum etiam caput, ſi exteriora membra, & eorumdem ad animam & caput debitam ſubjectionem, ſubalternationem & conſenſum attendas: ita etiam Unitatis Eccleſiæ principia & cauſæ ſunt: primò Unitas animæ ſeu ſpiritus, hoc eſt, unus Catholicus Sacræ Scripturæ ſenſus & interpretatio: Deinde Unitas Capitis quæ eſt Unitas Paſtoris. Sed quis Paſtor, niſi ille cui toties repetitis vocibus, *Paſce Oves meas, paſce Agnos meos,* munus paſcendi committitur? Quis inquam Paſtor niſi Petrus, ejusque Succeſſores? Quæ autem coordinatio facultatum & membrorum, niſi obedientia & ſubjectio ad Catholicum Scripturæ ſenſum, & ad eum qui præeſt Paſtorem? Audi Cyprianum; *Videns inimicus Idola derelicta* (inquit) *& per nimium credentium populum, ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitavit novam fraudem; ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos. Hæreſes invênit & Schiſmata quibus ſubverteret Fidem, Veritatem corrumperet, ſcinderet* S. Cypr. Tract. de Simplic. Prælat. ſeu de Vnit. Eccleſ.

ſcinderet Unitatem. Rapit de ipſa Eccleſia homines; & dum ſibi appropinquaſſe jam lumini, atque evaſiſſe ſæculi noctem videntur, aliàs neſcientibus tenebras rurſus infundit. Hoc eò fit Fratres dilectiſſimi, dum ad Veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magiſtri cæleſtis doctrina ſervatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad Fidem facilis compendio Veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferorum non vincent eam. Tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cælis; & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis. *Eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit,* Paſce Oves meas. *Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat Oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat & dicat:* Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos; Accipite Spiritum Sanctũ, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur: *tamen ut Unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & Unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab Unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes; ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur. Quam unam Eccleſiã etiã in Cantico Canticorum Spiritus S. ex perſona Domini deſignat & dicit:* Una eſt Columba mea. Hæc Cyprianus.

Quæ igitur Eccleſia unum habet Paſtorem & omnium facultatum atque membrorum ad ipſum Caput conglutinationem & conſenſum: quæ unum Catholicum & omnium temporum atque locorum univerſalem Scripturæ ſenſum ſequitur; illa vera & propria unitatis principia habet: adeòque una ſemper eſt. In quâ autem Sectâ quot homines, tot ſenſus, tot interpretationes Scripturæ: quæ nullum communem, nullum Catholicum ſe-

quitur

quitur Scripturæ ſenſum: quæ nullum habet unum Paſtorem, nullam membrorum conglutinationem; Una nunquam eſſe poteſt.

Hanc Unitatem ejusque cauſas exponit Apoſtolus dum ait: *Vnum Corpus & unus Spiritus, ſicut & vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium.* Epheſ. 4.

Vide quemadmodùm Unitatem ſtatuat Doctor ille Gentium & Vas Electionis, nimirùm ut credatur *Vnus Deus & Pater omnium*, hoc eſt, ut ſit una præcelſæ Divinitatis Confeſſio; & unus de vero Deo ſenſus: Deinde ſit *Vnus Dominus*, ſive agnoſcatur & credatur unus Chriſtus, qualis in ſe eſt; non qualem ſibi fingunt Hæretici, & Sectatoribus ſuis obtrudunt. Reflecte ad ea quæ dixi ſupra *in Methodo Impugnativa, capite undecimo, contra Spiritum Calvinianum à pagina 303. ad paginam 306.* Item vult Paulus ut *ſit una Fides*, hoc eſt, unum commune Symbolum, una communis expoſitio ac interpretatio credendorum: ut non id quiſque credat quod vult, quantum vult & quomodò vult (ſicuti apud Eccleſiæ Adverſarios paſſim fieri cernimus, ſub prætextu libertatis conſcientiæ) ſed id duntaxat credat quod & quantùm & quomodò primitùs à Majoribus præſcriptum eſt, ut credat. Addit idem Apoſtolus, ut *Vnum ſit Baptiſma*, id eſt eadem Sacramenta, idemque eorum numerus: idcircò enim primum & omnium maximè neceſſarium commemorat Sacramentum, videlicet Baptiſmi; ut cætera cum illo ſubintelligantur. Poſtremò, Statuit *unam eandemque ſpem vocationis*, nimirùm ut unum & idem credatur de Immortalitate animarum, de illarum ultimis Receptaculis, de *Mediis ſpei vocationis* ſcilicet Fide, Spe, Charitate, aliisque virtutibus; de Juſtificatione, Meritis operum, Legibus, Ritibus, & ejuſcemodi ad Eccleſiæ Chriſti, ſive Regimen, ſive profectum, ſive finem conducentibus.

Adverte jam (*Benevole Lector*) niſi mentis oculos à compertiſſima veritate avertere libuerit: Adverte inquam

& attende, ubi & penes quos ſit UNITAS illa. Manifeſtiſſimè deprehendes eſſe penès Catholicos. Quære ab iiſdem Catholicis Belgis, Britannis, Gallis, Hiſpanis, Italis, Germanis, Pannoniis, Sarmatis, Græcis, Europæis, Aphris, Aſianis, Americis, Sinis, Japoniis, quid credant circa *Deum*, circa *Chriſtum Dominum*, circa *Symbolum*, circa *Sacramenta*, circa *ſpem Vocationis*: audies omnes quotquot ſunt, UNUM idemque ſentire, unum idemque credere, unum idemque quantumvis multiplicibus & diverſis idiomatibus profiteri.

At ex adverſo circa illa quæ jam commemoravi non conſtant ſibi Calviniani, non conveniunt inter ſe Lutherani nec Anabaptiſtæ, non conſentiunt Adverſarii. Hi talem Chriſtum prædicant, illi talem, alii alium. Nonnulli duo tantùm admittunt Sacramenta, aliqui tria, quidam quinque. Hi negant Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia, illi confitentur eſſe præſens cum ſubſtantia panis. In una eademque domo Pater Lutheraniſmum ſequitur, Mater Calviniſmum amplectitur, Filius Gomariſmum, Filia Arminiſmum, Ancilla Anabaptiſmum. Ut non immeritò dixiſſe feratur Catholiciſſimus Princeps Georgius quondam Saxoniæ Dux, *ſcire ſe quidem quid hoc anno crederent vicini ſui Lutherani Wittenbergenſes; quid verò proximè inſequenti anno credituri eſſent, ſe ignorare; eo quòd tam ſæpè dogmata ſua variarent.*

SECTIO II.

De Eccleſiæ Sanctitate.

HÆc ſecunda Eccleſiæ Nota, nimirùm Sanctitas probatur ex Scripturis.

Una eſt Columba mea, Perfecta mea. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, Pulchra ut Luna, Electa ut Cant. 6. *Sol? Viri diligite Uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea; ut illam ſanctificaret, mun-* Ephes. 5. *dans eam lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipſe ſibi*

glorioſam

glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi; ſed ut ſit Sancta & Immaculata. Et ego Ioannes vidi ſanctam Civitatem Ieruſalem novam deſcendentem de Cælo à Deo paratam. Apoc.21.

Uſi ſunt eodem ſigno vetuſtiſſimi Patres *Iuſtinus*, *Tertullianus* & alii in Apologeticis ſuis. Verùm quum non deſint, qui & hanc ipſam Notam ita effugere velint; ut dicant eam demum eſſe *Eccleſiam Sanctam*, in qua omnes Sancti ſint, in qua nemo peccet: qualem quum nullam reperiant, inde fit ut omnes contemnant, ab omnium juriſdictione ſe ſubſtrahant, nulli parêre velint, nullique Cœtui adjungi, ſub nullius leges aut jura abire: Eam denique ſibi confingant Eccleſiam quæ nuſquam ſit; ut ſuo vivant arbitrio, nullo Religionis debito obligentur, neminem metuant, & omnium jura ac judicia effugiant; idcircò quis ſit hujus Notæ ſenſus, paucis explicandum eſt.

Illa igitur Eccleſia dicitur *Sancta*, quæ talis eſt in Doctrina, in Moribus, in Majeſtate & Firmitate ſuâ, invictoque robore ac ſtabilitate.

Sancta eſt in Doctrina, quia nullâ unquam Hæreſi dogmata ſua contaminavit. Non Ebionis, non Manichæi, non Marcionis, non Valentini, non Eunomii, non Arii, non Macedonii, non Sabellii, non aliorum denique veterum Hæreticorum errorem ullum ſecuta eſt. Hoc enim ipſum eſt quod prædixit Propheta; *Vir pollutus non tranſibit per eam.* Addo non ſolùm ullâ Hæreſi ſeſe unquam contaminaſſe: ſed ne principia quidem aut fundamenta ſuæ doctrinæ talia habuiſſe ulla, ex quibus aliqua Hæreſis exoriri aut pullulare poſſit. Quanquam enim ſive *Lutherana* Secta, ſive *Zuingliana*, ſive *Calviniana*, neque Ebionis, neque Arii, neque Macedonii, neque Apollinaris Hæreſes ſecuta videatur: ea tamen habet doctrinæ ſuæ principia, ea fundamenta, quibus ſtantibus, non modò Arii aut Macedonii errores vel furores in ea renaſci ac denuò germinare neceſſe ſit: verumetiam omnes alias

Hæreſes,

Digitized by Google

Hæreſes, quæ aliquando Chriſtianum Orbem concuſſerunt. Ejuſmodi principia ſunt ſequentia; videlicet, *Nihil recipiendum eſſe præter ea quæ in Verbo Dei Scripto clarè & expreſſè reperiuntur. Privatum ſenſum cujuſque in Scripturarum interpretatione ſequendum eſſe. Antiquiorum Conciliorum aut Synodorum, vel parvam vel nullam omninò habendam eſſe rationem. Sanctos Patres nihili faciendos. Libertatem decernendi de Fide, penès omnes æqualem eſſe. Magiſtratus ſpirituales in Fide ac Moribus nullam coercendi poteſtatem habere. Omnes paſſim Sacerdotes, Doctores, Magiſtros & Interpretes eſſe.* Hæc & alia ejuſcemodi, talia ſunt principia, tales plantæ, in quibus tanquam in ſeminibus vel radicibus omnes Hæreſes contineantur; nec priùs renaſci deſinant, quàm eædem infauſtiſſimæ radices funditùs extirpentur.

Sancta eſt etiam *in Doctrina*, quòd omnem ſanctitatem vitæque innocentiam complectatur: quòd virtutem bonaque opera omni ex parte commendet ac inſtillet: quòd ad ſpiritus & mentis puritatem omnia revocet; carni & ſanguini non acquieſcat, licentiæ & libidini feneſtras non aperiat: quòd nihil crudele, nihil inhumanum, nihil enorme, nihil cum licentia conjunctum doceat: nihil fœdum & flagitioſum tradat. Cujus *lex immaculata, convertens animas, & ſapientiam præſtans parvulis.* Virtuti debitam mercedem non aufert. Juſtum in omni opere bono peccare non aſſerit. Imputatitiam fictitiamque juſtitiam non admittit. Clauſtra pudoris & virginitatis non ſolvit. Deo ſacratos homines mulieréſve Monaſteriis non educit. Vota ſeu promiſſiones Deo factas violari non permittit. Liberum Arbitrium, quo homines ſumus, & Dei Imaginem repræſentamus, non interimit: prout à prætenta Lutherana, Zuingliana, Calviniana Eccleſia doceri fierique notiſſimum ac manifeſtiſſimum eſt.

His adde Eccleſiæ conatum ſtudiumque, quo omnes ſibi ſubditos, & quorum curam maternâ ſollicitudine gerit (pro cujuſque conditione) nititur Sanctos & perfectos uni exhibere Chriſto, legibus ac inſtitutis ſaluberrimis

rimis imbuere & regere, diſciplinæ ſeveritate à vitiis cohibere, Confeſſione Sacramentali expiare, pœnis ac cenſuris refrænare & contumaciam elidere, Sanctorum exemplis provocare, & ad frugem meliorem reducere, Sacramentorum communicatione adjuvare & erigere, jejuniis ac abſtinentiis macerare & edomare: omnibus denique mediis ad perfectionem congruis excitare, accendere & quodammodò compellere.

Neque irritus eſt ejuſmodi conatus, Deo per gratiam ſuam favente & aſpirante. Habet enim Eccleſia ex omni tribu & gente & lingua, & ordine ac conditione ſanctos & perfectos. Quorum ſanctitatem non fallax vulgi judicium; ſed Deus ipſemet certiſſimus Judex per univerſum orbem univerſaque tempora, variis ſignis & miraculis teſtatam ac confirmatam eſſe voluit. Quorum probitatem & vitæ integritatem latere noluit. Quorum oſſa ac cineres ipſos ſine honore eſſe non permiſit.

Sancta eſt igitur Eccleſia in Fide Sancta, in vita & moribus Sanctis. Sed Sancta etiam Majeſtate, dignitate, ac invictâ quâdam ſtabilitate & robore ſuo. Cujus virtuti univerſa mundi ſapientia ceſſit; ad quam orbis eloquentia obmutuit, contra quam Portæ ipſæ Inferi, hoc eſt, tot Hæreſeon & Schiſmatum agmina prævalêre non potuerunt. Quam nemo violare, nemo extinguere, nemo ſuperare unquam valuit. Sub cujus jugum tota mundi poteſtas abiit. Cujus fundatoribus & Principibus promiſſum eſt ac etiam præſtitum: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes Adverſarii veſtri.* Eccleſiæ aciem perrumpere conati ſunt Ethnici, omni ſuppliciorum genere in pios graſſando. Conati ſunt & Tyranni, libertatem eripiendo. Conati ſunt falſi Fratres, charitatem extinguendo. Conati Judæi, Fidem impugnando. Conati Schiſmatici, obedientiam tollendo, & Unitatem ſcindendo. Conati ſunt denique Hæretici, Scripturas adulterando, & pravè interpretando. Sed Eccleſia hæc omnia vicit, fudit fugavitque. Vicit Eth-

nicos, vitam pro Fide cum ſanguine profundendo. Vicit Tyrannos, in Deo ſpem ac fiduciam omnem collocando, & pro perſecutoribus ſuis orando. Vicit Schiſmaticos, ordinem retinendo, & unius ductum ſequendo. Vicit Judæos & Hæreticos, verum Scripturarum ſenſum ab illis quidem non intellectum; ab his autem perversè detortum aperiendo, nihilque eis unquam concedendo. Denique omnibus (à quibus impugnabatur) uſa eſt potiùs ad profectus ſuos & ad correctionem ſuam, quàm ad labefactionem ullam.

Quæ autem talis ſit Eccleſia, utrùm Romana; an verò Lutherana, Zuingliana, Calviniana, Anabaptiſtica & ejuſmodi? quiſque judicet, quiſque pro ſuâ ſtatuat conſcientiâ: ubi enim res ipſa loquitur, verbis nihil opus eſt.

Quod ſpectat ad Adverſarios noſtros, veriſſimum eſt & compertiſſimum, illos noviſſimis hiſce temporibus nihil aſſeruiſſe, quod prioribus ſæculis ab aliquo damnato Hæretico aſſertum non fuerit. Bona opera mercede Juſtitiæ & ſalutis carere docent Lutherani & Calviniani. Docuit hoc ipſum *Cherintus*, docuit *Simon Magus*. Sanctos invocandos, eorumque Reliquias eſſe venerandas negant iidem Lutherani & Calviniani. Hoc etiam negavit *Vigilantius* Hæreſiarcha, quem S. Hieronymus confutavit. Abrogant Fidē de Purgatorio. Abrogavit & *Aërius* peſſimus Hæreticus. Non agnoſcunt veram realemque præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſed acerrimè impugnant ſaltem Zuingliani & Calviniani. Hoc ipſum fecit *Iudas Iſcariotes* teſte S. Chryſoſtomo: hoc fecit *Manichæus*, hoc & *Berengarius*. Adorationem Chriſti Domini in Euchariſtia idololatricam eſſe aſſerunt. Aſſeruit etiam impius *Neſtorius*. Confringunt imagines & è templis auferunt. Confregerunt *Iconomachi*, & è templis ſuſtulerunt. Improbant Cæremonias Rituſque Sacros. Improbavit & *Iovinianus*.

Si de morum ſanctitate agitur, quænam tandem eſſe poterit in illis prætentis Eccleſiis, in quibus nec jejunia ſunt,

Digitized by Google

ſunt, nec abſtinentiæ, nec mortificationes, nec corporis caſtigationes, neque Confeſſiones Sacramentales, neque ſatisfactiones, neque ullorum verorum Sacramentorum (dempto Baptiſmo) participationes? Ubi Miniſtri ſeu prætenti Paſtores ex *Clericis* fiunt *Vxorati* & ex *Monachis Conjuges*. Ex qua diſciplina, qui mores, quis profectus, quæ ſtudia emanarint; audiant Eraſmum Roterodamum magnum alioqui virum, ſed à prætentis Reformatoribus non averſum: ita ut vulgò jactatum fuerit; *Aut Lutherus Eraſmizat, aut Eraſmus Lutherizat. Eraſmus ponit ova: Lutherus excludit pullos.*

Audiant, inquam, Eraſmum in Epiſtola contra Pſeudo-Evangelicos: *Strennè*, inquit, *clamatis in luxum Sacerdotum, in ambitionem Epiſcoporum, in Tyrannidem Romani Pontificis, in garrulitatem Sophiſtarum, in Preces, Iejunia, Miſſas: nec iſta purgari vultis ſed tolli. Nec omnino quidquam in receptis placet; ſed zizaniam evellitis cum tritico, aut ut meliùs dicam, triticum evellitis pro zizania. At quid interim nobis profertis melius, & Evangelio digniùs, ut ab aſſuetis recedamus? Circumſpice populum iſtum Evangelicum & obſerva, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciunt hi quos deteſtamini? Profer mihi quem iſtud Evangelium ex commeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum? Ego tibi multos oſtendam quî facti ſunt ſeipſis deteriores. Nunquam eorum Eccleſias ſum ingreſſus; ſed aliquando vidi redeuntes à Concione veluti malo ſpiritu afflatos, vultibus iracundiam ac ferociam miram præferentibus. Sic opinor diſcedunt milites à Concione Ducis, ad prælium exhortati. Quis unquam vidit in eorum Concionibus quemquam fundentem lacrymas, tundentem pectus, aut ingemiſcentem?*

Alibi idem Eraſmus ſic ſcribit: *Iſte populus tam Evangelicus, etiam Turcarum Principi deteſtabilis* (quem ait ſeditioni natum) *quos ſubinde tumultus excitat? Quoties levibus de cauſis procurrit ad arma? Ne ſuis quidem Eccleſiaſtis ſatis obtemperans, niſi dicant blanda auribus: profligandi etiam, ſi li-*

berius in vitam eorum invehantur, aut ab opinione diſſentiant. Initio tantùm non Deus erat illis Lutherus: nunc iiſdem prorſus delirat; quod novum de Euchariſtia dogma non recipiat. Nova verò libertas Evangelica eſt, impunè facere & ſentire quod cuique libitum eſt. Hæc Eraſmus.

At verò ipſemet Patriarcha Lutherus diſſimulare omnino non potuit aut abſtinere, quin de prætento grege operâ ſuâ reformato judicium ſuum proferret. Nam in Poſtilla minori ſuper Dominicam primam Adventus, & in Caput ſextum ad Galatas: *Res in medio eſt*, inquit, *nunc majorem avaritiam, crudelitatem, libidinis audaciam, improbitatem eſſe; quàm ante ſub Papatu hæc fuerunt.* Et in Caput vigeſimum tertium Geneſeos, dicit *Germaniam ſuam poſt novum Evangelium tantùm non obſeſſam videri à Diabolo.* Egregia ſanè Reformatio! Sed quid ſanctum, quid honeſtum, quid perfectum expectari potuit ab illo prætento Reformatore, qui & ipſe *primam Fidem irritam fecit, damnationem ſibi acquirens*; & aliis licentiæ vexillum præferens? Ità ut quantumvis cætera ſua tueri valeret, hoc tamen nunquam obtineret; *ut ſe perjurum non eſſe*, probare poſſet. Ex tota autem (quæ à Luthero profluxit) colluvie, quem nobis demonſtrabunt Adverſarii noſtri qui integritatis ſuæ cælitùs teſtimonium ullum acceperit? Qui vel minimum Dæmonium ejecerit? Qui *ſuper ægrum aliquem manus impoſuerit, & ille meliùs inde habuerit*? Qui Fidei ſuæ ac devotionis & pietatis merito à mortuis quempiam excitarit? At ne id quidem curant ut aliquem talem habeant. Res per ſe clara eſt, nec ulterioribus verbis indiget.

SECTIO III.

De Catholiciſmo ſeu diffuſione Eccleſiæ.

TErtia veræ Eccleſiæ Nota eſt, quòd ſit *Catholica* ſive diffuſa per totum orbem terrarum & per omnia tempora. Quam quidem Notam maximè ex omnibus commendat ac celebrat Scriptura Sacra. Hâc etiam univerſa Antiquitas

Digitized by Google

Antiquitas limites ejuſdem veræ Eccleſiæ contra omnes Hæreticos, ampliſſimè ſemper tutata eſt. Reverà talis quærenda eſt Eccleſia, qualis primis Patriarchis promiſſa eſt; qualem Sancti Prophetæ adumbrarunt; qualem denique Chriſtus ipſe ejus Fundator futuram eſſe prædixit.

Primò itaque talis ſtatus Eccleſiæ promittitur Abrahæ: *Benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cæli; & veluti arenam quæ eſt in littore maris. Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ.* Idem ipſum pollicitus eſt Gen. 22.
Deus Iſaaco; *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ.* Gen. 26.
Et hoc etiam promiſit Patriarchæ Jacob: *Dilataberis ad* Gen. 28.
Orientem & Occidentem & Septentrionem & Meridiem; & benedicentur in te & ſemine tuo omnes Tribus terræ. Diffuſio illa Eccleſiæ prædicta eſt in Prophetiis. *David* Pſalm. 2. item 18. 21. 71. & 79. *Iſaiæ* 54. & 60. *Danielis* 2. *Michea* 2, *Zachariæ* 9. *Malachiæ* 1.

Talem denique Eccleſiam deſignavit ipſe Chriſtus Dominus Marci 16. ubi dixit: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Et ſubditur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique.* Item Actorum 1. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæâ & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ.* Lucæ vigeſimo quarto, *oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes.* Reflecte ad *Methodum Converſivam* ſupra, à paginâ 227. ad paginam 238. ubi proponitur *Auguſtiniana praxis circa Donatiſtas Hæreticos.*

Nec mihi vacat, nec lubet (dum brevitati conſulo) Antiquiores Patres in medium proferre: nam eorum teſtimonia congerere & cumulare, nimiæ prolixitatis negotium foret. Legatur *Sanctus Irenæus* libro primo adverſùs Hæreſes capite ſecundo & tertio. *Tertullianus* libro contra Judæos, & *de Præſcriptione* contra Hæreticos. *Hieronymus* adverſùs Luciferianos, & ad *Damaſum* Papam. *Auguſtinus* tum contra Epiſtolam Fundamenti, tum in omnibus Tractatibus adverſùs *Donatiſtas*, *Rogatiſtas*, &

Maximianiſtas. Item *Pacianus* ad Sympronianum Novatianum. Quorum quidem & aliorum plurimorum verba ac ſententias referre ſuperſedeo; quia illicò objicient convicti ac revicti Adverſarii, ſe nihil ejuſcemodi Patres morari, quandoquidem homines fuerint, adeoque fallibiles. Adversùs tamen Auguſtinum non habent quòd excipiant Calviniani, quum *Calvinus* ipſe libro ſecundo Inſtitutionum nominatim eximat eundem *Auguſtinum* à numero Sanctorum Patrum errantium.

Ne tamen *hanc Notam* (quâ tantoperè urgentur & comprimuntur) variis interpretationibus declinent, ſicuti ordinariè ſolent: paucis explicandum eſt, quo ſenſu vera Chriſti Eccleſia dicatur CATHOLICA.

Primò itaque non ita intelligimus *Catholicam* ſeu univerſalem Eccleſiam, ut omnes omninò homines, & quicumque & ubicumque ſint, contineat; aut nullæ prorſus unquam Hæreſes, nulla Schiſmata eſſe debeant; *Oportet enim Hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*; aliàs hâc Notâ nihil opus eſſet, quâ diſcerni poſſet ab aliis Cœtibus non Catholicis: ſed ſub *Catholicæ* nomine illam Eccleſiam intelligimus, quæ *ubique eſt, ſemper fuit & eſt, ac inter omnes reperitur*. Ita exponit Sanctus Vincentius Lirinenſis in *Commonitorio*.

1. Cor. 11

Hinc illa eſt verè *Catholica Eccleſia*, quæ *ubique eſt*. Non Genevæ duntaxat, non Wittembergæ, non in ſolo Septemtrione, non in ſola Batavia & Anglia, non in Helvetiis tantùm: ſed ubique terrarum ita invenitur, ut nulla pars Mundi ſit, nulla Natio, nulla Gens, in qua aliquam ejus portionem non reperias. Ita ut in aliis quidem partibus plura ejus membra ſint, in aliis pauciora, ubique tamen ſemen hoc benedictum ſparſum creſcat, floreat & fructificet. Hoc enim eſt quod dicitur: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non ſunt loquelæ neque ſermones quorum non audiantur voces eorum. Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te Domine. Redemiſti nos Deus in Sanguine tuo ex omni Tribu*

Pſal. 18. Pſal. 85. Apoc. 5.

Digitized by Google

Tribu & lingua & populo & Natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum.

Ut igitur illa eſt Catholica Eccleſia, quæ ubique eſt, in omni Mundi parte, in omni Gente & Natione: ita ille Catholicus, qui Orbis terræ conſenſum ſequitur; qui huic ſenſui non hominis cujuſpiam, puta *Lutheri*, aut *Zuinglii*, aut *Calvini*, aut *Munceri* authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non doctrinam anteponit: ſed hæc cuncta deſpiciens, Orbis terrarum conſenſum ubique in omnibus ſequitur. Neque enim uni cuipiam & ſoli dictum eſt, *Mittam TIBI Spiritum; docebit TE omnem Veritatem: ſed mittam VOBIS; docebit VOS.* Ioan. 16.

Item Catholica eſt, quæ SEMPER eſt: non quæ decimo ſexto ſæculo *Wittemberga* apud Saxones, aut apud *Tigurinos* in Helvetia, aut *Geneva* apud Allobroges exorta fuerit: ſed quæ à principio per omnes decurſus temporum progreſſa, ad noſtram uſque pervenerit ætatem. Ita enim dictum eſt à Domino: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*; & ab Apoſtolo ipſius, *Quotieſcumque manducabitis panem hunc & Calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis DONEC VENIAT.* Ut autem Eccleſia illa eſt *Catholica*, quæ ſemper eſt: ita ille *Catholicus* qui hoc credit, hoc ſequitur, quod ſemper creditum eſt, & quod ſemper Fideles ſunt ſecuti. Mat. ult. 1. Cor. 11

Si quæras quî fieri poſſit ut id quod ſemper in Eccleſia fuit creditum, & credamus & ſequamur; quandoquidem homines mortui ſint & quotidie moriantur? Reſpondeo ita quidem eſſe, quod ii qui ſæculum noſtrum anteceſſerunt utpote mortales, mortui ſunt, vel potiùs ad longè meliorem vitam tranſlati: fides tamen & ſenſus illorum vivit adhuc vigetque; non in Locis Communibus *Philippi Melanchtonis*, non in *Calvini* Inſtitutionibus. Ubi ergo inquies? Dico, in Conciliorum Libris ſeu Codicibus: in Scriptis ac Commentariis antiquorum Patrum, qui quod de ſingulis rebus ſentiebat Eccleſia tempore ipſorum, & quod ipſimet credebant ac docebant, literis con-

ſignarunt & poſteris reliquerunt; Adde uſu ipſo, & praxi ac more, item Juribus publicis, Legibus, Tabulis, Templis, Statuis, Fundationibus & Dotationibus, Tumulis, Epitaphiis, aliiſque Monimentis antiquiſſimis conſtare nobis de illorum qui nos præceſſerunt, tum Fide tum Doctrinâ. Sed hæc videre nolunt Adverſarii noſtri, nec ad ea reflectere. Imò vetera omnia extingui volunt. Nova & recens confićta pro veteribus obtrudunt. Fidem Catholicam, quæ tanto eruditionis & antiquitatis apparatu opus habet, à Sutoribus quibuſdam vel Nautis, vel Aurigis, vel etiam Mulierculis ediſcendam proponunt. Et tamen quum in denſiſſimis errorum tenebris, & in Hæreſeon ac impietatum circuitu ambulent, putant ſe ſolos videre & in clariſſima luce verſari.

Concludamus tandem illam veram eſſe Eccleſiam quæ *Catholica* ſit: *Catholicam* autem eſſe, quæ ubique, quæ ſemper, quæ inter omnes & viguit & viget; ac poſtremò quæ Catholicum nomen hoc eſt SECUNDÙM TOTUM jure meritiſſimo poſſidet. Ut (quemadmodùm rectiſſimè notavit Auguſtinus) *quærenti peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum aut Baſilicam ſuam aut Domum audeat oſtendere.* Quia nimirùm ſibiipſis conſcii ſunt ſe non eſſe *Catholicos*, ſive SECUNDÙM TOTUM; ſed de *parte Lutheri*, de *parte Zuinglii*, de *parte Calvini*, de *parte*
Pſal. 79. *Munceri.* Non ſunt palmites Vitis illius, quæ *propagines ſuas uſque ad terminos Terræ protendit; cujus umbra operit Montes, & arbuſta ejus Cedros Libani*: ſed ſunt ſarmenta quædam inutilia, amputata, arida, emortua; & niſi Viti (à cujus Unitate ſeſe præciderunt) reinſerantur, nihil aliud
Ioan. 15. ipſis reliquum eſt, quàm ut *colligantur* & in ignem mittantur.

SECTIO IV.
Vera Chriſti Domini Eccleſia eſt Apoſtolica.

Mat. 16. PRobatur ex Scripturis: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Digitized by Google

Item; *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV.* Epheſ. 4.

Item, *Vt ſapiens artifex fundamentum jeci; alius ſuperædificavit.* 1. Cor. 3.

Denique, *Veni & oſtendam tibi Sponſam Vxorem Agni & oſtendit mihi Civitatem Sanctam, &c. Murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* Apoc. 21.

Ad hanc tanquam ſacram Anchoram confugerunt Sancti Patres Antiqui. Hanc notam omnibus Infidelium machinis & arietibus oppoſuerunt. Hoc telo univerſas *Gnoſticorum* copias confodit Tertullianus. Hujuſmodi argumento *Novatianos* coarguit *Cyprianus, libro primo, capite ſexto.* In hoc Azylum ſeſe recepit *Hieronymus* adversùs tot Orientis Sectas diſſectas, ut ipſemet indicat, *Epiſtolâ ad Damaſum, & in Dialog. contra Luciferianos.* Hoc laqueo *Parmenianum & Donatiſtas* præfocavit *Optatus Milevitanus* libro ſecundo. Succeſſionis illius cōſideratione, quaſi arctiſſimo quodam vinculo, & fortiſſimis repagulis ſe retentum & conſervatum in Eccleſiæ Catholicæ gremio fatetur *Auguſtinus* libro contra Epiſtolam *Manichæi*, capite quarto. In Pſalmo contra Partem Donati. In Epiſtolis 163. & 165. In libro de Utilitate credendi capite 17. & 49. In libro Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti, quæſtione primâ, & contra Literas Petiliani libro ſecundo, capite quinquageſimo primo.

Denique Religioſi Imperatores *Gratianus* & *Theodoſius*, hâc Notâ populis ſibi à Deo creditis veram Eccleſiam commonſtrant. *Cunctos populos* (inquiunt) *quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione verſari, quam Divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe ROMANIS, Religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat: quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, &c. Hanc Legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti. Reliquos verò dementes veſanosque judicantes; Hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere Divinâ primùm vindictâ: poſt etiam motus animi noſtri (quem*

Digitized by Google

ex cæleſti arbitrio ſumpſerimus) *ultione plectendos.*

Illa igitur Apostolica Eccleſia eſt, quam ipſi fundarunt Apoſtoli. *Vt bonus artifex*(inquit Paulus)*fundamenta jeci; alius autem ſuper-ædificavit.* Quomodò Romanam quidem Petrus, Aſianam Joannes, Perſicam Simon & Judas, Indicam Thomas & Barthôlomæus, Ætiophicam Matthæus, Achäicam Andreas, & alii alias. Deinde Apostolica eſt, quæ non partem aliquam duntaxat Apoſtolicæ Doctrinæ; ſed univerſam doctrinam Apoſtolorũ complexa eſt, & ab ea ne latum quidem unguem diſcedit: *Quid ſi nec Apoſtoli Scripturas reliquiſſent nobis* (ait Irenæus libro tertio, capitequarto) *nonnè oportet ſequi ordinem Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias*? Denique illa dicitur Apostolica Eccleſia, in cujus Cathedrâ aliquando Apoſtoli ipſi conſederunt, & quæ ab iis continuam & perpetuam Antiſtitum ac Paſtorum ſucceſſionem uſque in hodiernam diem conſervavit. Præcipuè tamen & peculiariter, ac quaſi per excellentiam quandam, illa Apostolica dicta eſt ſemper Eccleſia, quam ipſi Principes Apoſtolorum *Petrus & Paulus* fundarunt: idque vel propter Apoſtolorum dignitatem, vel propter præcipuum Chriſti Domini promiſſum, Petro quidem, *Ego pro te oravi Petre ut non deficiat Fides tua*: Paulo autem, *Elegi eum mihi ut ſit vas electionis, ut portet nomen meum coram Gentibus.* Vel certè propterea quod aliis ob varias Hæreſes atque Schiſmata vel errores deficientibus, hæc ſola perpetuò durare debuit. Itaque ſola peculiari quodam modo ab omnibus veteribus Sedes Apostolica dicta eſt. Ad illam ſolam aliæ provocarunt ſemper. Illius ſolius ſucceſſionem demonſtrarunt: quod infrà ſpecialiùs oſtendemus.

Si quis longè plura, & copioſiùs circa hanc materiam diſputata, ac ſolidiſſimis rationibus aſſerta videre volet, Eximii ac Eruditiſſimi Domini *Staniſlai Socolovii* libros tres, *de veræ & falſæ Eccleſiæ diſcrimine* legat. Editi ſunt *Ingolſtadii in Bavaria* apud Volfangum Edirum anno 1584.

1584. & Sereniſſimo *Stephano* Poloniæ Regi nuncupati. Quos quidem libros, in haſce quatuor *Sectiones* breviter collegi, & compendiosè concinnavi. quia fortaſſis exemplaria Authoris non ita obviè occurrent Lectoribus Controverſiarum ſtudioſis. Ibi etiam diſertè explicat idem Author viginti veræ Eccleſiæ inſignia.

Primum eſt, *Sancti Spiritus præſentia.*

Secundum, *Convenientia & Conſenſus ipſius veræ Eccleſiæ, ad ſpecies & figuras quibus Scriptura Sacra illam adumbrat.*

Tertium inſigne, *Eſt Obedientia ad Legem primam, ſeu ad Legem naturæ.*

Quartum, *Vbertas donorum Spiritus Sancti.*

Quintum, *Incorrupta per omne tempus, Chriſtianæ Religionis Fundamentorum & Documentorum Conſervatio.*

Sextum, *Veri Cultus Divini perpetua continuatio.*

Septimum inſigne, *Eſt Ordo à Chriſto Domino ejusque Apoſtolis deſignatus & incboatus, uſque ad hanc ætatem integer conſervatus.*

Octavum, *Communionis Sanctorum Senſus & Conſenſus.*

Nonum inſigne, *Virtus Miraculorum.*

Decimum, *Lumen & Veritas Prophetiæ.*

Undecimum, *Præſens ubique & perenne Dei auxilium.*

Duodecimum, *Oportuna & ſalutaris correctio, ac ſubinde depreſſio*

Decimum tertium, *Perpetuus profectus in melius.*

Decimum quartum inſigne eſt, *Quòd Novi-*

tatem

Digitized by Google

tatem omnem ſuſpectam habeat & fugiat; Venerandæ autem Antiquitati in omnibus & per omnia adhæreat.

Decimum quintum, *Quòd ad extrema non vergat; ſed medio tutiſsima incedat & pergat.*

Decimum ſextum, *Perpetua adversùs eam Hæreticorum ac Schiſmaticorum omnium odia, bella & impugnationes.*

Decimum ſeptimum inſigne, *Quòd ſit Columna & Firmamentum Veritatis, & ultimò tandem Hæretici ad eam provocent ac redeant poſt circuitus ſuos.*

Decimum octavum, *Quòd Deus ordinaverit ex ejus ore audire Gentes Evangelium & credere.*

Decimum nonum, *Eccleſiarum præteriti præſentisque temporis veriſsima teſtimonia.*

Vigeſimum, *Apoſtaſiæ ſeu defectionis ab ea, tum publicè tum privatim præſentiſsima Dei vindicta.*

Hæc veræ Chriſti Eccleſiæ ac Sponſæ inſignia profert ſupra memoratus *Socolovius*, Sereniſſimi Poloniæ Regis Theologus. Quæ quidem notatu digniſſima ſunt; ſed mihi in Italiam ad Comitia noſtra Generalia abeunti, & hujuſce lucubratiunculæ causâ plus juſtò fortaſſis iter differenti; adeòque ad finem anhelanti, illa eadem inſignia explicatiùs proponere, & propoſitæ brevitatis metas excurrere ac tranſcurrere minimè vacat.

OPPOSITIO HÆRETICA.

Præmemoratas veræ Chriſti Eccleſiæ Notas, in Symbolo expreſſas, ab Antiquis Sanctis Patribus tam frequenter uſurpatas & inculcatas, prorsùs reſpuunt Lutherani

rani & Calviniani; utpotè qui apertiſſimè videant Synagogas ſuas iis deſtitui: adeòque alias ſupponunt & ſubſtituunt, videlicet *puram ſanamque Evangelii doctrinam, & rectum Sacramentorum uſum.*

Proteſtamur (inquiunt prætenti Reformatores) *quòd ubi Verbum Dei non recipitur, nullaque ſit profeſſio ſeſe ei ſubmittendi & ubi nullus eſt Sacramentorum uſus: propriè loquendo judicari non poſſit ullam ibi eſſe Eccleſiam. Quocirca* (pergunt) *Cœtus Papiſticos condemnamus; quandoquidem pura Dei Veritas inde proſcripta ſit, & in iis Sacramenta, corrupta, adulterata, falſificata, aut prorſus ad nihilum redacta.* Confeſſ. Reform. Artic. 28.

Reſpondeo primò, in Scripturis Sacris quas tantoperè jactitant & oſtentant Adverſarii noſtri, nullibi legi quòd Notæ illæ ab ipſis poſitæ, ſint veræ Chriſti Eccleſiæ proprietates, quibus ab aliâ quacumque diſcerni poſſit.

Reſpondeo ſecundò, à nullis Conciliis, à nullis Sanctis Patribus quinque priorum ac puriorum Eccleſiæ ſæculorum has eaſdem Notas (quas ſtatuunt Calviniani) recenſeri vel deſignari ad dignoſcendam demonſtrandamque veram Chriſti Eccleſiam, & eam à quibuſvis aliis Congregationibus diſtinguendam.

Reſpondeo tertiò non eſſe quæſtionem *an vera puraque Evangelii doctrina, veruſque & rectus Sacramentorum uſus competat vera Chriſti Eccleſiæ?* Hoc enim nemo negat: ſed præciſè controvertitur, an *hæc ſint ſigna, indicia & Notæ?* Quæ quidem naturâ ſuâ debent eſſe evidentes, perſpectæ & cognitæ, non ſolummodò doctis & eruditis; verum etiam rudibus & idiotis; imò multò magis his, qui propter ingenii imbecillitatem intima rerum penetralia ingredi non valent; quàm illis quibus demonſtrationes & argumenta comparata ſunt. Quum igitur Notæ, Signa vel Indicia veræ Chriſti Eccleſiæ quæruntur, certè talia quæruntur, quæ eam omnibus demonſtrent, ac veluti digito indicent, & per quæ non iis tantùm qui Chriſtianum nomen profitentur; ſed etiam Ethnicis, Judæis, Mahometanis aliiſque Infidelibus innoteſcere poſſit, ſi

ſi quando ad eam accedere, in ejus ſinum recipi, ac in leges concedere voluerint. Talia denique ſigna eſſe debent, quæ omnibus ſint expoſita & qualia ſunt acierum vexilla, Civitatum inſignia, Regum ſigilla.

At verò quænam veræ Chriſti Eccleſiæ ſigna nobis obtrudunt Calviniani? Ea certè quæ ſi quis adhibere voluerit, in vitioſiſſimum circulum incidat, neceſſe eſt. Quæro enim à prætento aliquo Reformato, *ubinam eſt vera Chriſti Eccleſia*? Quid ille reſpondere aliud poterit juxta principia ſua, quàm *eam ibi eſſe, ubi vera puraque Evangelii doctrina, & verus rectusque Sacramentorum uſus reperitur*? Peto jam, *ubinam vera puraque Evangelii doctrina, verusque & rectus Sacramentorum uſus reperiatur*? Quid ille dicere poterit, niſi *ibi reperiri, ubi eſt vera Chriſti Eccleſia*? Eo planè modo, quo quærerem ab ipſo: *Ubi eſt domus tua*? Et ille diceret, *illic eſt ubi habito.* Rurſus quærenti, *ubi habitas*? Reſponderet, *habito domi meæ.* Eat nunc quiſpiam, & ejuſcemodi jndicio eluſus potiùs quàm edoctus, quærat domum illam, ſi fortè eam poſſit deprehendere.

Reſpondeo denique, Eſto, demus ultro & ſupponamus, has quas ingerunt Calviniani, eſſe competẽtiſſimas veræ Chriſti Eccleſiæ Notas. Quid tandem inde convincent? Quid evincent? An fortaſſe iis ita notabunt, vel deſignabunt, vel manifeſtabunt ſuam prætentam Reformatam; ut nemo dubitaturus ſit illam eſſe veram, certam & unam Eccleſiam, veri Chriſti Sponſam? Sed antequam Cadmæi illi Fratres adoriantur Catholicos, curent ſemetipſos. Inteſtinum & pluſquàm civile inter ſe bellum ſopiant. Graviſſima diſſidia componant. Ante omnia perſuadeant *Lutheranis*, *Anabaptiſtis*, *Socinianis*, *Novis Arianis*, *Tremulis illis Anglicanis* (quos QUAKERIOS vocant) totque aliis Sectarum adverſarum & diverſarum Sectatoribus, ut ad Calviniſmum tranſeant. Quòd ſi obtinuerint, tunc Catholicos aggrediantur, & ipſis perſuadere conentur, *non eſſe puram ſanamque Evangelii Doctrinam, neque purum rectumque Sacramentorum uſum,*

qualis

qualis erat in Eccleſia tempore Beati Auguſtini(quemadmodùm ſupra in *viginti Seſſionibus*, à paginâ 116. uſque ad paginam 216. demonſtratum eſt) ſed eam demùm eſſe *puram ſanamque Evangelii doctrinam, purum rectumq; Sacramentorum uſum*, qualis à *Calvino, Vireto, Farello, Beza*, & ejuſmodi prætentis Reformatoribus, ſæculo decimo ſexto adinveniebatur, cudebatur, formabatur, & Orbi Chriſtiano obtrudebatur. Hoc (inquam) perſuadere conentur, ſed iis qui falli volunt, vel qui amant errare, delirare, inſanire, perire.

CAPVT VI.

POSITIO CATHOLICA

De Novæ Legis Sacramentis.

Septem ſunt verè & propriè Sacramenta Novæ Legis, à Jesu Chriſto Domino noſtro inſtituta; atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis) neceſſaria; ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema inunctio, Ordo & Matrimonium. Gratiam conferunt, & ex his Baptiſmus, Confirmatio & Ordo ſine ſacrilegio reïterari non poſſunt.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

CErtum eſt non legi expreſsè in Scripturis, *Septem ſunt Novæ Legis Sacramenta*, prout habet Fidei Catholicæ Profeſſio. Neque etiam legi, *duo ſunt duntaxat Sacramenta in Eccleſia Chriſtiana*, uti aſſerit Catechiſmus Genevenſis, Dominicâ quadrageſimâ octavâ, & prætentæ Fidei Reformatæ Confeſſio, articulo trigeſimo quinto.

Quòd

Quòd autem *Novæ Legis Sacramenta ſint à* JESU *Chriſto Domino noſtro inſtituta*, fatentur iidem Calviniani, in Catechiſmo & Dominicâ jam commemoratâ.

Deinde certum eſt non legi expreſsè in Scripturis, *Baptiſmus eſt Novæ Legis Sacramentum. Euchariſtia ſeu Cœna Domini eſt ejuſdem Legis Sacramentum.* Solummodò de *Matrimonio* habetur in Epiſtola ad Epheſios capite quinto, *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

Undénam igitur *Illyricani, Lutherani*, & *Calviniani Genevenſes*, duo illa ſola quæ admittunt Sacramenta: undénam tria ſua *Lipſenſes*, unde quatuor quæ agnoſcunt & recipiunt *Wittembergenſes* probabunt? Viderint illi, quorum hoc eſt fundamentale principium, ut nihil omninò credere velint, niſi clarè: manifeſtè, expreſsè legatur in Scripturis; quibus nihil addendum, nihil demendum, nihil in iis immutandum eſſe contendunt: adeòque hoc legere debent: *Novæ Legis Sacramenta ſunt duo*; aut illud, *Sacramenta ſunt tria*; aut iſtud, *Sacramenta ſunt quatuor.*

Saltem (inquies) undénam probabunt Catholici, *Septem eſſe Novæ Legis Sacramenta*?

Ad hoc dico. Commemorantur in Scripturis Miracula Chriſti Domini: neque tamen eædem Scripturæ expreſſis verbis aſſerunt, quot præcisè miracula vel ſigna ediderit: utrum centum aut ducenta, aut trecenta. Neque etiam ſpeciatim definiunt quid ſit miraculum, an opus præter, an contra, an ſupra rerum naturalium curſum, ordinem aut ordinariam ſeriem: & ſi ſupra naturalis cujuſvis agentis vires ſive potentiam, utrum ſit ſupernaturale *in ſubſtantia*, an *in modo* duntaxat, ut loquuntur Theologi. Legimus tamen miracula, *ut Socrus Petri liberationem à febri*, Lucæ quarto capite: quam quidem liberationem potuiſſet protervus aliquis & pervicax Judæus adſcribere cauſæ naturali. Ita legimus in iiſdem Scripturis, *Sacramenta*, hoc eſt, *Signa quædam ſenſibilia, à Chriſto Domino inſtituta, cum promiſſione gratiæ annexa.*

Primò

Digitized by Google

Primò quidem de Baptiſmo, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. Ite docete omnes Gentes, baptizantes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in Remiſſionem peccatorum.* Quod verò ad Cæremonias, ſeu ritus Baptiſmi attinet, vide quæ protuli ex *Auguſtino* ſupra in *Methodo Converſiva*, paginâ 143. & 144. Adde *Sanctum Baſilium*, in libro de Spiritu Sancto, capite vigeſimo ſeptimo, ubi ſic ait: *Conſecramus Aquam Baptiſmatis, & Oleum Vnctionis, & ipſum prætereа qui Baptiſmum accipit. Ex quibus ſcriptis? Nónne à tacita ſecretaque Traditione? Ipſam porrò Olei inunctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, unde eſt? Reliqua item quæ fiunt in Baptiſmo: veluti RENVNTIARE Satanæ & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nónne ex privata hac & arcana Traditione? Nónne ex hac Doctrina, quam Patres noſtri in ſilentio (quod curioſos & otioſos ſubmovet) ſervarunt?* De Baptiſmi Cæremoniis ſeu Ritibus, quos nunc adhibemus, agit *prima Synodus Conſtantinopolitana*, ante annos mille & trecentos, Canone ultimo. Item *S. Chryſoſtomus* in Sermone de Adam & Eva, *Optatus* libro quarto contra Donatiſtas, *S. Cyprianus* libro primo, Epiſtolâ duodecimâ, *Theophilus Antiochenus* libro primo ad *Antolycum*, *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione in Sanctum Baptiſma, *Arnobius* Commentariis in Pſalmum 4. 22. 82. 90. 132. & 134. *Ambroſius* libro primo de Sacramentis, capite primo & ſeptimo, *Hieronymus* contra Luciferianos & alii Sancti Patres, ſed potiſſimè *S. Auguſtinus* de Symbolo ad Catechumenos: libro ſecundo de peccato Originali, capite quarto; libro primo de Nuptiis & concupiſcentia, capite ſecundo, & libro ſecundo capite decimo octavo: libro primo contra Julianum capite ſecundo, & libro ſexto etiam capite 2. Quos quidem Sapientiſſimos, Sanctiſſimos & Vetuſtiſſimos Eccleſiæ Patres oppono Novellorum Reformatorum ſeu Deformatorum ſacrilegæ temeritati, qui in ſua prætenta forma adminiſtrationis Baptiſ-

Ioan. c. 3.

Matth. ultimo.

Act. 2. c.

mi, ita pronuntiant: *Scimus* (inquiunt) *alibi plurimas adhiberi Cæremonias, quas non negamus valdè antiquas fuiſſe; veruntamen non veriti fuimus eas abrogare & abolere, tum quia pro libitu aut ſaltem levi de cauſa excogitatæ fuerunt, tum quia ſine Verbo Dei prodierunt, multaque ſuperſtitiones inde emerſerunt.* Longè veriùs dixiſſent, *Non veriti fuimus eas planè abdicare (quantumvis antiquiſſimo uſu receptas non ignoremus) quia Novatores ſumus, & omnium antiquarum Obſervationum & rituum hoſtes juratiſſimi.*

Secundò, De *Confirmationis Sacramento* (ſic enim vocat S. Ambroſius, & poſt eum S. Leo & S. Gregorius Magnus: Græci verò *Obſignaculum*, alii *Signaculum*: Cyprianus & Auguſtinus *Chriſmatis Sacramentum nuncupant*) legimus hæc ſequentia: *Quum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolimis, quia recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui quum veniſſent, oraverunt pro ipſis, &c. Tunc* IMPONEBANT MANUS *ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Item, *Quum vidiſſet Simon* (Magus) *quia per* IMPOSITIONEM MANUS *Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit illis pecunias, dicens:* Date & mihi hanc poteſtatem; ut cuicumque IMPOSUERO MANUS, accipiat Spiritum Sanctum. Item *baptizati ſunt in nomine Domini IESV; & quum* IMPOSUISSET *illis* MANUS *Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos.*

Act. 8.

Ibid.

S. Hieronymus adversùs Luciferianos ita exponit: *Hæc eſt Eccleſiarum conſuetudo, ut ad eos qui longè in minoribus Vrbibus, per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Sancti Spiritus,* MANUM IMPOSITURUS *excurrat. Quòd ſi quæris quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem omnes aſſerimus in vero Baptiſmate tribui? Diſce hanc obſervationem ex ea authoritate deſcendere; quòd poſt Aſcenſum Domini, Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit: & multis in locis idem factitatum reperimus,* ut Actorum octavo capite.

Pari modo ex Scriptura Sacra, Confirmationis Sacramentum probat *Innocentius* Pontifex, tomo primo Conciliorum, paginâ ſexageſimâ nonâ, numero tertio.

Digitized by Google

His conſentánea apud *Euſebium* libro ſexto, capite quadrageſimo tertio, ſcribit *Cornelius* ad *Fabianum Novatum*, videlicet non eſſe perfectum Chriſtianum, qui poſt baptiſmum non fuerit ab Epiſcopo confirmatus. Antea autem *Clemens Romanus* in Epiſtola quarta ſic dixerat: *Omnibus ſine mora feſtinandum eſt renaſci Deo, & demum conſignari ab Epiſcopo: id eſt ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, quia incertus eſt uniuſcuiuſque terminus vitæ. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodùm ſeptiformi Spiritus gratiâ ab Epiſcopo (uti memoratum eſt) confirmatus: quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed incuriâ aut voluntate remanſerit: ut à Beato Petro accepimus, & cæteri Sancti Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt.*

Tertiò, De Sacroſancto *Eucharistiæ* Sacramento poſtea ſpecialiter agemus.

Quartò, De *Pœnitentia* ejuſque partibus legimus: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ioan. 20 *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Matt. 16 & 18. Item, *Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Act. 19.

Hunc poſtremum textum exponens S. Baſilius, Regulâ 88. Tom. 2. ſic ait: *Quoniam converſionis modus proprius debet eſſe Peccatoris, & neceſſe eſt ut fructus ferantur qui deceant Reſipiſcentiam; oportet ut iis fiat Confeſſio peccatorum, quibus diſpenſatio Myſteriorum Dei concredita eſt. Nam in Actis Apoſtolicis, à quibus baptizabantur, peccata ſua confeſſi ſunt omnes.* Tertullianus libro de Pœnitentia, *Actus Pœnitentiæ (ait) qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologeſis eſt, quâ delictum Domino confitemur; non quidem ut ignaro: ſed quatenus ſatisfactio Confeſſione diſponitur, ex Confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque Exomologeſis proſternendi & humiliandi hominis diſciplina eſt.* Ibidem commemorat *Satisfactiones pro peccatis, nimirùm jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari,*

mugire dies noctesque ad Dominum Deum, Præsbyteris advolvi, Aris adgeniculari. Harum etiam ſatisfactionum meminerunt Græci, ut *Dionyſius* ad Demophilum, *Origenes* in Pſalmum trigeſimum ſecundum, & *Euſebius* libro quinto Hiſtoriarum, capite vigeſimo ſeptimo, & libro ſexto, etiam capite 27. S. Cyprianus libro de Lapſis: *Videt Deus corda* (inquit) *& pectora ſingulorum, & judicaturus non tantùm de factis; ſed & de verbis & de cogitationibus noſtris, omnium mentes voluntateſque conceptas, in ipſis clauſi pectoris latebris intuetur. Denique quantò & Fide majore & timore meliores ſunt, quamvis nullo Sacrificii aut libelli facinore conſtricti; quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum* Apud Sacerdotes Dei dolenter et simpliciter Confitentes, *Exomologeſin Conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſciptum eſſe,* Deus non deridetur.

S. Auguſtinus libro quinquaginta Homiliarum, Homiliâ quadrageſimâ nonâ. *Agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago; apud Deum ago. Novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſâ dictum eſt,* Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cælo? *Ergo ſine cauſa* Claves datæ sunt *Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium? Fruſtramus Verba Chriſti?*

Non hic commemoro quæ attuli in *Methodo Converſiva*, à pagina 173. ad paginam 176. ne alibi dicta, repetam ſuperfluè.

Quintò, De *Sacramento Extremæ inunctionis*, legimus apertiſſimè in Epiſtola Beati Jacobi, capite quinto hæc verba: *Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum; ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Vides hîc ſignum ſenſibile, & gratiæ promiſſionem annexam. De inſtitutione autem à Chriſto Domino, nefas eſt dubitare. Non enim præſumpſiſſet tantus Apoſtolus aliquid Fidelibus tradere, quod ipſe à Domino non accepiſſet, qui cum Paulo Co-

Apoſtolo

Apoſtolo ſuo dicere poterat: *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis*: & quidem potiori jure; quia ille fuerat cum Domino in carne converſatus; hic autem non. Extremæ inunctionis meminerunt *Irenaus & Epiphanius* contra Gnoſticos, *Innocentius* Epiſtolâ ad Decentium Eugubinum, *Hieronymus* in vita Hilarionis, & *Bernardus* in vita Malachiæ Vide in *Methodo Converſiva* à pagina 177. ad paginam 180.

Sextò, De *Ordinis Sacramento* habemus manifeſta Scripturæ teſtimonia. Chriſtus enim inſufflavit in Diſcipulos, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Ubi & externa Cæremonia, & promiſſio remittendi peccata, & gratiæ Spiritus Sancti collatio perſpicuè cernitur. Monet Paulus Timotheum à ſe Ordinatum, *Vt reſuſcitet gratiam Dei, qua in ſe eſt per impoſitionem manuum* ejuſdem Apoſtoli. Alibi, *Noli* (inquit) *negligere gratiam qua eſt in te, qua data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Praſbyterii.* Item, *Manus citò nemini impoſueris.* Ioan. 20. 2. Tim. 1. 1. Tim. 4. & 5.

Concilium Carthaginenſe quartum, Canone tertio, ita ſtatuit: *Praſbyter quum Ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente; etiam omnes Praſbyteri qui praſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi, ſuper caput illius teneant.* Vide ſupra, paginâ 180. & 181.

Septimò denique, Quòd ad *Matrimonium* attinet, Contractum illum Civilem viri cum fœmina, propagandæ educandæque proli primitus & divinitus inſtitutum, evectum eſſe à Chriſto Domino in Sacramentum Novæ Legis, ſive in ſignum & ritum externum cui ſit annexa promiſſio gratiæ, probamus ex Scriptura, accedente Eccleſiæ Traditione. *Sacramentum hoc magnum eſt* (ait Apoſtolus) *ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Epheſ. 5.

Latinè Sacramentum hoc, Græcè Mysterium hoc, nimirum viri cum muliere conjunctio, tanto tamque arcto vinculo, ut ab homine diſſolvi nequeat, eſt ſignum conjunctionis nobilioris, videlicet Chriſti Domini cum

Eccleſia; non ſolùm per naturæ conformitatem (quomodo toti naturæ humanæ jungitur) ſed vel maximè ob charitatem ſpiritualem, quâ Eccleſiam uti Sponſam Sponſus complectitur. Talis autem tantæque conjunctionis ſignum eſſe non poſſet Matrimonium Chriſtianorum, niſi præter civilis contractus rationem, includeret etiam ſpiritualem animorum unionem, ac conſequenter gratiam, ſine qua non poteſt haberi illa unio. In Chriſtianis ergo Catholicisque conjugiis reperitur *externum ſignum à Chriſto Domino inſtitutum*, Matthæi decimo nono, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Reperitur etiam *annexa gratiæ promiſſio*, quam primæ ad Timotheum ſecundo diſtinctiùs exponit Apoſtolus; dum quatuor bona enumerat, contra totidem mala oppoſita, quæ citra gratiam evadi non poſſunt. *Salvabitur* (inquit) ſcilicet mulier fidelis *per filiorum generationem*: ſubaudi in ſtatu conjugali, quo filii procreantur; *ſi permanſerit in Fide, in dilectione, in ſanctificatione, in ſobrietate*. Harum enim præſidio virtutum (quarum gratiam accepit dum matrimonio jungeretur) tuta erit à *perfidia & infidelitate, ab odio & averſione, ab immunditia, & ab intemperantia*. Quæ quidem mala, recenſitis ab Apoſtolo bonis ex diametro repugnant.

18. OPPOSITIO HÆRETICA.

Prima, Scriptura Sacra nullibi *Sacramenti* nomen attribuit *Confirmationi*, neque etiam *Pœnitentiæ*, nec *Extremæ Inunctioni*, nec *Ordini*, nec *Matrimonio*: non ergo cenſeri debent inter Novæ Legis Sacramenta.

Reſpondeo, Scripturam nullibi dicere terminis expreſſis, quòd Baptiſmus & Cæna Dominica ſint Novæ Legis *Sacramenta*, cur ergo Lutherani & Calviniani hoc ipſis nomen attribuunt? Si dicant rem ipſam, hoc eſt naturam ſeu eſſentiam Sacramenti (qualis in Scriptura deſignatur) tam Baptiſmo quàm Cænæ Dominicæ competere, Hoc ipſum aſſerimus de *Confirmatione*, de *Pœnitentia*, de *Extremâ Inunctione*, *Ordine*, & *Matrimonio*, prout jam oſtendimus.

Digitized by Google

dimus. Et nobis apertiſſimè ſuffragantur uſus, praxis & conſuetudo Eccleſiæ; Sanctiones & Deciſiones Conciliorum Antiquorum, & Sanctorum Patrum Vetuſtiorum teſtimonia omni exceptione majora, quibus omnibus deſtituuntur prætenti Novelli Reformatores, Adverſarii noſtri.

Oppoſitio ſecunda, Sanctus Auguſtinus libro tertio de doctrina Chriſtiana, capite nono, ſic docet: *Hoc verò tempore* (id eſt, in nova Lege) *quædam* Sacramenta *pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima: ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina. Sicuti eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* Non debent igitur multiplicari ad ſeptenarium numerum, ſed contrahi ad binarium illum quem commemorat idem Sanctus Doctor Auguſtinus.

Reſpondeo, Pauca quidem à Chriſto Domino inſtituta eſſe Sacramenta; ſed comparatè ad ea quæ erant in Lege Moſaïca, & incomparabiliter Novæ Legis Sacramentorum numerum excedebant, Neque hîc tamen ejuſdem Novæ Legis Sacramentorum numerum ad binarium reſtringit; ſed quum dixiſſet *eſſe factu facillima*, *intellectu auguſtiſſima*, *& obſervatione caſtiſſima*, ſubdidit exemplum de Baptiſmo & Euchariſtia, tanquam *facillimis, auguſtiſſimis & caſtiſſimis* dicendo SICUTI EST *Baptiſmi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.*

CAPUT VII.

POSITIO CATHOLICA.

In Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſt verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguis, unà cum anima & divinitate Domini noſtri JESU Chriſti: fitque Converſio totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & to-

tius ſubſtantiæ vini in Sanguinem. Quam Converſionem Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiationem appellat. Sub altera tantùm ſpecie totus atque integer Chriſtus, verumq́ue Sacramentum ſumitur.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

Erant appropinquantes ad IESVM Peccatores & Publicani (ait Lucas decimo quinto capite) *& murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum eis.* Fuit illud peſſimum & pernitioſiſſimum omnium Diaboli ſtratagematum; quòd poſtquam hominem in peccati barathrum pravis ſuggeſtionibus impulit, nunquam deſtiterit longè infœliciſſimam Adami progeniem *à vera Mediatoris Fide*, adeòque à præſentiſſimo & maximè neceſſario remedio avocare & avertere. Prætermitto quòd totum ferè genus humanum ad fœdiſſimum & turpiſſimum idolorum cultum tam diu tamq; generaliter traduxerit; nunquid & populum Iſraëliticum, populum Dei, populum electum, multoties ab unius veri Dei cultu ad peſſimam idolomaniam, & tandem multò maximam Judæorum partem à ſuſcipiendo Chriſto ejuſq́ue Fide, ad obſtinatiſſimam perfidiam abduxit? Ioan 1. Ita nimirùm *in propria venit* Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jesus, *& ſui eum non receperunt.* Imò ab ipſis primis Eccleſiæ exordiis, nihil non tentavit, nihil non movit juratiſſimus ille hoſtis, *ut appropinquantes ad IESVM* (hoc eſt ad Servatorem) *peccatores*, à percipienda vera ſalute impediret. Hinc per varios multipliceſq́ue Hæreſiarchas, diverſas invexit Hæreſes, modò contra Divinam Chriſti naturam, modò contra Humanam, modò contra Perſonam; interdum adversùs gratiæ neceſſitatem, aliaq́ue Fidei dogmata (quod patuit in Ario, Neſtorio, Pelagio & reliquis Eccleſiæ peſtibus) ut illuſis deceptiſq; hominibus pro vero Jesu Pſeudo-Jeſum, longèque alium quàm in ſe ſit, obtruderet.

Sed ne priorum ſæculorum fæces commoveamus, nunquid hiſce noviſſimis temporibus conatus eſt idem Dæmon *Appropinquantes ad IESVM peccatores* aditu prohibere; imò aliò divertere & deflectere? Videbat Verum Jesum à peccatoribus facillimè adiri per *Pœnitentiæ Sacramentum*, ubi *peccatores recipit*: per *Communionem Euchariſticam*, ubi Corpus ſuum verè manducandum, & Sanguinem verè bibendum divinâ liberalitate porrigit. Item per *Fidem & Opera bona*; per *juge Legis gratiæ Sacrificium*, per *Beatiſſimæ Dei Genitricis, aliorumque Sanctorum interceſſiones*: Sed ſubmiſit & immiſit novos prætentæ Reformationis Miniſtros, qui Pœnitentiæ Sacramentũ abrogarent, Communionem Euchariſticam Catholicam tollerent, ſolam Fidem juſtificantem prædicarent, juge Sacrificium abolerent, Sanctorum interceſſionem proſcriberent ac eliminarent. Ita ut de *facili peccatorum ad IESVM acceſſu*, non ſolummodò *cum Phariſæis & Scribis murmurarent*; verumetiam de eo arcendo cogitarent, & totis viribus ſatagerent.

Advertendum eſt bellum adversùs Sacro-Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum, fuiſſe *motum* à Juda Iſcariote *qui* fuit *Dux* non tantùm *eorum qui comprehenderunt IESVM*; ſed & omnium illius Adverſariorum, omnium perfidorum Deſertorum, Proditorum, Fœdifragorum & Apoſtatarum. *Sciebat IESVS ab initio* (ait Joannes) *qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.* Unde dixit, *Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus eſt? Dicebat autem de Iuda Simonis Iſcariote.* Illud idem bellum *ſuſceptum* fuit ab incredulis *Capharnaitis*: poſtmodùm verò renovatum à quodam *Bertramo* ſub *Carolo Magno*, ut habet Editio Baſilienſis; vel à *Retramo* ſub *Carolo Calvo*, quemadmodùm legitur in antiquo manuſcripto celeberrimi Monaſterii Lobbienſis in Ditione Leodienſi Interamnenſi, ſeu inter Sabim & Moſam. Sed quum *Bertramus* vel *Retramus* ille Sectariis deſtitueretur, vix quicquam hoſtile tentatum fuit. Tandem undecimo Ec-

Act. 1.

Ioan. 6.

Ibid.

cleſiæ ſæculo, graviori molimine majorique impetu ferè jam *conſopitum* exarſit, facem præferente flammaſque concitante *Berengario Andegavenſi Archidiacono*, qui tamen poſtmodùm palinodiam cecinit, neque in illa perfidia ac impietate ſacrilega auſus eſt extremum ſpiritum exhalare. Uti notum eſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritioribus.

Vide Florim Remund. Hiſtoriã. de ortu, progreſſu & occaſu hæreſ. lib. 2. cap. 7.

Tandem ſub initium ſæculi decimi ſexti, ejuſdem belli moles reſumptis viribus incubuit. *Andreas* ſiquidem *Carolſtadius* Wittembergenſis Archidiaconus (qui primus Germaniæ Sacerdotum, Sacrilegam copulam matrimonii publicè contracti prætextu obvelare non erubuit) è Lutheranis caſtris erumpens, & à Magiſtro ſuo Luthero deficiens; præmemoratum bellum adversùs Sacro-Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum redintegravit. Sed hic à Diabolo præfocatus nefariæ impietatis pœnas meritiſſimas dedit, uti referunt Lutherani in hiſtoria Cænæ Auguſtanæ, folio quadrageſimo primo.

Denique *Zuinglius* & *Calvinus*, illud idem bellum, longè atrociùs funeſtiùſque proſecuti ſunt, quod & nunc illorum Diſcipuli, Zuingliani videlicet Calvinianique, præcipiti ac obſtinato furore continuant. Ut autem clariùs diſtinctiùſque Fidei Catholicæ probationes, pro Chriſti Corporis Sanguiniſque reali in Euchariſtiæ Sacramento præſentia proponam, per aliquot ſubjunctas Sectiones procedam.

SECTIO I.

Probationes ex Joannis capite ſexto.

PRimò, Conſtat Chriſtum Dominum illic agere de *cibo*, longè aliis omnibus præcellentiori. Docet enim eſſe *Cibum Cæleſtem*, *Panem de Cælo deſcendentem*, *Vivum*, *Vivificantem*, *qui à Patre datur*, *qui dat Vitam mundo*, *annexam habet reſurrectionis ac vitæ æternæ promiſſionem*: *mortis verò comminationem niſi manducetur*, *Mannæ præfertur & nos Chriſto uniendi vim habet*. Hæc Epitheta, hæc Elogia, hæ circum-

circumſtantiæ ac prærogativæ ſat convincunt non eſſe ibi ſermonem de ſimplici ſigno aut nuda duntaxat figura; ſed de vero proprioque Chriſti Domini Corpore & Sanguine.

Secundò, Certum eſt Chriſtum Dominum ibidem loqui de re quæ ſit creditu difficilis: tum quia antequam illam proponeret, edidit ingens illud miraculum, quo ex quinque panibus hordaceis & duobus piſcibus divinitus multiplicatis, pavit quinque hominum millia; ita ut ſupereſſent duodecim Cophini fragmentorum, tum etiam quia *multi audientes ex Diſcipulis ejus dixerunt, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Imò murmurabant & ſcandalizabantur.* Sed ſi hoc tantum, tam arduum, tam ſublime difficileque Myſterium, *Carolſtadiano, Zuingliano, Calviniano more* intelligendum erat, quænam ſuberat difficultas credendi? quænam cauſa murmuris? quæ occaſio ſcandali? Quicquid dicunt Sacramentarii, in hunc tandem ſenſum recidit, *Ego IESVS Nazarenus inſtituo ut hic panis ſit ſignum vel figura Corporis mei: Hoc vinum ſit ſignum aut figura Sanguinis mei.* Reverà nullo negotio hoc apprehenderent Gentiles, Mahometani & alii; quemadmodùm ſine ulla difficultate credunt *Hederam pro foribus ſuſpenſam eſſe ſignum vini venalis, mutuum contactum manuum eſſe ſignum amicitiæ.* Sic etiam non laborabant, nec laborant modò Judæi, ut ſibi perſuadeant *ſerpentem aneum, Agnum Paſchalem* & ejuſmodi fuiſſe *figuras* Miſſæ.

Tertiò, Non ignorabat Chriſtus Dominus *multos audientes ex Diſcipulis, & murmurare & ſcandalizari*: quia nimirum non aliter intelligebant; quàm de vera Carne veroque Sanguine; quum diceret, *Caro mea VERE' eſt Cibus, & Sanguis meus VERE' eſt Potus.* Cur ergo non auferebat ſcandalum, ſic enuntiando & aſſerendo: Caro mea *FIGVRATE'*, aut *SIGNIFICATIVE'*, aut *METAPHORICE'*, aut *TROPICE'* eſt cibus? Cur prædicabat, *Caro mea VERE' eſt Cibus*? facillimum fuerat ſcandalum illud (ſi quod ſubeſſet) amovere. Et quum de illo ſcribatur Actorum primo,

Capit

Cœpit IESVS facere & docere, certè quod poſtea docuit Matthæi decimo octavo, debuerat priùs feciſſe & obſervaſſe. Quid autem docuit in illo Matthæi textu? *Qui ſcandalizaverit* (inquit) *unum de puſillis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola Aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Cur (inquam) qui ſic docuerat, non impediebat ſcandalum: niſi quia *acceptum* erat, non autem *datum*: *Phariſäicum* erat, *Capharnäicum* erat? Verba Chriſti Domini audiebant, ſed de adimplendi modo diffidebant. *Quomodò poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum*, inquiebant? Ecce non de Carne vera, reali, ſubſtantiali angebantur, fluctuabant, dubitabant: ſed de modo perficiendi id, quod dicebat: quaſi omnino foret ei impoſſibilis. Quocirca non revocavit Chriſtus Dominus Verbum ſuum, non retractavit, non expoſuit uti ſolent Calviniani, *Modus accipiendi eſt per Fidem*; ſed incredulis Capharnaïtis, & *multis Diſcipulorum* (*qui retro abibant, & jam non cum illo ambulabant*) *dimiſſis, dixit ad Duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit Petrus, Domine ad quem ibimus Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognovimus, quia tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.* Quod exponens Auguſtinus, Tractatu vigeſimo ſeptimo in Evangelium Joannis, ſic ait: *Vitam æternam habes in Miniſtratione Corporis & Sanguinis tui. Et nos credimus & cognovimus*: quia tu es Chriſtus, Filius Dei vivi. *Id eſt, quia ipſa vita æterna TV ES; & non das in Carne & Sanguine tuo: niſi QVOD ES.* Subſume hoc modo, *Atqui Chriſtus non eſt nudum ſignum, non eſt ſimplex figura; ergo in Carne & Sanguine ſuo non dat ſimplicem figuram, aut nudum ſignum.*

Reflecte (*Benevole Lector*) ſi vel ſcintillam judicii habes, quantum, & quale, quàm enorme, quàm diuturnum, & quàm univerſale ſcandalum fuiſſet & foret, ſi falſum eſſet quod Eccleſia Romana credit, circa veram realemq; præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti Domini in

Euchariſtia.

Digitized by Google

Euchariſtia. Quotquot enim fuiſſent unquam Pontifices aut Epiſcopi qui Ordinaſſent; quotquot Ordinati Sacerdotes Sacris operati fuiſſent, quotquot Diaconi & Subdiaconi aut alii Celebrantibus miniſtraſſent, quicumque Altaria fundaſſent, dotaſſent, panem, vinum, ornamenta contuliſſent, Sacris interfuiſſent, Sacerdotes aluiſſent, foviſſent, defendiſſent, honoraſſent; ubicumque & in quavis mundi plagâ, quocumque tempore; ii omnes citra exceptionem ullam à vera Fide aberraſſent, illuſi, decepti (& quod gravius eſt) Idololatræ, aut potiùs Artolatræ fuiſſent. Et quâ de causâ quæſo? Nimirum quia Christo Domino (*in cujus ore non eſt inventus dolus*, nec inveniri poteſt) crediderant dicenti: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita. Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in eo. Accipite & comedite, Hoc eſt Corpus meum, Accipite & bibite, Hic eſt Sanguis meus, &c.* Ergóne tot eximiæ virtutis, pietatis, puritatis, innocentiæ Chriſtianos, Deum ex toto corde quærentes, ipſi ſoli placere cupientes, ad eum anhelantes; ita demum & tot & per tot ſæcula deſeruiſſet: noviſſimo autem ſæculo, uni Carolſtadio, uni Zuinglio, uni Calvino veritatem aperuiſſet? Quis de Deo *ſentiens in bonitate*, hoc ſibi perſuadeat, hoc credat; niſi vel voluntariâ inſaniâ laborans, vel obſtinatâ quâdam pervicaciâ errori adhærens, vel furoris œſtro percitus? 1. Pet. 2.

Quartò, Caro mea verè eſt cibus, & *Sanguis meus verè eſt potus*, inquit. Ubi adverte particulam illam (VERE) afficere copulas illarum propoſitionum, adeòque excludere omnem figuram & omne dubium. Nec eſt paritas in illa enuntiatione, Ego ſum Vitis VERA, ubi adjunctum illud (VERA) afficit ſolum prædicatum. Unde ſic poſſumus colligere:

Quicquid

Quicquid eſt verè cibus, eſt verè comeſtibile:
Caro Domini eſt verè cibus;
Ergo Caro Domini eſt verè comeſtibilis.

Rursùs.

Quicquid eſt verè comeſtibile, eſt verè præſens:
Caro Chriſti eſt verè comeſtibilis;
Ergo Caro Chriſti eſt verè præſens.

Quintò, Datùm eſt præceptum Iſraëlitis, Exodi duodecimo, de *comedenda carne Agni Paſchalis*. Et hoc præceptum non figuratè, non impropriè, non tropicè, non metaphoricè; ſed literaliter & propriè fuit intelligendũ & adimplendum: quantumvis (teſte Apoſtolo) *omnia illis in figura contingerent, & lex ipſorum haberet umbram futurorum bonorum*. Quantò ergo magis præceptum in nova Lege, de comedenda carne veri Agni Paſchalis intelligendum eſt & explendum ad literam: ut loquar cum Auguſtino, qui Concione primâ in Pſalmum trigeſimum tertium docet *non eſſe intelligendum AD LITERAM de David, quòd ferebatur manibus ſuis*: ſed de Chriſto AD LITERAM; *quando commendans Corpus ſuum dicebat*, Hoc eſt Corpus meum: *ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis.*

Confirmatur quia mortis comminatio his verbis expreſſa: *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis Vitam in vobis*, literaliter & propriè debet intelligi: ergo & *medium ipſum* (ut Scholaſticorum more loquar) quo ejuſmodi cõminationis effectus præcavendus, etiã ad literam intelligendus eſt. Atqui medium præcavendi comminationis illius effectum, eſt *manducatio Carnis Filii Hominis*; ergo eadem manducatio eſt intelligenda ad literam. Alioqui ſi impropriè, ſi figuratè, ſi metaphoricè accipienda eſſet comeſtio, nemo unquam ſecurus foret adversùs pertimeſcendam illam, meritòque formidandam comminationem: quandoquidem

recedendo

recedendo à literali ſenſu, multiplices occurrant interpretationes in ſenſu Allegorico, Tropologico, & Anagogico; rariùſq; cōſtet quem præciſè intenderit Spiritus Sanctus.

Sextò, Chriſtus Dominus adhibuit *Iuramentum* octies repetitum (ſcilicet AMEN) atqui verba *Iuramenti* literaliter accipienda ſunt; ergo quum ſic aſſerit, *AMEN, AMEN dico vobis, niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, &c.* Verba illa literaliter intelligenda ſunt.

Probatur ſubſumptum, quia ex Paulo ad Hebræos Capite ſexto, *Omnis Controverſiæ finis ad confirmationem, eſt juramentum*, ſive, adhibetur juramentum ad majorem certitudinem & confirmationem rei, de cujus veritate dubitatur aut diffiditur: *Iudæi* autem vel *Capharnaïtæ* non dubitabant niſi de manducatione reali; ad illius igitur manducationis confirmationem juravit Dominus, *per ſemetipſum*, hoc eſt, per Veritatem ſuam.

SECTIO II.

Probationes tum ex Actionibus, tum ex Verbis inſtitutionis.

PRima deſumitur ex *lotione pedum*, Joannis decimo tertio capite. Non tantoperè antea curaverat Chriſtus Dominus, utrùm Diſcipuli priuſquam communi uſitatoque pane veſcerentur, manus ſuas abluerent. Imò quum Scribæ & Phariſæi conqueſti expoſtularent, cur iidem Diſcipuli *non lavarent manus ſuas quum panem manducarent?* eorum patrocinium ſuſceperat, aſſerens *non coinquinari hominem, quod non lotis manibus manducaret.* At verò dum celebranda foret Cæna Euchariſtica, *ſurrexit à Cœna* legali, *poſuit veſtimenta ſua, & quum accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* Matt. 15

Reverà aliquoties cum ipſis comederat Paſcha legale: ſed nihil tale fecerat quale nunc; quia nimirum hac actio-

ne

Digitized by Google

ne extraordinaria, *hac dilectione in finem*, hac pedum ablutione & exterſione, hac denique comminatione; *ſi non lavero te non habebis partem mecum*, oſtendere volebat quàm magnum Novæ Legis Sacramentum mox inſtitueret, quantaque requireretur puritas, ut ad illud dignè accederetur. Unde datur manifeſtè intelligi, in hoc admirabili Sacramento longè aliud eſſe quàm nuda ſigna & meras figuras, quas habuerunt Judæi, & ad quas non eis opus erat tantâ præparatione & tantâ puritate.

Secunda probatio ſumitur ex verbis inſtitutionis, Hoc EST CORPUS MEUM: quæ quidem verba conſtanter & abſque immutatione vel varietate ulla, exprimuntur Marci decimo quarto, Lucæ vigeſimo ſecundo, Matthæi vigeſimo ſexto, & primæ ad Corinthios undecimo. Legimus ergo in Scripturis divinis, veris, infallibilibus, & quidem terminis expreſſiſſimis, Hoc EST CORPUS MEUM. Nullibi autem in iiſdem Scripturis legimus, *Hoc non eſt Corpus meum*, *Hoc ſignificat Corpus meum*, *Hoc eſt figura Corporis mei. Hoc eſt ſignum Corporis mei.* Sed ubinam hæc legunt Sacramentarii Adverſarii noſtri, niſi in *Carolſtadii*, *Zuinglii & Calvini* Scripturis falſis, erroneis, mendacibus, & hæreticis.

Controverſia inter Catholicos & jam memoratos Sacramentarios, non eſt de Scriptura Sacra, ſeu de illius verbis expreſſis (nimirùm Hoc EST CORPUS MEUM) ſed de verborum ſenſu. *Catholici* credunt id quod Chriſtus expreſsè dixit. Nihil addunt, nihil demunt, nihil immutant. *Carolſtadiani* autem, *Zuingliani* & *Calviniani* ad ſtatuendum novum ac impium dogma, ex *affirmativa* Chriſti Domini propoſitione faciunt *negativam*, & ad evertendam aſſertionem expreſſam in Scriptura, *Hoc eſt Corpus meum*, aſſumunt contradictoriè oppoſitam, *Hoc non eſt Corpus meum*, que nullibi habetur in Scriptura. Convinci poſſunt offerendo illis tres ſequentes propoſitiones.

Hoc eſt & non eſt Corpus meum.
Hoc eſt Corpus meum.
Hoc non eſt Corpus meum.

Prima non eſt eligibilis, quia manifeſtam implicat contradictionem.

Secundam non admittent; alioqui nobiſcum facerent, & ad Eccleſiam Romanam (à qua ſemetipſos præciderunt) ipſis redeundum foret.

Tertiam ergo amplecti debent, quæ eſt contradictoriè oppoſita Chriſti aſſertioni expreſſiſſimæ.

Eſt Fidei fundamentale principium, *ut nunquam à proprio verborum Scripturæ ſenſu recedatur, niſi clarior aliquis ejuſdem Fidei Articulus ad hoc manifeſtè compellat.* Alioqui nihil ex Scripturis certò convinci definiríque poſſet; ſed omnia ferè incerta ac dubia manerent: quandoquidem ab uno ſenſu ad alium detorqueri, & à proprio ad improprium facilè deflecti poſſent. Quum ergo Chriſtus Dominus diſertis verbis exprimat *Carnem ſuam & Sanguinem;* & hæc in Scripturis non ſumantur pro figuris, non debent in inſtitutione hujus tanti Sacramenti, intelligi impropriè, figuratè, tropicè & metaphoricè; ſed literaliter & propriè. Aliàs poſſet *Arianus* quiſpiam eodem prætento jure quo *Calvinianus*, hanc propoſitionem, Verbum Caro *factum eſt*, figuratè accipere. Item Hic est Filius meus Dilectus, poſſet impropriè ſumere & intelligere. Reverà longè difficiliùs eſt aſſentiri huic enuntiationi *Verbum Caro factum eſt*; quàm iſti, *Caro mea verè eſt cibus.* Illam tamen admittunt Zuingliani & Calviniani; hanc verò reſpuunt.

Tertia probatio ſumenda eſt ex adjunctis, adjacentibus & connexis. *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus.* Sed quódnam Corpus (Domine Jesu) quíſnam Sanguis? *Corpus meum* (inquit) quod *pro vobis datur. Sanguis meus* qui *pro vobis effunditur.* Hæc relativa quod & qui omnem tollunt ambiguitatem. Non enim pro nobis datur Figura Corporis Chriſti; non effunditur Figura Sanguinis; ſed verum & proprium Corpus Datur, verus & proprius Sanguis Effunditur.

Addit, *Hic eſt Sanguis meus* Novi Testamenti, Mat-

Digitized by Google

thæi vigeſimo ſexto. Quiſquis condit Testamentum, ſi prudens cordatuſque fuerit, id eo fine facit; ut mentem ſuam teſtetur, & ſupremam declaret voluntatem. Ad præcavenda autem dubia, & inde exorituras lites inter Hæredes aut Legatarios, abſtinet à verbis impropriis, æquivocis, tropicis, metaphoricis & ambiguæ ſignificationis. Quòd ſi quæ poſt Teſtatoris mortem emergat controverſia, judicatur & deciditur ſecundùm literam Teſtamenti, & juxta literalem verborum ſenſum. Unde ſi *Caius* legaverit *Titio* domum aut equum, nullus Judex intelliget, vel pronuntiavit intelligendum eſſe de *domo picta*, vel *de figura equi*, niſi Teſtator expreſsè dixerit: *Lego Titio domum pictam, lego figuram equi.*

Chriſtus Dominus utique Prudentiſſimus, Sapientiſſimus, Optimus: imò Prudentia ipſa, Sapientia ipſa, Bonitas ipſa, condidit Testamentum. Legavit Eccleſiæ, Sponſæ dilectiſſimæ *Carnem ſuam & Sanguinem*. Suboritur lis graviſſima inter Catholicos, & Carolſtadianos, Zuinglianos ac Calvinianos: non de verbis, utpote in Teſtamento expreſſiſſimis; ſed verborum ſenſu. Utrùm videlicet Teſtator dicens, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti*, voluerit intelligi de vero proprioque Corpore, de vero proprioque Sanguine; an verò de ſola figura, nudoque & mero tum Corporis tum Sanguinis ſigno? Quis Judex, quis Arbiter, quis paulò æquior rerum æſtimator non ferat ſententiam pro *Catholicis* adversùs eoſdem *Carolſtadianos, Zuinglianos* & *Calvinianos*, tanquam Teſtamenti Filii Dei corruptores, adulteratores, depravatores?

Demùm, *Hic eſt Sanguis meus* Novi *Teſtamenti*, ait Teſtator. Quare dicit eſſe Novum? Certè reliquerint alii vel legaverint Uxoribus ſuis Imperia, Regna, Ducatus, Principatus, Comitatus. Alii autem Dominia, Sylvas, Prædia, auri argentique Talenta, Gemmas & ejuſmodi. Alii denique Domos, Hortos, Cenſus annuos, Merces, Supellectilem. Nihil eſt hic quod Novum, quod inuſitatum dici

ei poſſit. At verò quòd quiſpiam Teſtamento ſuo relinquat Uxori & Filiis, Corpus ſuum ad manducandum, Sanguinem ſuum ad bibendum; hoc planè Novum eſt & omnium Novitatum ſupereminentiſſima Novitas. Hoc ſoli Chriſto conceſſum eſt. Nemo ante ipſum fecit, nemo poſt ipſum faciet. Et ſi quis attentaret, quid aliud relinqueret quàm putre cadaver, quod mox in tabum & purulentam ſaniem diffluens, tetrum & non ferendum exhalaret fœtorem? Quòd ſi aromatibus condiretur, exangue tamen & nulli uſui futurum remaneret. Chriſtus ergo amori ſuo erga Sponſam, ac viciſſim Sponſæ deſiderio & affectui ſatisfacere volens, Corpus & Sanguinem ſuum, verum & proprium ſub panis & vini ſpeciebus, in dotem perpetuam aſſignavit: quid enim aliud optaſſet amantiſſima Sponſa? Hæc eſt ejus prærogativa, hæc dos, hoc privilegium præ Synagoga, quæ non niſi Manna, Panes Propoſitionis, Agnum Paſchalem, & ſimiles figuras aut umbras habuit. Porrò Adverſarii noſtri falsò & hæreticè ſibi perſuadent, non niſi fruſtulum meri panis, & vini hauſtulum donatum. At cogitent utrùm ſit illa liberalitas *Dei Filio, Rege Regum & Domino Dominantium* digna: & an prætenti alicujus Reformati ditiſſimi Uxor, magnoperè devinciretur Marito, qui panis vinique modiciſſimum quid, in ſuo teſtamento, dotis nomine eidem Uxori relinqueret?

SECTIO III.

Probationes ex verbis Pauli Apoſtoli.

EGo (inquit Paulus primæ ad Corinthios undecimo) *accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Sed quid accepiſti, ô Vas Electionis, Doctor Gentium, Doctor Veritatis? Ediſſere non tam nobis qui credimus, quàm Zuinglianis & Calvinianis ſeductis, obcœcatis, & in ſacrilegam impietatem lapſis. Accepiſtine, ô *Apoſtole non ab hominibus, neque per hominem; ſed per* Jesum *Chriſtum & Deum Patrem,* Rom. 1. Galat. 1.

trem, ſegregate in Evangelium Dei : Accepiſtine (inquam) *Dominum* JESUM *in qua nocte tradebatur, dixiſſe* Accipite & manducate, Hoc eſt SIGNUM, Hoc eſt FIGURA Corporis mei? An inde etiam concluſiſti: *Qui manducat & bibit indignè reus erit* SIGNI, *reus erit* FIGURÆ *Corporis & Sanguinis Domini*? Abſit, inquit Paulus: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus* JESUS *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit*: Accipite & manducate, HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis tradetur, &c. Deinde intuli: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè*, REUS ERIT CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI. Nihil hîc ænigmaticum, nihil figuratum, nihil offuſum caligine loquendi: ſed omnia plana, aperta, certa & manifeſta.

Quid ad hæc dices Zuingliane? Quid oppones Calviniane? An Zuinglium tuum, Calvinum tuum, Pſeudo-Miniſtrum tuum PAULO Apoſtolo antepones? An juris divini peritiſſimum, Eccleſiarum Fundatorem & Formatorem, *qui etiam Angelos judicaturus eſt*, vel judicare vel reformare præſumes? Expergiſcere tandem, & Pſeudo-Apoſtolis tuis valere juſſis ac ablegatis, perge audire Apoſtolum Chriſti ſic loquentem, ſic docentem, ſic catechizantem & priores Sermones poſterioribus connectentem ac confirmantem. *Nunquid* (ait primæ ad Corinthios ſecundo) *levitate uſus ſum, ut ſit apud me* EST *&* NON? *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non eſt in illo* EST *&* NON. *Dei enim Filius* JESUS *Chriſtus qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me & Sylvanum &* Timotheum, *non fuit* EST *&* NON: *ſed* EST *in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo* EST; *ideò & per ipſum*, AMEN DEO.

Reſume jam anteriora ſi non piget, & cum hiſce poſterioribus conjunge, hoc modo. *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus* JESUS *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit*: Accipite & manducate, HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis tradetur.

Digitized by Google

tradetur. *Similiter & Calicem poſtquam cœnavit, dicens*: Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine. *Dei Filius* Jesus *Chriſtus, non fuit* Est & Non; *ſed* Est *in illo fuit. Quotquot promiſſiones Dei ſunt, in illo* Est, ſubaudi, *fundantur: & ideò per ipſum*, Amen Deo.

Jam ſubſume ſi placet: *Promiſſio Dei* (Joannis ſexto) hæc eſt, *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita*: ergo *in illo* Est, ſubaudi, *fundatur promiſſio Dei; & ideò per ipſum*, Amen Deo: neutiquam autem in Non Est. Ac conſequenter, *Caro* Est, *Corpus* Est, *Sanguis* Est: minimè verò, Non Est *Caro*, Non Est *Corpus*, Non Est *Sanguis*.

Denique in illa eadem *Dei promiſſione* ponitur futuri temporis verbum, *videlicet* Dabo. In inſtitutione verò Sacramenti & promiſſi exhibitione, quod erat futuri temporis vertendum eſt in præſentis temporis verbum: ibi audiebas, *Panis quem ego* Dabo, *Caro mea eſt pro mundi vita*: hìc autem erit, *Panis quem ego* Do, *Caro mea eſt pro mundi vita*. Quemadmodùm ſi ab anno audiſſes promittentem & dicentem, Donabo *tibi centum aureos*, & nunc audires dicentem, Dono *tibi centum aureos, quos reipsâ præſto ac numero tibi*.

SECTIO IV.

De Tranſſubſtantiatione.

SI *de Nomine* ſit quæſtio, certum non exprimi in Scripturis, ſicuti etiam non ponuntur expreſsè hæc vocabula, Trinitas, Incarnatio, Consubstantialitas, quæ tamen recipiuntur ab Adverſariis noſtris; quia earumdem vocum ſignificata reperiuntur in Scripturis. Si ergo in Scripturis inveniatur id, quod Tranſſubſtantiationis nomine datur intelligi, non eſt quòd iidem Adverſarii nobiſcum litigent, & contentionis funem longiùs ducant.

Certè *Theodorus Beza*, ſummi vir ingenii, & quantumvis

vis *Calvini* diſcipulus, multis tamen donorum naturalium dotibus, ipſo magiſtro ſuperior, *in libro de Cœna Domini,* edito ſub annum Domini 1559. *contra Ioachimum Weſtphalum Lutheranum*, ſic ait: *hoc ſæpè diximus quod nunc quoque repetam, retineri reipsâ non poſſe* το ῥητὸν *in Chriſti verbis*, Hoc eſt Corpus meum; *quin* TRANSSUBSTANTIATIO PAPISTICA *ſtatuatur.* Videbat igitur *Beza* Calvinianorum omnium facilè princeps, non poſſe Chriſti Domini verba, *Hoc eſt Corpus meum*, in ſenſu proprio ac literali intelligi; niſi Tranſſubſtantiatio Papiſtica (uti vocabat) in eodem ſenſu involveretur ac intelligeretur: quantumvis in Scripturis nulla hujuſce nominis expreſſio haberetur. Sicuti nullibi dicitur, *Verbum Dei non eſt creatura*: ſed hoc ipſo quo dicitur Joannis primo, *Deus erat Verbum*, hic ſenſus objectivè in eadem veritate involvitur ac comprehenditur, ut videlicet, *non ſit creatura.* Quemadmodùm ſi vel idiotæ ruſtico quis dixerit, *hic nummus eſt ſtanneus*, ſtatim intelliget *non eſſe argenteum.* Itaque ne memoratus *Beza* cæteríque prætenti Reformati TRANSSUBSTANTIATIONEM fateri cogantur, negant verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*, propriè & literaliter eſſe accipienda. Et idcircò inſultant Lutheranis, qui credentes confitenteſque literalem ac proprium ſenſum, nihilominùs IMPANATIONEM confingant & adſtruant.

At ex oppoſito *Lutherani* adversùs *Zuinglianos & Calvinianos* mordicus ſuſtinent Chriſti Domini verba: *Hoc eſt Corpus meum*, propriè & ſine ulla metaphora, aut figura, aut tropo intelligenda eſſe. Itaque dum inter ſe contendunt Adverſarii noſtri, ſubſcribunt Fidei noſtræ licèt neſcientes & inviti.

Ex Matthæo, Marco, Luca & Paulo ſupra relatis, conſtat Chriſtum Dominum *accepiſſe panem*, & DIXISSE, *Hoc eſt Corpus meum.* Quum autem alia vellet edere miracula, non erat ei opus niſi ut DICERET. *Adoleſcens tibi*
Luc. 7. DICO, *ſurge: & reſedit qui erat mortuus.* DIXIT *leproſo, volo,*
Matth. 8 *mundare: & confeſtim mundata eſt lepra ejus.* DIXIT *cæco, reſ-*
Luc. 18.

Digitized by Google

pite; & confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Dixit *& voce magna clamavit; Lazare veni foras, & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus.* Hanc verborum Chriſti efficaciam credidit & confeſſus eſt Centurio, cujus fidem tantoperè Chriſtus ipſe laudavit. *Domine* (inquiebat idem Centurio) *non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: ſed tantùm* Dic *verbo & ſanabitur puer meus.* Denique agnovit & hanc efficaciam Dæmon ipſe, quando accedens ad Jesum, ſic eum affatus eſt: *Si Filius Dei es,* Dic *ut lapides iſti panes fiant.* Quaſi ſic ratiocinaretur: ſi Dei Filius es, proprius, unigenitus, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, ejuſdem omnipotentiæ, Dic *ut lapides iſti panes fiant.* Dic ut Filius Dei, quia filii hominum *dicunt & non faciunt*: Sed tu quod Dicis, hoc ipſo Facis. Dic ergo *ut lapides iſti panes fiant, ut tranſſubſtantientur & convertantur in panes, & illicò convertentur.* Vides Dæmonem nihil aliud urgere, niſi ut Dicat. At Chriſtus Dominus, verus *Dei Filius*, noluit dicere; ut nos prædoceret, & exemplo ſuo præmoneret nihil unquam dicendum eſſe, nihil agendum ex Dæmonis ſuggeſtione, qualemcumque boni ſpeciem præ ſe ferat id, quod ab illo humani generis hoſte infenſiſſimo ſuggeritur. Et quantumvis Chriſto Domino nullum omnino ſubeſſet, nec ſubeſſe poſſet periculum à fraude & circumventione Diaboli; noluit tamen ex illius ſuaſu Dicere *ut lapides fierent panes.*

Ioan. 11. Matth. 8 Matth. 4 Matt. 23

Sed ecce, ſi in Evangeliis legatur aliquid Dixisse, dubitabitúrne aut non credetur factum fuiſſe? Sume *Zuingliane*, ſume *Calviniane* Evangeliorum Codicem, Volve & lege in Matthæo, Marco, Luca & Paulo, *Accepit* Jesus *panem &* Dixit, *hoc eſt Corpus meum.* Ecce dixit, *& factum eſt.* Ecce, *credunt Dæmones & contremiſcunt*: tu verò *Sacramentarie*, nec credere vis nec contremiſcere.

Matt. 26 Marc 14 Luc. 22. 1. Cor. 11 Iac. 2.

Initium ſignorum Jesu fuit Aquæ in Vinum converſio, *in Cana Galilææ: & crediderunt in eum Diſcipuli ejus.* Hoc ſignum fecit in Convivio nuptiali, *ad quod ipſe & Diſcipuli ejus erant vocati.* In Convivio autem Paſchali cum Ioan. 3.

iiſdem Diſcipulis, hoc velut ultimum ſolemne ſignum edidit & omnium aliorum mirabilium memoriale auguſtiſſimũ; ut tantò magis *crederent in eum Diſcipuli ejus*. Crediderunt veri Diſcipuli eorumq; ſucceſſores, *Cyrillus Hieroſolymitanus* in Myſtagogica quarta, *Gregorius Niſſenus* in Magna Catechiſtica, *Cyprianus* de Cæna Domini, quem librum eſſe ejuſdem Cypriani docet Montacutius Anglus, & Goulartius Lutheranus in Animadverſionibus teſtatur eſſe ejuſdem Cypriani vel alicujus è Diſcipulis, Cauſabonus verò in Exercitationibus fatetur non eſſe Cypriano indignũ. In illo ergo Tractatu de Cæna Domini, dicit *Cyprianus*, vel Diſcipulus ejus juxta Goulartium, vel Author operis Cypriano non indigni ex mente Cauſaboni, *Panem communem in Carnem & Sanguinem mutari*, nimirum in Euchariſtia. Item *panem non ſpecie ſed naturâ mutari*. Quid hoc aliud eſt, quàm remanentibus ſpeciebus tranſſubſtantiari? Hoc enim verbum adhibuit Eccleſia, quia ſicut olim *Euſebianorum ſeu Arianorum verſipellis impietas* (teſte Sancto Athanaſio) *coëgit Epiſcopos, ut clarioribus verbis uterentur ad eorum impietatem ſubvertendam: quum Iudaorum more obmurmurarent, expoſtulantes cur Nicæni Concilii Patres haſce voces* ESSENTIAM & CONSUBSTANTIALITATEM, *nuſquam in Sacris Literis repertas uſurpaſſent?* Ita etiam *Berengarianorum, Zuinglianorum & Calvinianorum* verſipellis impietas coegit Eccleſiam, ut hoc clariori TRANSSUBSTANTIATIONIS Vocabulo uteretur ad ſubvertendam eorum Hæreſim; dum Judæorum more obmurmurarent, cur hæc vox nuſquam in Sacris Literis reperta uſurparetur? Patres autem Græci uſi ſunt his nominibus, *Metouſia, Metouſioſis*. Et Thophilactus in caput 14. Marci docet *Chriſtum ſpeciem quidem panis & vini ſervare, ſed in virtutem Carnis & Sanguinis tranſelementare.*

S. Athan in Epiſt. de decret. Nicæn. Synod.

Addo Græcam Eccleſiam in Concilio Florentino conveniſſe cum Latina circa hoc dogma: & nunc etiam convenire, prout teſtatus eſt *Hieremias* Patriarcha, in ſua & Græcæ ſuæ Eccleſiæ Confeſſione, quam ipſe nuncu-

pat

per Cenſuram ad Germanos directam. Teſtatur inſuper Anglus Proteſtans, nomine *Sands* in *Relatione Religionum Eccleſiarum Orientalium*, ubi de Græcis agens: *cum Romanis* (inquit) *conveniunt quoad doctrinam Tranſſubſtantiationis.* Et veriſſimum eſt; nam in memorato Florentino ſatis apertè declararunt ſe nunquam à Latinis in hoc diſſenſiſſe, & *Nicænus* ibidem profeſſus eſt *omnes Sanctos Doctores Græcos cum Chryſoſtomo idem tenuiſſe.*

Denique Joannis decimo, *Ego ſum* PASTOR BONUS, ait Dominus. Quis autem Paſtor bonus, niſi qui bene paſcit? An ergo bene paſceret, qui ovibus non niſi pictas paleas pabulaque porrigeret? An bene te paſceret ô Zuingliane, ô Calviniane, qui ad cænam invitato, non niſi figuram panis, figuram carnis, figuram vini, pictum caſeum, pictas fruges apponeret? Quomodo ergo *bonus Paſtor*, Filius Dei, ſi factus homo, *faciens Cœnam magnam, & mittens horâ Cœnæ dicere invitatis ut venirent*, non habeat *parata* niſi ſigna & figuras comedendas?

Sed hæc valent contra Sacramentarios *Zuinglianos & Calvinianos*, qui Corporis & Sanguinis Chriſti realem in Euchariſtia præſentiam nec credunt, nec agnoſcunt, inquiet LUTHERANUS quiſpiam, puræ putæque *Confeſſionis Auguſtanæ* profeſſor & defenſor; *Tranſſubſtantiationis* autem oppugnator. Sed audi *Lutherane*, nunquid Chriſtum Dominum, *Paſtorem bonum*, & quidem quacumque Matre meliorem agnoſcis, credis, confiteris? At *bona Mater* paſcit prolem ſuam lacte ſuo proprio, naturali, ſubſtantiali, vero & reali. Sed unde lac illud? Mater panem manducat, vinum bibit: & panis & vinum convertuntur in carnem & ſanguinem & lac, facultate ac potentiâ digeſtivâ, vi caloris naturalis. An ergo Chriſto *Paſtori bono*, & meliori quàm Mater quævis etiam prolis ſuæ amantiſſima, nihil majus, nihil excellentius, nihil potentius concedendum eſt, quàm Matri, ſimplici puræque creaturæ? Quid ad hoc dices? Nunquid ergo poteſt divinâ ſupernaturalique virtute *panem in carnem ſuam, & vinum in*

ſanguinem mirabiliori & diviniori modo convertere, quàm Mater creata in *ſanguinem*, deinde in *lac* alendæ proli congruum convertat? Hæc apud temetipſum cogita, perpende & expende.

SECTIO V.

De Communione ſub una duntaxat ſpecie.

HUic difficultati ſatisfactum eſt ſupra, in *Methodo Defenſiva*, reſpondendo ad *Quæſtiunculam ſextam Molinæi Sedanienſis, paginâ* 409. *&* 410. Nunc addo aliam, nimirùm *de Communione parvulorum ante uſum rationis.*

Calviniani (qui ſe reliquorum omnium Reformatiſſimos autumant) *in praxi ſeu modo celebrandi Cœnam Sanctam*, ita ſtatuunt: *Non præſententur pueri niſi benè ſint edocti, & Fidei profeſſionem in Eccleſia emiſerint.* Attamen fuiſſe in Eccleſia aut in aliquibus partibus, antiquam & diuturnam praxim dandi Communionem parvulis; nemo inficias ibit, qui attentè legerit *Epiſtolam Sancti Innocentii* ad Patres Concilii Milevitani, *Auguſtinum* libro primo contra Julianum, & libro primo ad Bonifacium, *Cyprianum* Epiſtolâ 107. *Pontium Paulinum* apud Rhenanum in Argumento libri Tertulliani, de Corona militis, *Fabrum Scholiaſten*, *Sanctum Thomam*, Parte 3. Quæſtione 80. Articulo 9. ad tertium, & *Maldonatum* in Caput ſextum Joannis. Urgebat Sanctus Auguſtinus hunc expreſſiſſimum Scripturæ textum, *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quid ad hæc dicent prætenti Reformatores Calviniani, *qui parvulos non admittunt ad Cœnam ſuam* (ut notavi) *niſi benè ſint edocti, & Fidei profeſſionem in Eccleſia emiſerint?*

Quod ad Catholicos attinet, reſpondent, Communionem illam parvulorum non fuiſſe *ex neceſſitate medii* (quemadmodùm loquuntur Theologi) quum parvuli ante rationis uſum morientes ſalventur per Baptiſmum:

neque

Digitized by Google

neque etiam ex *neceſſitate præcepti*, quandoquidem illud Joannis ſexto, *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, &c.* dirigatur ad eos, qui poſſunt *activè procedere*, hoc eſt, ſeſe diſponere, probare, accedere, dignè manducare: at verò præceptum de Baptiſmo (Joannis tertio) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, ſonat paſſivè (ut ita dicam) adeòque quum applicari poſſit parvulis, & ab iis *paſſivè ſuſcipi*, hinc neceſſariò (tam neceſſitate medii quàm præcepti) baptizandi ſunt.

Addi poteſt, conſuetudinem illam *porrigendi Communionem parvulis*, nullo unquam Concilio fuiſſe approbatam, tanquam Traditionem univerſalem & ſucceſſivè ab Apoſtolis derivatam: imò univerſaliter non fuiſſe receptam; utpotè quæ nec in Hiſpaniis innotuerit (quantumvis Punicis Partibus ferè contiguæ fuerint) ut patet ex *Elibertino Concilio*, circa primæ Nicænæ Synodi tempora.

Hæc eadem praxis porrigendi Communionem parvulis, confirmat *uſum Communionis ſub una duntaxat ſpecie in ipſis Eccleſiæ primordiis*. Nam *S. Cyprianus* de Lapſis refert *Diaconum parvulæ cuipiam* (*quæ loqui non poterat, & etiam reluctabatur*) *infudiſſe de Sacramento Sanguinis*. Sanctus verò *Baſilius* in Epiſtola ad *Cæſaream Patritiam* à *Montacutio* Anglo Latinè reddita, ſic ſcribit; *Singulis certè diebus Communicare & participare Sanctum Corpus & Sanguinem Chriſti, bonum eſt & fructuoſum: quum dixerit ipſe perſpicuis verbis;* qui comederit Carnem meam, & biberit Sanguinem meum, habet vitam æternam. *Iam verò quis dubitat, quin verè frequentiùs participare, non ſit aliud omninò quàm frequenter vivere? Quater igitur nos ſingulis ſeptimanis communicamus. Dominico die, Feriâ quartâ, in Paraſceve & Sabbatho. Sed & per dies etiam alios, ſi Martyris alicujus memoria celebretur. Quoniam verò per tempora perſecutionum, neceſſariò cogebantur homines (Sacerdote vel Miniſtro non præſente) propriis manibus ſumere Communionem, ſupervacaneum eſt ut demonſtrem illam ipſam rem non eſſe graviter & iniquè ferendam:* Ioan. 6.

eò quòd inveterata conſuetudo hoc ipſum re ipsâ confirmatum dederat. Nam *& illi omnes qui per Eremos vitam Monaſticam inſtituunt, ubi copia non ſuppetit Sacerdotis; quum* Domi habeant Communionem, *de ſuis manibus illam percipiunt. Alexandria verò & per Ægiptum, unuſquiſque etiam de plebe, ut plurimùm* Habet Domi suæ Communionem. *Nam quum ſemel Sacerdos Sacrificium peragat & diſtribuat; qui ſuſceperit illud integrum, ſimul ac quotidiè de illa Communione ſuſceperit, quam à dante acceperat Sacerdote, credere debet & tenetur (nec injuriâ) ſe eandem ſuſcipere.* Cyprianus in libro de Lapſis, refert *de muliere quadam Idolorum Sacrificiis contaminata, quum Repoſitorium ſeu Arcam, in qua Sanctum Domini poſuerat, manibus pollutis tentaſſet aperire, ignis efflans eam terruit, nec tangere auſa eſt.* Hæc Baſilii & Cypriani teſtimonia manifeſtè convincunt Communionem ſub una duntaxat ſpecie. Meritò igitur dicit Synodus Conſtantienſis *fuiſſe olim laudabilem & approbatam conſuetudinem communicandi ſub una ſpecie,* & fatetur *in Primitiva Eccleſia adminiſtratum Sacramentum ſub utraque:* prohibet tamen *ne deinceps fiat ob irreverentiam.* Et reverà quod primis ſuis temporibus potuit Eccleſia, hoc eſt, Communionem ſub hac vel illa ſpecie, his vel illis miniſtrare, & non ſub utraque: potuit etiam poſtea ex juſtiſſimis cauſis ſupervenientibus decernere, ut Fideles non Sacerdotes ſub ſola ſpecie panis communicarent.

OPPOSITIO HÆRETICA.

Prima, Actorum tertio capite dicitur de Chriſto Domino, *quem oportet quidem Cælum recipere, uſque in tempora reſtitutionis omnium.* Et in Symbolo ſic habetur, *Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus eſt judicare vivos & mortuos,* ergo non eſt verè, realiter & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtiæ Sacramento.

Reſpondeo negando conſequentiam, eſt enim ſimul & in Cælo & in Sacramento; neque Cælum deſerit, ut Euchariſtiæ adſit. Quemadmodùm Actorum capite nono, non abſuit à Cælo, ut præſens eſſet Saulo, *cui appa-*

ruit

fuit in via, & dixit, Ego ſum Jesus. Unde & idem Saulus *narravit Apoſtolis quomodò in via vidiſſet Dominum.* Adde Chriſtum plus poſſe incomparabiliter, quàm quivis purus homo. Atqui poteſt (verbi gratiâ) Hollandus quiſpiam Mercator ſucceſſivè fieri præſens in Anglia, Gallia, Hiſpania, Italia, Indiis Orientalibus & Occidentalibus, ac infinitis propemodùm locis: cur ergo non poſſet Chriſtus Dominus Simul & eodem tempore efficere, quod ille purus homo valet ſucceſſivè facere?

Secunda Oppoſitio, Joannis ſexto capite Chriſtus dixit, *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt,* ergo verba illa, *Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum,* non ſunt literaliter ſed ſpiritualiter duntaxat intelligenda.

Reſpondeo primò, hunc eſſe peſſimum Sacramentariorum & aliorum Hæreticorum morem, ut Scripturas Scripturis opponant, & ad evertendam alicujus ſacri Textus veritatem, alium Textum ſacrum adducant. Sic ad deſtruendam veritatem horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum,* proferunt illa, *Spiritus eſt qui vivificat, Caro non prodeſt quicquam,* &c.

Reſpondeo ſecundò, ex nullo eorum Textuum (quos Adverſarii opponunt) ſequi id quod intendunt. Non enim ex hoc, *Spiritus eſt qui vivificat.* Imò potiùs favet Catholicis; & ſic poteſt intelligi, ut Spiritus Chriſti Domini tanquam offerentis principalis, ejuſque virtus, efficacia & vis huic myſterio aſſiſtens vivificet panem, hoc eſt, ex pane inanimi faciat quid vivum & animatum, hoc ipſo quo Chriſtus eundem panem convertit in Corpus ſuum: ut Fideles comedant panem vivum & vivificantem, qualem Dominus promiſit ibidem: non autem qualis datur à Miniſtris Zuinglianis & Calvinianis, videlicet panis inanimis & nec vivus nec vivificans.

Non etiam ſequitur *negatio præſentiæ realis*, ex eo quod Chiſtus dicit: *Caro non prodeſt quicquam.* Vel enim Zuingliani & Calviniani hoc intelligunt de Carne propria

pria Chriſti Domini, vel de alia: ſi de Carne Domini; ergo dedit pro nobis crucifigendam Carnem, quæ *non prodeſt quicquam*, fudit pro nobis Sanguinem, *qui non prodeſt quicquam*. Hoc autem non ſolummodò dicere; ſed vel cogitare, planè blaſphemum eſt. Si non intelligunt de Carne Domini, ſed de alia qualibet, quæ *non prodeſt quicquam*, niſi vivificetur participatione Carnis & Sanguinis Chriſti, ipſiuſque Spiritus vivificantis; cur ergo Adverſarii hunc textum nobis objiciunt?

Denique pro eorumdem Adverſariorum Hæreſi vel tuenda vel confirmanda, nihil facit quod Chriſtus dixit; *Verba quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*. Imò potiùs hoc Domini pronuntiatum jugulat eandem Hæreſim; nam verba illa conſecrationis, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, Spiritus & vita ſunt, nimirùm cauſaliter; dum eorum virtute & efficaciâ, res inanimes ſcilicet panis & vini ſubſtantiæ convertuntur in Corpus & Sanguinem perfectiſſimè animata.

Quòd ſi Zuingliani & Calviniani contendant, *Verba quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*, habere hunc ſenſum, id eſt, *ſpiritualiter intelligenda ſunt & non literaliter*: Cur ergo adhibent veram & naturalem aquam ad baptizandum? Cur id quod dicit Chriſtus Joannis tertio (*niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei*) non intelligunt ſpiritualiter? Certè ſi quis Novus Reformator exurgat in medio Fratrum, qui ſe Reformatos jactitant, & volens reformare Baptiſmum, dicat: *Spiritus eſt qui vivificat*, AQUA *non prodeſt quicquam*; ecce parata jam habet fundamenta apud ſuos, ut novam Hæreſim ſuperſtruat.

Oppoſitio tertia. Hæ propoſitiones, *Petra erat Chriſtus, ego ſum Vitis, ego ſum Oſtium, lapis angularis* & ejuſmodi, non ſunt ad literam & propriè intelligendæ; ſed impropriè & figuratè: ergo & hæ enuntiationes, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*.

Reſpondeo negando Conſequentiam. Multæ ſunt enim diſparitates.

Prima eſt, quòd in his *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, prædicata individuentur ſeu ſingularizentur (ut more dialectico loquar) per adjectionem pronominum poſſeſſivorum; adeoque metaphora non poſſit locum habere; in aliis autem ſupra oppoſitis metaphora poteſt ineſſe.

Secunda diſparitas eſt, quòd *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, ſint verba Teſtatoris ſeu condentis Teſtamentum: quæquidem verba debent propriè & ad litteram intelligi & accipi, niſi idem Teſtator expreſsè & manifeſtè ſignificaverit ſe impropriè aut metaphoricè loqui. In aliis autem verbis ſupra allatis non militat illa ratio.

Tertia diſparitas eſt, quòd his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, annexa ſit promiſſio unionis cum Chriſto, reſurrectionis & vitæ, facta iis qui dignè manducaverint & biberint. Ex oppoſito autem comminatio reatus, judicii & mortis, facta iis qui indignè comederint aut biberint. Adeòque verba eadem literaliter ſunt intelligenda & accipienda, ut certò ſciatur quid agendum ſit ad conſequendas promiſſiones, & ad præcavendas comminationes. In aliis enuntiationibus nihil ſimile reperitur.

Vide in *Methodo Converſiva* Oppoſitiones ſeu Objectiones ex Doctrina Sancti Auguſtini petitas & ſolutas à *pagina* 155. ad paginam 169.

Oppoſitio quarta, eſt Lutheranorum. Alia Sacramenta (inquiunt) conſiſtunt in uſu, eſtque illis idem eſſe & fieri; ergo Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit etiam in uſu, & conſequenter non debet aſſervari, neque etiam circumgeſtari in ſupplicationibus.

Reſpondeo Sacramentum Euchariſtiæ differre ab aliis, quòd ſit permanens, quamdiu ſpecies conſecratæ durant. Unde S. Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri de *Gorgonia Sorore*, ſic teſtatur: *Deſperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium Medicum confugit, atque intempeſtâ*

intempeſtâ nocte captatâ, ad ALTARE *cum fide procumbit: cumque qui ſuper ipſo honoratur, ingenti clamore invocat; atque omnia quæ unquam mirificè geſſerat, velut in memoriam ei revocat.* Hinc ediſcis aſſervatam fuiſſe Sacratiſſimam Hoſtiam in Altari, Fideleſque illuc accedere & cum fide ſolitos fuiſſe procumbere.

Quod attinet ad circumgeſtationem Euchariſtiæ in ſupplicationibus Catholicis, reflecte ARCAM portatam
Num. 4. fuiſſe humeris Levitarum per quadraginta annos in de-
1. Paral. ſerto, ſumma cum pietate & celebritate.
15.
Num. 10 Eadem ARCA præcedebat populum, providens Caſtrorum locum, utique ad ſecuritatem & commodita-
Ioſué 3. tem. Ad ejus præſentiam exſiccatæ ſunt aquæ Jordanis, vel ut habet textus Hebraïcus, *exſiccata ſunt aquæ Iordanis à facie* ARCÆ *Fœderis Domini.*

In obſidione Hiericuntinâ fuit memorata Arca cir-
Ioſué 6. cumgeſtata ſeptem vicibus, ſeptem tubis clangentibus, toto armato exercitu præcedente, inermis autem vulgi multitudine ſubſequente, & tunc ingenti miraculo muri Urbis corruerunt.

2. Reg. 6. Tempore David deportata eſt in domum Obeth-Edom. Aderant triginta millia cum Rege, adhibitis Canticis & omnis generis inſtrumentis muſicis. Iterum autem poſt tres menſes delata eſt in Civitatem David cum gaudio, Rex ipſe *ſaltabat totis viribus ante Dominum, accinctus Ephod lineo; & David & omnis domus Iſraël ducebant* AR-
3. Reg. 8. CAM *Teſtamenti Domini in jubilo & in clangore buccinæ.* De-
Heb. 10. nique celeberrimâ totius Eccleſiæ proceſſione & concurſu adducta fuit ad Templum Salomonis. Atqui in his omnibus *umbram habuit lex futurorum bonorum*: quâ ergo veneratione & devotione oportet nos circumferre SacroSanctam Euchariſtiam (cujus figura fuit ARCA illa antiqui Teſtamenti) unde longè ampliora dona & beneficia habemus? Quòd ſi Deo gratus fuit honos exhibitus Chriſto Domino ingredienti in Hieroſolymam, *quando*
Luc. 19. *cadebantur rami, ſternebantur veſtes, acclamabatur Oſanna filio*
Ioan. 12. *David,*

Digitized by Google

David, benedictus qui venit in nomine Domini: quantumvis accepta erit Catholici populi devotio, quantumvis rideat Deo *Michol Reformata, & deſpiciat eum in corde ſuo*?

CAPVT VIII.

POSITIO CATHOLICA

De Novæ Legis Sacrificio.

In Miſſa offertur Deo verum & propitiatorium Sacrificium, pro Vivis & Defunctis.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

NOmine Sacrificii intelligunt Catholici *oblationem externam ſoli Deo factam, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis & profeſſionem divinæ Majeſtatis, à legitimo Miniſtro res aliqua ſenſibilis & permanens, ritu myſtico conſecratur & transmutatur.* Ita Bellarminus Tomo 2. Controverſiarum, libro primo de Miſſa, capite ſecundo, paginâ 947. Ingolſtadianæ Impreſſionis, typis Sartorii anno 1591. vide ibidem. Ubi etiam capite primo notat Missæ vocabulum eſſe antiquiſſimum & uſitatiſſimum in Eccleſia Latina. Nam S. *Ambroſius* libro quinto, Epiſtolâ trigeſimâ tertia: *Ego* (inquit) *manſi in munere*, Missam *facere cœpi, orare in* Oblatione *Deum, ut ſubveniret.* Extat idem Missæ nomen apud *Victorem Uticenſem* libro ſecundo de perſecutione Vandalica: apud *Caſſianum* libro tertio de Canonico divinarum Orationum & Pſalmorum ordine: apud Leonem Epiſtolâ 81. ad Dioſcorum, & 88. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ: apud *Felicem IV.* Epiſtolâ primâ: apud *S. Benedictum* in Regula, capite decimo ſeptimo; apud *S. Gregorium Magnum* libro primo, Epiſtolâ duodecimâ, & libro quarto, Epiſtolâ decimâ.

Digitized by Google

Item in antiquiſſimis Conciliis, ut in *Romano* ſub Sylveſtro I. *In Carthaginenſi ſecundo*, canone tertio: in *Carthaginenſi quarto*, canone 84. in *Ilerdenſi*, can. 4. in *Valentino*, can 1. *Agathenſi* can. 47. & *Aurelianenſi* 1. canone 28.

Quòd *in Miſſa offeratur verum & propitiatorium Sacrificium, pro Vivis & Defunctis*; probatur ex prædictionibus in antiquo Teſtamento.

Pſalmo centeſimo nono, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech*. Quod exponens *Sanctus Hieronymus* in caput vigeſimum ſextum Matthæi ſic ait: *quomodò in præfiguratione* (Cœnæ Dominicæ) *Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecit; ipſe quoque* (Chriſtus) *veritatem ſui Corporis & Sanguinis repræſentavit.*

Sanctus Auguſtinus libro decimo ſeptimo de Civitate Dei, capite vigeſimo, *Sacrificium ſecundùm Ordinem Melchiſedech, quod Chriſtus exhibuit, ſucceſſit omnibus veteris Teſtamenti Sacrificiis*. Si omnibus; ergo & *propitiatoriis*; quia in antiquo Teſtamento erant propitiatoria Sacrificia.

Theophilactus in caput quintum Epiſtolæ ad Hebræos: *dicitur Chriſtus Sacerdos in æternum; quia quæ in ſingulos dies fit, & in perpetuum futura eſt* OBLATIO *per Dei Miniſtros; ipſum habet Pontificem*, SACERDOTEM *Dominum, adeòque Hoſtiam ipſam*. Et in caput tertium ejuſdem Epiſtolæ, *Chriſtus manet in perpetuum* (inquit) *quum ſemper ſeipſum pro nobis offerre creditur per ſuos Miniſtros.*

OEcumenius in idem caput quintum, ad illa verba, Tu es Sacerdos in æternum, *non de eâ* (inquit) *quæ ſemel ab eo facta eſt*, OBLATIONE *dixiſſet* IN ÆTERNUM; *ſed reſpicit ad præſentes Sacrificos, per quos medios Chriſtus* SACRIFICAT & SACRIFICATUR; *qui etiam in myſtica Cœna modum illis tradidit hujuſmodi Sacrificii.*

Iſaiæ decimo nono: *In illa die erit* ALTARE *Domini in medio Ægipti*. Item ſexageſimo primo, *Vos autem* SACERDOTES *Domini vocabimini, Miniſtri Dei noſtri dicetur vobis*. Et ſexageſimo ſexto, *aſſumam ex eis* SACERDOTES & *Levitas, dicit Dominus*. Hæc autem prædici de Eccleſia Chriſti &

Digitized by Google

ſtatu Legis gratiæ; docent ipſimet prætenti Reformatores, in Argumentis ſeu Epitomis quas præfixerunt memoratis Iſaiæ capitibus, in ſuis verſionibus Genevenſibus.

Malachiæ primo, *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ: ab Ortu enim Solis ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Ibi Deus alloquitur Sacerdotes Synagogæ, & prædicit Legis Sacrificia finem habitura; iiſque novum aliquod eſſe ſufficiendum. Regula autem Scripturarum hæc eſt (ait Hieronymus) *Vbi manifeſtiſſima Prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare.* Atqui Malachias apertè loquitur de Sacrificiis propriè dictis, nimirum de Veteribus ceſſaturis, & de Novo ſubſtituendo; ergo Novum illud debet eſſe proprium. Nam impropriè dicta Sacrificia, ut Orationes, Laudes, Opera miſericordiæ, & ejuſmodi non ceſſarunt. Imò juxta Adverſarios non poteſt textus ille Malachiæ intelligi & exponi de futuris bonorum Operum Sacrificiis in nova Lege: quandoquidem doceant, *etiam Iuſtum in omni Opere bono peccare*; adeòque nulla Operum oblatio poſſit eſſe munda & Deo accepta. Subditur ejuſdem Malachiæ tertio capite, de Christo Domino. *Ipſe purgabit filios Levi, & erunt Domino offerentes Sacrificia.* Non dixit *filios Iuda*, per quos deſignantur Chriſtiani omnes: ſed dixit *filios Levi*, per quos ſignificantur ſoli Sacerdotes; ergo in Nova Lege datur Sacrificium aliquod Sacerdotibus proprium: nam bonorum Operum Sacrificia ſunt omnibus communia.

Danielis octavo & duodecimo prædicitur Anti-Chriſtus *ablaturus juge Sacrificium*: quæ quidem prædictio refertur à Chriſto Domino (Matthæi vigeſimo quarto) ad ejuſdem Anti-Chriſti tempora: ergo datur tale Sacrificium quod poſſit auferri. Nam cruentum Domini Sacrificium eſt peractum nec auferri poteſt. Neque intelligi poteſt de oblatione Sacrificii impropriè dicti: quia quum ſint *abbreviandi dies propter Electos*; neceſſariò ſequitur fu-

turos tunc Electos, qui bonorum operum Sacrificia offerant.

Denique quidquid eſt perfectionis in umbra ſeu figura, multò excellentiùs debet eſſe in eo cujus eſt umbra ſeu figura: atqui eſſe Sacrificium eſt perfectio quæ fuit in umbris ſeu figuris celebrationis Euchariſtiæ; multò igitur excellentiùs debet eſſe in ejuſdem Euchariſtiæ Celebratione. Probatur ſubſumptum, quia *Oblatio Melchiſedech* fuit *Sacrificium*, ut patet ex Geneſi. *Agnus* etiam *Paſchalis* ſacrificabatur, ut clarum eſt ex capite duodecimo Exodi, ubi dicitur: *Immolabit eum univerſa multitudo filiorum Iſrael.* Item ex Numerorum nono, *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuit; & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima ejus de populo ſuo: quia Sacrificium Domino non obtulit tempore ſuo.* Et Marci decimo quarto, *Primâ die Azymorum quando Paſcha immolabāt.* Ex Græco textu habetur, Sacrificabant, ut fatetur Calvinus in primæ ad Corinthios caput quintum.

Eadem Catholica veritas probatur ex teſtimoniis novæ Legis. Lucæ vigeſimo ſecundo, *Hoc eſt Corpus meum* (ait Chriſtus Dominus) *quod pro vobis datur:* id eſt offertur Deo Patri: *in remiſſionem peccatorum* Matthæi vigeſimo ſexto; & quidem *pro multis.* Hoc facite, id eſt, non Agnum Paſchalem, non Vitulos, non Arietes, Boves, aut alias Moſaïcas Victimas: ſed Hoc quod jam poſtremùm me facientem vidiſtis Facite. Hoc ipſum facite, non autem ſimile quid; ſed hoc ipſum quod feci. Panem & Vinum accipite, gratias agite, benedicite, pronuntiate conſecratoria verba, *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus.* Date & fundite, ſive offerte *in remiſſionem peccatorum pro vobis & pro multis.* Facite *in meam commemorationem*, ſeu in memoriam beneficiorum à me vobis præſtitorum: maximè autem, Paſſionis ac Mortis meæ, Redemptioniſque totius Generis humani: grato animo, non ſemel aut ad tempus breve; ſed continuò recolendo *donec veniam*, id eſt, ad Judicium finale peragendum revertar.

Digitized by Google

tar. Hoc igitur FACITE per vos ipſos, juxta poteſtatem quam nunc vobis tribuo, non ſolummodò Conſecrandi, Offerendi, Sacrificandi; ſed etiam alios Ordinandi; ut hoc Sacrificium, hæc mei memoria continuetur in Eccleſia, donec veniam. Unde S. Joannes Chryſoſtomus Homiliâ tertiâ de Proditione Judæ: *Sacerdotis verba proferuntur* (inquit) *ſed Dei virtute ac gratiâ, propoſita conſecrantur. Sicut illa vox* Geneſis primo, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, *ſemel quidem dicta eſt; ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem, operante natura: ita & vox iſta,* HOC EST CORPUS MEUM, HOC FACITE, *ſemel quidem à Chriſto dicta eſt; ſed per omnes menſas Eccleſiæ, uſque ad hodiernum diem, & uſque ad Chriſti Adventum præſtat* SACRIFICIO *firmitatem.*

Eodem Lucæ capite, *Hic eſt Calix novum Teſtamentum* (extremæ voluntatis meæ) *in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Clariùs ex Græco textu ſic redditur: *Hoc eſt poculum in Sanguine meo, quod pro vobis effunditur,* id eſt offertur. Nam EFFUNDI PRO, eſt offerri pro; liquida enim ſolent ſui effuſione offerri. Si ergo *poculum Sanguinis Chriſti,* in Cæna effuſum eſt pro hominibus, manifeſtum eſt ibi fuiſſe verùm realemque Sanguinem, quum vinum quod eſt duntaxat Sanguinis figura, non poſſit effundi, id eſt, offerri pro hominum ſalute.

Adde Sacrificii religionem eſſe ex *lege naturæ*; atqui *lex gratiæ* non abolevit *legem naturæ*; ergo nec Sacrificii religionem. *Minor* eſt certa, quia *Chriſtus Dominus non venit legem ſolvere, ſed adimplere,* Matthæi quinto. Probatur *Major*, tum ex *Sacrificiis Caïn & Abel*, Geneſis quarto: tum quia Pſalmo nonageſimo quinto Patriæ Gentium invitantur ad Sacrificandum, *tollite hoſtias, &c.* Et Auguſtinus libro decimo de Civitate Dei, capite quarto: *Nulla unquam tam barbara fuit Natio* (ait) *quæ Sacrificia non fecerit iis, quos putavit aut credidit aut finxit eſſe Deos*: tum denique quia innata hominibus infirmitas ſatis convincit ipſos Naturæ ſuperiori ſubditos eſſe, ejuſque agnoſcendum eſſe

ſe dominium. Nulla autem eſt aptior hujuſce dominii & ſubjectionis teſtificatio, quam per aliquod humanæ naturæ conveniens Sacrificium: hoc eſt, per rei externæ & ſenſibilis Oblationem.

Matthæi quinto, *Si offers munus tuum ad* ALTARE, *& ibi recordatus fueris quia Frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante* ALTARE, *& vade priùs reconciliari Fratri tuo.* At quibus hoc dicebat? Diſce ex eodem capite, *Aſcendit* JESUS *in montem, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos*: ac certè in ipſis docebat omnes Chriſtianos, apud quos proinde ſupponebat futura ALTARIA, quæ nunc à prætentis Reformatis ſubvertuntur & evertuntur, ut vel hoc ipſo oſtendant ſe non Chriſti, ſed Anti-Chriſti diſcipulos eſſe.

Ad Hebræos capite ultimo, *Habemus* ALTARE (ex Græco textu, SACRIFICATORIUM) *de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt.* Habemus, nos videlicet veri Chriſtiani Catholici, non ſolius Crucis, ſed & Euchariſtiæ ALTARE. Ita *S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus*, & alii Patres. *De quo* (ALTARI) *edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*, id eſt, Sacerdotes & Levitæ Aaronici, antiquæ ac antiquatæ Legis Cæremoniis Ritibusque, obſtinatiſſimè & pervicaciſſimè adhærentes. Neque enim Sacrificii Chriſtiani participes eſſe poſſunt, qui ab Eccleſiâ extorres ſunt. Hinc collige Euchariſtiæ Oblationem eſſe verè proprièque SACRIFICIUM novæ Legis: ubi enim ALTARE eſt, ibi etiam *Sacrificium, Victimam* & *Sacerdotem* eſſe neceſſe eſt; quum hæc omnia ad invicem referantur.

Actorum decimo tertio, ubi vulgata noſtra Editio habet: *Miniſtrantibus illis Domino*, Græcus textus utitur participio λειτȣργȣ́ντων. Et *Eraſmus Roterodamus*, quantumvis Eccleſiæ Romanæ Rituum Cenſor hypercriticus, & interdum irriſor tantùm non Lucianicus (ut patet ex ejus Dialogis, ex Moria & aliis Opuſculis) attamen Græcæ linguæ periſſimus, memoratum textum ſic vertit, SACRI-

Digitized by Google

SACRIFICANTIBUS *illis Domino*. Imò quod Latinis eſt MISSA; hoc Græcis eſt LITURGIA.

His adde Oblationis Corporis Chriſti mentionem fieri in *Concilio Nicæno* primo, Canone decimo quarto, in *Toletano* primo, decimo & undecimo, in *Bracarenſi* tertio, in *Carthaginenſi* etiam tertio, in *Antiſiodorenſi* & aliis.

Denique, ut Sanctos Patres Antiquiores commemorem, *S. Irenæus* libro quarto, capite trigeſimo ſecundo ſic ait: *Eum qui ex creatura eſt, panem accepit, & gratias egit, dicens,* Hoc eſt Corpus meum; *ac Calicem ſimiliter confeſſus eſt ſuum: & novi Teſtamenti* NOVAM *docuit* OBLATIONEM.

Hyppolitus Martyr in Oratione de Anti-Chriſto, *Venite* (inquit) *Pontifices & Sacerdotes, qui pretioſum Corpus & Sanguinem quotidie immolatis.*

S. Ambroſius in Pſalmum trigeſimum octavum: *Etſi nunc Chriſtus non videatur offerre, ipſe tamen offertur in terris, quum Corpus ejus offertur.* Et in caput primum Lucæ: *Quum ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur.*

S. Gregorius Niſſenus in Oratione de Reſurrectione, *Dominus præoccupans impetum Iudæorum, ſeipſum Victimam offert, idem ſimul* SACERDOS & AGNUS. *Sed dices mihi, quando hoc accidit? Tum quum ſuum Corpus ad comedendum, & Sanguinem ad bibendum, familiaribus dedit.*

S. Chryſoſtomus Homiliâ vigeſimâ quartâ in priorem ad Corinthios, *pro victimarum & pecorum cæde, ſeipſum offerendum præcepit*. Et Homiliâ decimâ ſeptimâ in Epiſtolam ad Hebræos: *In multis locis offertur, non plures Chriſti, ſed unus ubique Chriſtus, hîc & illic plenus exiſtens: unum Corpus, non multa Corpora.*

S. Auguſtinus libro quarto de Trinitate capite decimo quarto, *Quid gratius offerri aut ſuſcipi poſſet, quàm Caro Sacrificii noſtri Corpus effectum Sacerdotis noſtri?* Vide ſupra in *Methodo Converſiva*, paginâ 170. Unde Calvinus libro quarto Inſtitutionum capite decimo octavo Antiquiores Sanctos Patres reprehendit, *quòd repetitæ aut ſaltem renovatæ, immolationis faciem, eorum Cæna præ ſe ferebat*. Addit

pria Chriſti Domini, vel de alia: ſi de Carne Domini, ergo dedit pro nobis crucifigendam Carnem, quæ *non prodeſt quicquam*, fudit pro nobis Sanguinem, *qui non prodeſt quicquam*. Hoc autem non ſolummodò dicere; ſed vel cogitare, planè blaſphemum eſt. Si non intelligunt de Carne Domini, ſed de alia qualibet, quæ *non prodeſt quicquam*, niſi vivificetur participatione Carnis & Sanguinis Chriſti, ipſiusque Spiritus vivificantis; cur ergo Adverſarii hunc textum nobis objiciunt?

Denique pro eorumdem Adverſariorum Hæreſi vel tuenda vel confirmanda, nihil facit quod Chriſtus dixit; *Verba quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*. Imò potiùs hoc Domini pronuntiatum jugulat eandem Hæreſim; nam verba illa conſecrationis, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, Spiritus & vita ſunt, nimirùm cauſaliter; dum eorum virtute & efficaciâ, res inanimes ſcilicet panis & vini ſubſtantiæ convertuntur in Corpus & Sanguinem perfectiſſimè animata.

Quòd ſi Zuingliani & Calviniani contendant, *Verba quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*, habere hunc ſenſum, id eſt, *ſpiritualiter intelligenda ſunt & non literaliter*. Cur ergo adhibent veram & naturalem aquam ad baptizandum? Cur id quod dicit Chriſtus Joannis tertio (*niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*) non intelligunt ſpiritualiter? Certè ſi quis Novus Reformator exurgat in medio Fratrum, qui ſe Reformatos jactitant, & volens reformare Baptiſmum, dicat: *Spiritus eſt qui vivificat*, AQUA *non prodeſt quicquam*, ecce parata jam habet fundamenta apud ſuos, ut novam Hæreſim ſuperſtruat.

Oppoſitio tertia. Hæ propoſitiones, *Petra erat Chriſtus, ego ſum Vitis, ego ſum Oſtium, lapis angularis* & ejuſmodi, non ſunt ad literam & propriè intelligendæ; ſed impropriè & figuratè: ergo & hæ enuntiationes, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*.

Reſpondeo negando Conſequentiam. Multæ ſunt enim diſparitates.

Prima eſt, quòd in his *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, prædicata individuentur ſeu ſingularizentur (ut more dialectico loquar) per adjectionem pronominum poſſeſſivorum; adeoque metaphora non poſſit locum habere; in aliis autem ſupra oppoſitis metaphora poteſt ineſſe.

Secunda diſparitas eſt, quòd *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, ſint verba Teſtatoris ſeu condentis Teſtamentum: quæquidem verba debent propriè & ad litteram intelligi & accipi, niſi idem Teſtator expreſsè & manifeſtè ſignificaverit ſe impropriè aut metaphoricè loqui. In aliis autem verbis ſupra allatis non militat illa ratio.

Tertia diſparitas eſt, quòd his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, annexa ſit promiſſio unionis cum Chriſto, reſurrectionis & vitæ, facta iis qui dignè manducaverint & biberint. Ex oppoſito autem comminatio reatus, judicii & mortis, facta iis qui indignè comederint aut biberint. Adeòque verba eadem literaliter ſunt intelligenda & accipienda, ut certò ſciatur quid agendum ſit ad conſequendas promiſſiones, & ad præcavendas comminationes. In aliis enuntiationibus nihil ſimile reperitur.

Vide in *Methodo Converſiva* Oppoſitiones ſeu Objectiones ex Doctrina Sancti Auguſtini petitas & ſolutas à *pagina* 155. ad paginam 169.

Oppoſitio quarta, eſt Lutheranorum. Alia Sacramenta (inquiunt) conſiſtunt in uſu, eſtque illis idem eſſe & fieri; ergo Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit etiam in uſu, & conſequenter non debet aſſervari, neque etiam circumgeſtari in ſupplicationibus.

Reſpondeo Sacramentum Euchariſtiæ differre ab aliis, quòd ſit permanens, quamdiu ſpecies conſecratæ durant. Unde S. Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri de *Gorgonia Sorore*, ſic teſtatur: *Deſperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium Medicum confugit, atque intempeſtâ*

intempeſtâ noctè captatâ, *ad* ALTARE *cum fide procumbit: eumque qui ſuper ipſo honoratur, ingenti clamore invocat; atque omnia quæ unquam mirificè geſſerat, velut in memoriam ei revocat.* Hinc ediſcis aſſervatam fuiſſe Sacratiſſimam Hoſtiam in Altari, Fideleſque illuc accedere & cum fide ſolitos fuiſſe procumbere.

Quod attinet ad circumgeſtationem Euchariſtiæ in ſupplicationibus Catholicis, reflecte ARCAM portatam
Num. 4. fuiſſe humeris Levitarum per quadraginta annos in de-
1. Paral. ſerto, ſumma cum pietate & celebritate.
15. Eadem ARCA præcedebat populum, providens Ca-
Num. 10 ſtrorum locum, utique ad ſecuritatem & commodita-
Ioſué 3. tem. Ad ejus præſentiam exſiccatæ ſunt aquæ Jordanis, vel ut habet textus Hebraïcus, *exſiccata ſunt aquæ Iordanis à facie* ARCÆ *Fœderis Domini.*

In obſidione Hiericuntinâ fuit memorata Arca cir-
Ioſué 6. cumgeſtata ſeptem vicibus, ſeptem tubis clangentibus, toto armato exercitu præcedente, inermis autem vulgi multitudine ſubſequente, & tunc ingenti miraculo muri Urbis corruerunt.

2. Reg. 6. Tempore David deportata eſt in domum Obeth-Edom. Aderant triginta millia cum Rege, adhibitis Canticis & omnis generis inſtrumentis muſicis. Iterum autem poſt tres menſes delata eſt in Civitatem David cum gaudio, Rex ipſe *ſaltabat totis viribus ante Dominum, accinctus Ephod lineo; & David & omnis domus Iſraël ducebant* AR-
3. Reg. 8. CAM *Teſtamenti Domini in jubilo & in clangore buccinæ.* De-
Heb. 10. nique celeberrimâ totius Eccleſiæ proceſſione & concurſu adducta fuit ad Templum Salomonis. Atqui in his omnibus *umbram habuit lex futurorum bonorum*: quâ ergo veneratione & devotione oportet nos circumferre SacroSanctam Euchariſtiam (cujus figura fuit ARCA illa antiqui Teſtamenti) unde longè ampliora dona & beneficia habemus? Quòd ſi Deo gratus fuit honos exhibitus Chriſto Domino ingredienti in Hieroſolymam, *quando*
Luc. 19. *cadebantur rami, ſternebantur veſtes, acclamabatur Oſanna filio*
Ioan. 12. *David,*

David, benedictus qui venit in nomine Domini: quantumvis accepta erit Catholici populi devotio, quantumvis rideat Deo *Michol Reformata, & deſpiciat eum in corde ſuo?*

CAPUT VIII.

POSITIO CATHOLICA

De Novæ Legis Sacrificio.

In Miſſa offertur Deo verum & propitiatorium Sacrificium, pro Vivis & Defunctis.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

NOmine Sacrificii intelligunt Catholici *oblationem externam ſoli Deo factam, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis & profeſſionem divinæ Majeſtatis, à legitimo Miniſtro res aliqua ſenſibilis & permanens, ritu myſtico conſecratur & transmutatur.* Ita Bellarminus Tomo 2. Controverſiarum, libro primo de Miſſa, capite ſecundo, paginâ 947. Ingolſtadianæ Impreſſionis, typis Sartorii anno 1591. vide ibidem. Ubi etiam capite primo notat Missæ vocabulum eſſe antiquiſſimum & uſitatiſſimum in Eccleſia Latina. Nam *S. Ambroſius* libro quinto, Epiſtolâ trigeſimâ tertia: *Ego* (inquit) *manſi in munere*, Missam *facere capi, orare in* Oblatione *Deum, ut ſubveniret.* Extat idem Missæ nomen apud *Victorem Uticenſem* libro ſecundo de perſecutione Vandalica: apud *Caſſianum* libro tertio de Canonico divinarum Orationum & Pſalmorum ordine: apud Leonem Epiſtolâ 81. ad Dioſcorum, & 88. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ: apud *Fælicem IV.* Epiſtolâ primâ: apud *S. Benedictum* in Regula, capite decimo ſeptimo; apud *S. Gregorium Magnum* libro primo, Epiſtolâ duodecimâ, & libro quarto, Epiſtolâ decimâ.

Item in antiquiſſimis Conciliis, ut in *Romano* ſub Sylveſtro I. *In Carthaginenſi ſecundo*, canone tertio: in *Carthaginenſi quarto*, canone 84. in *Ilerdenſi*, can. 4. in *Valentino*, can 1. *Agathenſi* can. 47. & *Aurelianenſi* 1. canone 28.

Quòd *in Miſſa offeratur verum & propitiatorium Sacrificium, pro Vivis & Defunctis*; probatur ex prædictionibus in antiquo Teſtamento.

Pſalmo centeſimo nono, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* Quod exponens *Sanctus Hieronymus* in caput vigeſimum ſextum Matthæi ſic ait: *quomodò in præfiguratione* (Cœnæ Dominicæ) *Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecit; ipſe quoque* (Chriſtus) *veritatem ſui Corporis & Sanguinis repræſentavit.*

Sanctus Auguſtinus libro decimo ſeptimo de Civitate Dei, capite vigeſimo, *Sacrificium ſecundùm Ordinem Melchiſedech, quod Chriſtus exhibuit, ſucceſſit omnibus veteris Teſtamenti Sacrificiis.* Si omnibus; ergo & *propitiatoriis*; quia in antiquo Teſtamento erant propitiatoria Sacrificia.

Theophilactus in caput quintum Epiſtolæ ad Hebræos: *dicitur Chriſtus Sacerdos in æternum; quia quæ in ſingulos dies fit, & in perpetuum futura eſt* OBLATIO *per Dei Miniſtros; ipſum habet Pontificem,* SACERDOTEM *Dominum, adeòque Hoſtiam ipſam.* Et in caput tertium ejuſdem Epiſtolæ, *Chriſtus manet in perpetuum* (inquit) *quum ſemper ſeipſum pro nobis offerre creditur per ſuos Miniſtros.*

OEcumenius in idem caput quintum, ad illa verba, Tu es Sacerdos in æternum, *non de eâ* (inquit) *quæ ſemel ab eo facta eſt,* OBLATIONE *dixiſſet* IN ÆTERNUM; *ſed reſpicit ad præſentes Sacrificos, per quos medios Chriſtus* SACRIFICAT *&* SACRIFICATUR; *qui etiam in myſtica Cœna modum illis tradidit hujuſmodi Sacrificii.*

Iſaiæ decimo nono: *In illa die erit* ALTARE *Domini in medio Ægipti.* Item ſexageſimo primo, *Vos autem* SACERDOTES *Domini vocabimini, Miniſtri Dei noſtri dicetur vobis.* Et ſexageſimo ſexto, *aſſumam ex eis* SACERDOTES *& Levitas, dicit Dominus.* Hæc autem prædici de Eccleſia Chriſti &

ſtatu

ſtatu Legis gratiæ; docent ipſimet prætenti Reformatores, in Argumentis ſeu Epitomis quas præfixerunt memoratis Iſaiæ capitibus, in ſuis verſionibus Genevenſibus.

Malachiæ primo, *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ: ab Ortu enim Solis ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Ibi Deus alloquitur Sacerdotes Synagogæ, & prædicit Legis Sacrificia finem habitura; iiſque novum aliquod eſſe ſufficiendum. Regula autem Scripturarum hæc eſt (ait Hieronymus) *Vbi manifeſtiſſima Prophetia de futuris texitur, per incerta allegoria non extenuare.* Atqui Malachias apertè loquitur de Sacrificiis propriè dictis, nimirum de Veteribus ceſſaturis, & de Novo ſubſtituendo; ergo Novum illud debet eſſe proprium. Nam impropriè dicta Sacrificia, ut Orationes, Laudes, Opera miſericordiæ, & ejuſmodi non ceſſarunt. Imò juxta Adverſarios non poteſt textus ille Malachiæ intelligi & exponi de futuris bonorum Operum Sacrificiis in nova Lege: quandoquidem doceant, *etiam Iuſtum in omni Opere bono peccare*; adeòque nulla Operum oblatio poſſit eſſe munda & Deo accepta. Subditur ejuſdem Malachiæ tertio capite, de Chriſto Domino. *Ipſe purgabit filios Levi, & erunt Domino offerentes Sacrificia.* Non dixit *filios Iuda*, per quos deſignantur Chriſtiani omnes: ſed dixit *filios Levi*, per quos ſignificantur ſoli Sacerdotes; ergo in Nova Lege datur Sacrificium aliquod Sacerdotibus proprium: nam bonorum Operum Sacrificia ſunt omnibus communia.

Danielis octavo & duodecimo prædicitur Anti-Chriſtus *ablaturus juge Sacrificium*: quæ quidem prædictio refertur à Chriſto Domino (Matthæi vigeſimo quarto) ad ejuſdem Anti-Chriſti tempora: ergo datur tale Sacrificium quod poſſit auferri. Nam cruentum Domini Sacrificium eſt peractum nec auferri poteſt. Neque intelligi poteſt de oblatione Sacrificii impropriè dicti: quia quum ſint *abbreviandi dies propter Electos*; neceſſariò ſequitur fu-

turos tunc Electos, qui bonorum operum Sacrificia offerant.

Denique quidquid eſt perfectionis in umbra ſeu figura, multò excellentiùs debet eſſe in eo cujus eſt umbra ſeu figura: atqui eſſe Sacrificium eſt perfectio quæ fuit in umbris ſeu figuris celebrationis Euchariſtiæ; multò igitur excellentiùs debet eſſe in ejuſdem Euchariſtiæ Celebratione. Probatur ſubſumptum, quia *Oblatio Melchiſedech* fuit *Sacrificium*, ut patet ex Geneſi. *Agnus* etiam *Paſchalis* ſacrificabatur, ut clarum eſt ex capite duodecimo Exodi, ubi dicitur: *Immolabit eum univerſa multitudo filiorum Iſrael.* Item ex Numerorum nono, *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuit; & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima ejus de populo ſuo: quia Sacrificium Domino non obtulit tempore ſuo.* Et Marci decimo quarto, *Primâ die Azymorum quando Paſcha immolabāt.* Ex Græco textu habetur, SACRIFICABANT, ut fatetur Calvinus in primæ ad Corinthios caput quintum.

Eadem Catholica veritas probatur ex teſtimoniis novæ Legis. Lucæ vigeſimo ſecundo, *Hoc eſt Corpus meum* (ait Chriſtus Dominus) *quod pro vobis datur*: id eſt offertur Deo Patri: *in remiſſionem peccatorum* Matthæi vigeſimo ſexto; & quidem *pro multis.* HOC FACITE, id eſt, non Agnum Paſchalem, non Vitulos, non Arietes, Boves, aut alias Moſaïcas Victimas: ſed Hoc quod jam poſtremùm me facientem vidiſtis FACITE. Hoc ipſum FACITE, non autem ſimile quid; ſed HOC ipſum quod feci. Panem & Vinum accipite, gratias agite, benedicite, pronuntiate conſecratoria verba, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus.* DATE & FUNDITE, ſive OFFERTE *in remiſſionem peccatorum pro vobis & pro multis.* FACITE *in meam commemorationem*, ſeu in memoriam beneficiorum à me vobis præſtitorum: maximè autem, Paſſionis ac Mortis meæ, Redemptioniſque totius Generis humani: grato animo, non ſemel aut ad tempus breve; ſed continuò recolendo *donec veniam*, id eſt, ad Judicium finale peragendum revertar.

tar. Hoc igitur FACITE per vos ipſos, juxta poteſtatem quam nunc vobis tribuo, non ſolummodò Conſecrandi, Offerendi, Sacrificandi; ſed etiam alios Ordinandi; ut hoc Sacrificium, hæc mei memoria continuetur in Eccleſia, donec veniam. Unde S. Joannes Chryſoſtomus Homiliâ tertiâ de Proditione Judæ: *Sacerdotis verba proferuntur* (inquit) *ſed Dei virtute ac gratiâ, propoſita conſecrantur. Sicut illa vox* Geneſis primo, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, *ſemel quidem dicta eſt; ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem, operante natura: ita & vox iſta,* HOC EST CORPUS MEUM, HOC FACITE, *ſemel quidem à Chriſto dicta eſt; ſed per omnes menſas Eccleſiæ, uſque ad hodiernum diem, & uſque ad Chriſti Adventum præſtat* SACRIFICIO *firmitatem.*

Eodem Lucæ capite, *Hic eſt Calix novum Teſtamentum* (extremæ voluntatis meæ) *in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Clariùs ex Græco textu ſic redditur: *Hoc eſt poculum in Sanguine meo, quod pro vobis effunditur,* id eſt offertur. Nam EFFUNDI PRO, eſt offerri pro; liquida enim ſolent ſui effuſione offerri. Si ergo *poculum Sanguinis Chriſti,* in Cæna effuſum eſt pro hominibus, manifeſtum eſt ibi fuiſſe verùm realemque Sanguinem, quum vinum quod eſt duntaxat Sanguinis figura, non poſſit effundi, id eſt, offerri pro hominum ſalute.

Adde Sacrificii religionem eſſe ex *lege naturæ*; atqui *lex gratiæ* non abolevit *legem naturæ*; ergo nec Sacrificii religionem. *Minor* eſt certa, quia *Chriſtus Dominus non venit legem ſolvere, ſed adimplere,* Matthæi quinto. Probatur *Major,* tum ex *Sacrificiis Caïn & Abel,* Geneſis quarto: tum quia Pſalmo nonageſimo quinto Patriæ Gentium invitantur ad Sacrificandum, *tollite hoſtias, &c.* Et Auguſtinus libro decimo de Civitate Dei, capite quarto: *Nulla unquam tam barbara fuit Natio* (ait) *quæ Sacrificia non fecerit iis, quos putavit aut credidit aut finxit eſſe Deos*: tum denique quia innata hominibus infirmitas ſatis convincit ipſos Naturæ ſuperiori ſubditos eſſe, ejuſque agnoſcendum eſſe

ſe dominium. Nulla autem eſt aptior hujuſce dominii & ſubjectionis teſtificatio, quam per aliquod humanæ naturæ conveniens Sacrificium: hoc eſt, per rei externæ & ſenſibilis Oblationem.

Matthæi quinto, *Si offers munus tuum ad* ALTARE, *& ibi recordatus fueris quia Frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante* ALTARE, *& vade priùs reconciliari Fratri tuo.* At quibus hoc dicebat? Diſce ex eodem capite, *Aſcendit* JESUS *in montem, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos*: ac certè in ipſis docebat omnes Chriſtianos, apud quos proinde ſupponebat futura ALTARIA, quæ nunc à prætentis Reformatis ſubvertuntur & evertuntur, ut vel hoc ipſo oſtendant ſe non Chriſti, ſed Anti-Chriſti diſcipulos eſſe.

Ad Hebræos capite ultimo, *Habemus* ALTARE (ex Græco textu, SACRIFICATORIUM) *de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt.* Habemus, nos videlicet veri Chriſtiani Catholici, non ſolius Crucis, ſed & Euchariſtiæ ALTARE. Ita *S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus*, & alii Patres. *De quo* (ALTARI) *edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*, id eſt, Sacerdotes & Levitæ Aaronici, antiquæ ac antiquatæ Legis Cæremoniis Ritibuſque, obſtinatiſſimè & pervicaciſſimè adhærentes. Neque enim Sacrificii Chriſtiani participes eſſe poſſunt, qui ab Eccleſiâ extorres ſunt. Hinc collige Euchariſtiæ Oblationem eſſe verè propriéque SACRIFICIUM novæ Legis; ubi enim ALTARE eſt, ibi etiam *Sacrificium, Victimam* & *Sacerdotem* eſſe neceſſe eſt; quum hæc omnia ad invicem referantur.

Actorum decimo tertio, ubi vulgata noſtra Editio habet: *Miniſtrantibus illis Domino*, Græcus textus utitur participio λειτουργούντων. Et *Eraſmus Roterodamus*, quantumvis Eccleſiæ Romanæ Rituum Cenſor hypercriticus, & interdum irriſor tantùm non Lucianicus (ut patet ex ejus Dialogis, ex Moria & aliis Opuſculis) attamen Græcæ linguæ peritiſſimus, memoratum textum ſic vertit,

SACRI-

SACRIFICANTIBUS *illis Domino*. Imò quod Latinis eſt MISSA; hoc Græcis eſt LITURGIA.

His adde Oblationis Corporis Chriſti mentionem fieri in *Concilio Nicano* primo, Canone decimo quarto, in *Toletano* primo, decimo & undecimo, in *Bracarenſi* tertio, in *Carthaginenſi* etiam tertio, in *Antiſiodorenſi* & aliis.

Denique, ut Sanctos Patres Antiquiores commemorem, *S. Irenæus* libro quarto, capite trigeſimo ſecundo ſic ait: *Eum qui ex creatura eſt, panem accepit, & gratias egit, dicens*, Hoc eſt Corpus meum; *at Calicem ſimiliter confeſſus eſt ſuum: & novi Teſtamenti* NOVAM *docuit* OBLATIONEM.

Hyppolitus Martyr in Oratione de Anti-Chriſto, *Venite* (inquit) *Pontifices & Sacerdotes, qui pretioſum Corpus & Sanguinem quotidie immolatis.*

S. Ambroſius in Pſalmum trigeſimum octavum: *Etſi nunc Chriſtus non videatur offerre; ipſe tamen offertur in terris; quum Corpus ejus offertur.* Et in caput primum Lucæ: *Quum ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur.*

S. Gregorius Niſſenus in Oratione de Reſurrectione, *Dominus præoccupans impetum Iudæorum, ſeipſum Victimam offert, idem ſimul* SACERDOS *&* AGNUS. *Sed dices mihi, quando hoc accidit? Tum quum ſuum Corpus ad comedendum, & Sanguinem ad bibendum, familiaribus dedit.*

S. Chryſoſtomus Homiliâ vigeſimâ quartâ in priorem ad Corinthios, *pro victimarum & pecorum cæde, ſeipſum offerendum præcepit*. Et Homiliâ decimâ ſeptimâ in Epiſtolam ad Hebræos: *In multis locis offertur, non plures Chriſti; ſed unus ubique Chriſtus, hic & illic plenus exiſtens: unum Corpus, non multa Corpora.*

S. Auguſtinus libro quarto de Trinitate capite decimo quarto, *Quid gratius offerri aut ſuſcipi poſſet, quàm Caro Sacrificii noſtri Corpus effectum Sacerdotis noſtri?* Vide ſupra in *Methodo Converſiva*, paginâ 170. Unde Calvinus libro quarto Inſtitutionum capite decimo octavo Antiquiores Sanctos Patres reprehendit, *quòd repetitæ aut ſaltem renovatæ, immolationis faciem, eorum Cœna præ ſe ferebat.* Addit

 non

non poſſe excuſari veteres, quin peccaverint in modo actionis: *Imitati ſunt enim* (ait) *proprius Iudaïcum ſacrificandi morem, quàm aut ordinaverat Chriſtus, aut Evangelii ratio ferebat.* Sed quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat Calvinum hominem novum & Novatorem, meliùs noſſe quid ordinaverit Chriſtus Dominus, quàm tot Sanctiſſimos & Antiquiſſimos Eccleſiæ Patres, qui cum totis mille & quingentis, mille quadringentis, mille trecentis, mille & ducentis annis præceſſerunt?

OPPOSITIO HÆRETICA.

Prima, Unicus eſt in Lege nova Sacerdos nimirùm Chriſtus Dominus, ergo nullum eſt Sacrificium præter id quod ipſemet obtulit in Cruce. Probatur antecedens ex Epiſtolæ ad Hebræos capite ſeptimo; *Alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere: hic autem eoquòd maneat in æternùm, ſempiternum habet Sacerdotium. Vnde & ſalvare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Reſpondet Theodoretus in illam Epiſtolam ad Hebræos, his verbis; *Si Sacerdotium quod eſt ex Lege finem accepit; & Sacerdos qui eſt ſecundùm Ordinem Melchiſedech, obtulit Sacrificium, & effecit ut alia Sacrificia non eſſent neceſſaria: cur novi Teſtamenti Sacerdotes myſticam Liturgiam ſeu Sacrificium peragunt? Sed clarum eſt iis qui ſunt in rebus Divinis eruditi, nos aliud Sacrificium non offerre; ſed unius illius & ſalutaris* (in Cruce peracti) *memoriam peragere.*

Theophilactus in caput decimum ejuſdem Epiſtolæ ſic ait: *Quaret aliquis, num & ipſi ſine ſanguine* (id eſt incruento modo) *immolemus? Ita quidem; ſed Chriſti tunc reminiſcimur obitus, & una nobis eſt immolatio, non multa: Eundem enim ſemper offerimus. Quocirca conſtat utique unicum eſſe noſtrum Sacrificium; Legis verò multiplex: una eſt quæ offertur Hoſtia; hanc enim ſemper ut præſentem offerimus.*

OEcumenius in idem caput: *Quid igitur* (inquit) *nunquid*

quid etiam nos incruentas ſemper offerimus Hoſtias? Cæterùm unius ejuſdemque Mortis Chriſti meminimus: & unum atque idem Corpus edimus ſemper. Non enim modò quidem hujus Chriſti; modò verò alterius; ſed ſemper ejuſdem: at Iudæorum Hoſtiæ diverſas victimas continebant.

Reſpondeo ad textum Apoſtoli, velle ibi oſtendere quòd Sacerdotium Chriſti Domini ſit Legis Sacerdotio præferendum, factâ Summorum utriuſque partis Sacerdotum comparatione. Summi Sacerdotis Novæ Legis conditiones ſunt, ut à nullo dependeat, & alii de plenitudine ejus accipiant: ut ab omni peccato ſit prorſus immunis, ac proinde nulla pro ſemetipſo indigeat oblatione; adeòque ſit omninò perfectus & ſemper manens confirmet Sacerdotium. Summum talem Sacerdotem, ſolum Chriſtum Dominum confitemur cum Apoſtolo: ità tamen ut pro ſuâ providentia, dignitate & populi neceſſitate, certos aliquos divinorum Myſteriorum diſpenſatores & Miniſtros in Eccleſiâ ſua inſtituerit. Neque hoc negat Apoſtolus, dum ait: *hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Manet enim Chriſtus non ad tempus ut olim Aaron & ejus Succeſſores; ſed in æternum; quia nec alius Legiſlator, nec aliud Sacerdotium eſt expectandum.

Quòd verò ſubdit idem Apoſtolus *per ſemetipſum accedens ad Deum, ſalvare in perpetuum poteſt*: Senſus eſt, unum ac ſolum Chriſtum Dominum perſolviſſe pretium Redemptionis noſtræ. Unde non per alium Mediatorem; ſed per ſemetipſum ad Deum accedit, id eſt, nos redimit. Malè tamen hinc colligunt Hæretici, per alios ut Miniſtros, virtutem Paſſionis ejus nullo modo hominibus applicari. Convinci enim poſſunt ex ipſis Domini verbis, Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes, baptizantes, &c.* Joannis vigeſimo *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Item: *Hoc facite, &c.* Ex quibus & aliis locis luce meridianâ clarius eſt, Chriſtum Dominum per ſuos Miniſtros, applicantes Paſſionis ipſius merita, ſalutem ho-

Digitized by Google

minum operari. In quibus Miniſtris, perſona Chriſti Domini ſpectanda, ſuſcipienda & ſuſpicienda eſt, juxta illud Lucæ decimo, *Qui vos audit, me audit.*

Oppoſitio ſecunda deſumitur ex eodem Apoſtolo, capite nono, *Nec ut ſapè offerat ſeipſum, quemadmodùm Pontifex intrat in Sancta: ſed quemadmodùm hominibus ſtatutum eſt mori, poſt hoc autem judicium; ſic etiam Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundò apparebit expectantibus ſe in ſalutem.* Ergo ſufficit unicum Sacrificium cruentum ſemel oblatum: imò illud repetere, nihil aliud eſt quàm Chriſtum rursùs morte afficere.

Reſpondeo Apoſtolum ibi agere de cruento Sacrificio, quod ſemel & abſque repetitione oblatum ſufficere ad redemptionem, nemo Fidelium ambigit. Illud tamen idem Sacrificium ſemel in cruce peractum, meruit media applicandi ſuam efficaciam. Inter quæ media ſunt Sacramenta & Sacro-Sanctum Miſſæ Sacrificium, quod eſt ejuſdem Hoſtiæ immolatio, ſed alius immolandi modus. Quòd ergo *repetere Sacrificium, nihil aliud ſit quàm Chriſtum morte afficere*, abſurdiſſima eſt illatio. Nihil enim ampliùs patitur Chriſtus, neque ex applicatione Sanguinis *per Sacramenta* vel per Sacrificium, neque ex Oblatione quæ omninò incruentè peragitur.

Oppoſitio tertia petitur ex capite decimo, ubi dicitur, *Omnis Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens Hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens Hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, &c. Unâ enim Oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos.* Si Una conſummavit Oblatione, ergo non datur locus repetitioni.

Reſpondeo hinc potiùs ſequi, quòd illi Uni Oblationi non repugnet Miſſæ Sacrificium. Nam una iſta eadem Oblatio conſummavit in æternum Sanctificatos, ergo & omnes Electos à mundi principio. Atqui multitudo Sacrificiorum, quibus in lege (ſuo modo) applicabantur futuræ Paſſionis merita, uni illi Oblationi non repugnarunt, ergo nec Miſſæ Sacrificium.

Digitized by Google

Senſus autem Verborum Apoſtoli hic eſt, quòd nullum unquam in Lege veteri Sacrificium omnibus omninò ſuffecerit, adeòque opus fuerit repetere. Quum verò Oblatio in Cruce fuerit omnibus ſufficientiſſima, non debuit eodem modo repeti: alioqui oportuiſſet Chriſtum frequenter mortem oppetere; non negat tamen Apoſtolus, quin alio modo, nimirum incruento, & cum intentione applicandi illius efficaciam juxta Chriſti Domini inſtitutionem, debuerit repeti: quæ quidem repetitio non plùs repugnat Oblationi in Cruce, quàm repetitioni Sacramentorum.

Oppoſitio quarta: Melchiſedech fuit figura Chriſti Domini; atqui fuit ſine ſocio & ſine ſucceſſore, ergo & Chriſtus Dominus ſic eſſe debet. Reſpondeo Sacerdotium Chriſti eſſe æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech, præcellenti quâdā prærogativâ, quia à nemine dependet, & de plenitudine ejus accipiunt omnes: adeòq; unus ſolus Summus Sacerdos eſt, abſque ſocio & ſucceſſore. Hoc tamen non obſtat quin habeat Miniſtros & Diſpenſatores, qui Myſteria & remedia ab ipſo ad ſalutem inſtituta, non ad tempus (quemadmodum Aaronitæ) ſed uſque ad ſæculi conſummationem, Fidelibus longè majori efficaciâ adminiſtrent.

Oppoſitio quinta ex Confeſſione Auguſtanâ: Miſſa eſt inſtituta tantummodò ad recordationem & ſumptionem; non ergo ad propitiationem. Reſpondeo etiam eſſe inſtitutam ad propitiationem, ut patet ex Textibus ſuprà relatis: *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis datur. Hic eſt Sanguis meus qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.*

Oppoſitio ſexta ex Calvino libro quarto Inſtitutionum capite decimo octavo: Nihil poteſt eſſe propitiatorium, niſi quod à nobis Deo oblatum, efficit ipſum debitorem: atqui Cæna eſt potiùs Dei in nos donum, quàm noſtrum in Deum, ergo Cæna non poteſt eſſe propitiatoria. Reſpondeo, Deum nunquam fieri nobis debitorem, propriè loquendo.

Digitized by Google

loquendo. Quòd ſi quid acceptet ſub promiſſo retributionis, aut mercedis, aut præmii; non tam nobis debet quàm ſibiipſi, hoc eſt, veracitati & fidelitati ſuæ. Quòd etiam Cæna Dominica ſit propitiatoria, ſatis ſuperque oſtenſum eſt ſuprà.

CAPVT IX.

POSITIO CATHOLICA

De Peccato Originali & Iuſtificatione.

Amplectenda ſunt & recipienda omnia & ſingula, quæ de Peccato Originali & de Juſtificatione, definita & declarata fuerunt in Sacro-Sancta Synodo Tridentina.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

De peccato Originali (quo nihil ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum difficilius & ſecretius) acerrima fuit controverſia tempore Beati Auguſtini, inter Catholicos & Pelagianos; qui quidem Pelagiani negabant Originale peccatum. Sed ab eodem Auguſtino victi, convicti & debellati, à variis Conciliis & Pontificibus condemnati ſunt.

Prætenti Reformati in ſua Pſeudo-Fidei Confeſſione Gallicâ articulo decimo: *Credimus* (inquiunt) *totam Adami ſtirpem infectam eſſe ejuſmodi contagione, quæ eſt peccatum Originale, & vitium hæreditarium*. Articulo autem undecimo: *Hoc vitium* (aiunt) *eſt verè peccatum, quod ſufficit ad totum Genus humanum condemnandum uſque ad parvulos ex utero Matris, taleque coram Deo reputatur*. Mirum tamen eſt quod ibidem ſubdunt, videlicet hoc vitium etiam poſt Baptiſmum eſſe verè peccatum, quod attinet ad culpam contra illud expreſſiſſimum Actorum ſecundo capite: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine IESV Chriſti, in remiſſionem*

miſſionem peccatorum veſtrorum. Mirùm etiam quòd in forma adminiſtrandi Baptiſmi jubeant parvulos offerri, vel Dominicâ die ſub horam Catechiſmi, vel aliis diebus ſub Concionem; ut Sacramentum conferatur præſente populo congregato. Unde fit ut quandoque emoriantur ante ſuſceptum Baptiſmum, qui ad plebis uſque conventum differtur. Narrat Florimundus Remundus libro octavo de Ortu, Progreſſu & Occaſu Hæreſeon capite 11. numero 1. Miniſtrum quemdam nomine Hüebertum fuiſſe Hæreſeos accuſatum in Urbe Bernenſi anno 1595. eoquòd noctu infantem aliquem moribundum baptizaſſet: & Theodori Bezæ aliorumque Miniſtrorum judicio damnatum, Miniſteriatu excidiſſe. Si ergò (quod in ſuprà memoratâ Fidei Confeſſione credunt & aſſerunt) *peccatum Originale ſufficit ad totum genus humanum condemnandum uſque ad parvulos ex utero Matris*: quî fieri poterit ut infantes ſine Baptiſmo ex hoc ſæculo decedentes damnationem illam evadant? quum ex ipſius Chriſti Domini ſententiâ; Joannis tertio: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poſſit introire in regnum Dei.* Et ex Auguſtino Epiſtolâ vigeſimâ. *Quiſquis dixerit quòd in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam.*

Quod ad Juſtificationem attinet,

Dico primò. Sine Fide nulli unquam contingit Juſtificatio. Probatur ex Epiſtola ad Hebræos capite undecimo, *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Fides autem eſt vera cauſa Juſtitiæ, non autem nuda aut mera ejuſdem Juſtitiæ apprehenſio vel ſignificatio: ut patet ex Habacuc ſecundo: *Iuſtus in Fide ſua vivet.* Item ad Epheſios ſecundo, *Gratiâ ſalvati eſtis per Fidem.* Lucæ ſeptimo, *Fides tua te ſalvam fecit.* Ad Romanos primo, *Iuſtus ex Fide vivit.*

Dico ſecundò. Fides diſponens ad Juſtificationem non eſt ſolummodò aſſenſus ad Dei promiſſiones: ſed illud Dei donum ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter

Digitized by Google

aſſentitur omnibus quæ Deus revelavit & credenda propoſuit per Eccleſiam ſive illa ſcripta ſint ſive non ſint. Probatur ad Romanos decimo, *Si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris quòd Deus ſuſcitavit eum à mortuis, ſalvus eris.* Inde patet Fidem (quam Adverſarii vocant Hiſtoricam) eſſe ſalvificam. Joannis decimo ſeptimo, *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum.* Vides hic nihil promiſſionum objici Fidei. Novatores autem diſtinguunt triplicem Fidem, videlicet *Hiſtoricam, Promiſſionum & Miraculorum*: ſed Marci decimo ſexto dicitur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: & mox ſubditur, *Signa eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, &c.* Hinc facilè eſt intelligere Fidem quæ diſponit ad Juſtificationem eſſe tam Promiſſionum quàm Hiſtoricam; eandemque ſufficere ad Miracula. Adverte etiam aſſenſum eorum Myſteriorum quæ plenè non intelliguntur, eſſe nihilominus veram Fidem, quia ex primæ ad Corinthios decimo tertio, *Ex parte cognoſcimus.* Et ex ſecundæ ad eoſdem decimo. *Fides in captivitatem redigit omnem intellectum*; quomodò autem captivaretur intellectus, ſi omnia myſteria plenè intelligerentur? Itaque Fidei objecta ſunt quidem creditu neceſſaria, non autem ſcitu: & juxta Auguſtinum contra Epiſtolam Fundamenti capite quarto, *Fidelium turbam non vivacitas intelligendi, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.*

Dico tertiò. Præter Fidem, requiruntur in adultis aliæ diſpoſitiones ad Juſtificationem: nimirùm *Timor Dei*, juxta illud Eccleſiaſtici primo. *Qui ſine timore eſt non poterit Iuſtificari.* Item, *Spes veniæ*, ad Romanos octavo. *Spe ſalvi facti ſumus*: Item, *Pœnitentia*, Lucæ decimo tertio. *Niſi Pœnitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis.* Denique *Dilectio*, Joannis tertio, *Qui non diligit me manet in morte.* Et decimo quarto, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Dico

Dico quartò Fides ſine operibus non juſtificat: Jacobi ſecundo, *ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Quid proderit ſi Fidem quis dicat ſe habere; opera autem non habeat? nunquid poterit Fides ſalvare illum?* Primæ ad Corinthios decimo tertio: *Si habuero omnem Fidem ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Ad Galatas quinto, *In Chriſto IESV neque Circumciſio aliquid valet neque præputium: ſed Fides quæ per Charitatem operatur:* Auguſtinus ſermone decimo ſexto de verbis Apoſtoli, *A Fide incipit homo, ſed quia & Dæmones credunt, neceſſe eſt addere Spem & Charitatem.*

Dico quintò. Nemo abſque ſpeciali revelatione ſcire poteſt, vel Fide Divinâ credere ſe eſſe juſtificatum. Job nono, *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Pſalmo decimo octavo, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis mũda me; & ab alienis parce ſervo tuo.* Primæ ad Corinthios quarto, *Nihil mihi conſcius ſum ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Eccleſiaſtæ nono, *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta:* Proverbiorum vigeſimo octavo, *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus* & ad Philippenſes ſecundo, *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Dico ſextò. Fides poteſt manere ſeparata à Charitate, nec producit neceſſariò bona Opera daturque etiam reprobis, Joannis 12. *Multi ex Principibus crediderunt in eum, ſed non confitebantur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Unde patet eos in Charitate non fuiſſe, quantumvis crederent; ut notat Auguſtinus Tractatu 54. in Joannem ſub initium. In David Rege & Propheta erat Fides: ſed quænam Charitas, vel quænam Opera bona neceſſariò producebantur, dum Uxorem Uriæ adulterio pollueret & ipſummet Uriam occideret? Hinc Auguſtinus libro decimo quinto de Trinitate, capite decimo octavo. *Sine Charitate Fides poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe.* Denique Actorum octavo, *Simon* (Magus utique) *& ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet adhærebat Philippo.*

Digitized by Google

Dico ſeptimò. Fides ſemel habita poteſt amitti, Lucæ octavo, *Ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt.* Primæ ad Timotheum primo, *Quidam circa Fidem naufragaverunt:* & ibidem capite quarto, *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide attendentes ſpiritibus erroris.*

Dico octavò, Peccator à Deo motus & excitatus, ſeſe diſponit & præparat ad Juſtificationem, primi Regum ſeptimo, *Præparate corda veſtra Domino.* Proverbiorum decimo ſexto, *Hominis eſt præparare animam.* Primæ Joannis tertio, *Omnis qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe.* Adde Auguſtinum Sermone decimo quinto de Verbis Apoſtoli, ubi ſic ait: *Totum ex Deo; non tamen quaſi dormientes, non quaſi ut non conemur, non quaſi ut non velimus: ſine voluntate tua non erit in te juſtitia Dei. Qui fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te.*

Dico nonò, In Juſtificatione non teguntur peccata ſed tolluntur; Pſalmo centeſimo ſecundo, *Quantùm diſtat Ortus ab Occidente longè fecit à nobis iniquitates noſtras:* Longè facere iniquitates, non eſt tegere; ſed amovere. Michææ ſeptimo, *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Joannis primo *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ad Hebræos nono, *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad exhaurienda multorum peccata.*

Reflecte (*Benevole Lector*) non tegi ſeu cooperiri ea quæ tolluntur & exhauriuntur. Primæ Joannis primo, *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Et primæ ad Corinthios ſexto, *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis.* Certè ſi in aliqua domo ſordes tectæ ſeu coopertæ forent, nec emundata nec abluta domus dici poſſet.

Dico decimò, Deus in Juſtificatione infundit gratiam inhærentem, Actorum primo *Stephanus* dicitur *plenus gratiâ & fortitudine.* Ad Romanos quinto, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* *Charitas* (ait Auguſtinus libro de Spiritu & litera capite trigeſimo ſecundo) *non quâ nos ipſe diligit: ſed quia nos facit dilectores ſuos.* Porrò Eccleſia Catholica non dialecticè ex *diffuſione* illa gratiæ collegit

ejuſdem

ejuſdem gratiæ *inhærentiam*: ſed Spiritu Dei edocta intellexit, inhærentiam in illa diffuſione objectivè contineri. Ita ut ſit objectiva identitas ſenſus expreſſi per hæc, verba, *Charitas Dei diffuſa eſt in* cordibus noſtris, & *Charitas Dei inhæret cordibus noſtris.* Ad eoſdem Romanos octavo, *ſpiritus vivit propter juſtificationem*: atqui nihil magis eſt intrinſecum quàm vita; ergo juſtificatio non eſt extrinſeca ſeu imputatitia ut volunt Calviniani. Nam Joannis primo dicitur *Gratia & Veritas per* Jesum *Chriſtum facta*, non autem dicitur *imputata.* Et Matthæi quinto prædicantur à Chriſto Domino *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: & Joannis decimo ſeptimo, *Sanctifico meipſum ut ſint & ipſi ſanctificati in Veritate.* Quomodo autem *mundi corde*, quorum ſordes ſunt duntaxat coopertæ & contectæ? Quomodò *ſanctificati ſunt in Veritate*, qui non niſi extrinſecè, imputatitiè & imaginariè juſtificantur juxta Calvinianorum aliorumque hujuſce temporis Hæreticorum errorem?

Adverte Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos, Anabaptiſtas & ejuſcemodi, nullibi magis errare quàm in materia de Juſtificatione, & de mediis ad Juſtificationem; adeòque ad veram ſalutem: Deo juſtiſſimè permittente, ut qui ſuperbâ obſtinatâque animoſitate, tùm ab Eccleſia, tùm ab ejus conſuetis & tritis ſemitis receſſerunt, per invios & avios errorum anfractus, extremæ tandem perditionis miſerrimam ſortem (niſi reſipiſcant) experiantur. Vide ſuprà in *Methodo Converſiva, Seſſione decima quarta Auguſtiniana* à pagina 184. ad 189.

CAPUT X.

POSITIO CATHOLICA
De Purgatorio.

Conſtanter tenendum eſt eſſe Purgatorium; Animaſque ibi detentas, Fidelium ſuffragiis juvari.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

NOmine *Purgatorii* intelligunt Catholici ſtatum aliquem *non extremum* Beatitudinis perfectè adeptæ, nec etiam damnationis illatæ; ſed *medium*, in quo Juſtorum animæ necdum plenè purgatæ ſatiſpatiuntur. An autem illa *ſatiſpaſſio* fiat per ignis vel alterius agentis naturalis phyſicam Actionem à Deo ad hoc elevatam; an verò per intentionalem; utrum in terra vel ſupra, vel infra? nondum eſt definitum tanquam de Fide tenendum. Patiuntur quidem animæ quædam in Purgatorio, *veris ſed mitis modis*.

Quòd ſit *Purgatorium*; & illic pœnæ quædam ſubeantur, probatur ex Iſaiæ quarto, *Purgabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, ſpiritu judicii & ſpiritu combuſtionis.* Hunc locum de Purgatorii pœnis intellexit Auguſtinus libro vigeſimo de Civitate Dei capite vigeſimo nono.

Primæ ad Corinthios tertio, *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Sanctus Ambroſius hunc locum ſic exponit: *Quum Paulus dicat*, ſic tamen quaſi per ignem, *oſtendit illum quidem ſalvum futurum: ſed pœnam ignis paſſurum, ut per ignem purgatus, ſalvus fiat.* Et Sanctus Baſilius in caput nonum Iſaiæ, *Si per Confeſſionem detexerimus peccatum, jam ſuccreſcens gramen arefecimus, dignum planè quod depaſcatur ac devoret* Purgatorius Ignis.

Primæ

Primæ ad Corinthios decimo quinto, *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis ſi omnino mortui non reſurgunt, ut quid & baptizantur pro illis?* Nomine *baptiſmi* hìc intelligitur *pœna:* quemadmodum Marci decimo, & Lucæ duodecimo, *Quorſum autem ſubirentur pœnæ pro Defunctis, niſi ad purgatorias ſeu expiatorias eorum pœnas ſublevandas?* Matthæi quinto, *Amen dico tibi non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem.* Ibi fit mentio carceris ſubeundi ab aliquibus poſt hanc vitam: Sed in Inferno non redditur ultimus quadrans, nec inde unquam exitur; ergo hic textus intelligendus eſt de Purgatorio.

Matthæi duodecimo, *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro.* Explicat Sanctus Doctor Auguſtinus libro vigeſimo ſecundo de Civitate Dei capite vigeſimo quarto, his verbis: *Neque de quibuſdam veraciter diceretur*, quòd non eis remittatur neque in hoc ſæculo neque in futuro: *niſi eſſent quibus etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro.*

Vide ſuprà in *Methodo Converſiva* Seſſione decima ſexta Auguſtiniana à pagina 191. ad 194. & in *Methodo Defenſiva* pagina 411. & 412.

Ut autem conſtet qualis fuerit Eccleſiæ Primitivæ ſenſus & conſenſus, lubet hìc apponere Epiſtolam integram B. Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi & Martyris ad Clerũ & Plebem Furnitanorum in Aphrica, quæ talis eſt.

Cyprianus Præsbyteris, & Diaconibus, & Plebi FURNIS conſiſtentibus, Salutem.

Graviter commoti ſumus Ego & Collegæ mei, qui præſentes aderant, & Com-Præsbyteri noſtri qui nobis aſſiſtebant (*Fratres chariſſimi*) quum cognoviſſemus quod *Geminius Victor* Frater noſter de ſæculo excedens, *Geminium Fauſtinum* Præsbyterum Tutorem Teſtamento ſuo nominaverit: quum jam pridem in Concilio Epiſcoporum

rum ſtatutum ſit, ne quis de Clericis & Dei Miniſtris Tutorem vel Curatorem Teſtamento ſuo conſtituat. Quum ſinguli divino SACERDOTIO honorati, & cuncti in Clericali Miniſterio conſtituti, non niſi ALTARI & SACRIFICIIS deſervire, & Precibus atque Orationibus vacare debeant. Scriptum eſt enim: *Nemo militans Deo, implicat ſe moleſtiis ſæcularibus, ut poſſit placere ei cui ſe probavit.* Quod quum de omnibus dictum ſit, quanto magis moleſtiis & laqueis ſæcularibus obligari non debent, qui divinis rebus & ſpiritualibus occupati, ab Eccleſia recedere, & ad terrenos & ſæculares actus vacare non poſſunt? Cujus ordinationis & religionis formam Levitæ priùs in Lege tenuerunt, ut quum terram dividerent, & poſſeſſiones partirentur undecim Tribus, Levitica Tribus quæ Templo & Altari, & Miniſteriis divinis vacabat, nihil de illa diviſionis portione perciperet: ſed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum atque alimentum ſuum ab undecim Tribubus, de fructibus qui naſcebantur, decimas perciperet. Quod totum fiebat de authoritate & diſpoſitione Divina, ut qui operationibus divinis inſiſtebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare aut agere ſæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui in Eccleſia Domini ad Ordinationem Clericalem promoventur, nullo modo ab adminiſtratione Divina avocentur; ne moleſtiis & negotiis ſæcularibus alligentur, ſed in honore ſportulantium Fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab ALTARI & SACRIFICIIS non recedant, & die ac nocte Cæleſtibus rebus & Spiritualibus ſerviant. Quod Epiſcopi Anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter providentes, cenſuerunt, ne quis Frater excedens, ad Tutelam vel Curam Clericum nominaret; ac, ſi quis hoc feciſſet, non OFFERRETUR pro eo, nec SACRIFICIUM pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim ad ALTARE Dei meretur nominari in SACERDOTUM prece, qui ab ALTARI SACERDOTES & Miniſtros ſuos Levitas avocare voluit.

luit. Et ideò *Victor* quum contra formam nuper in Concilio à SACERDOTIBUS datam, *Geminium Fauſtinum* Præſbyterum auſus ſit Actorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione apud vos fiat OBLATIO;aut DEPRECATIO aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur; ut SACERDOTUM decretum religioſè & neceſſariò factum, ſervetur à nobis. Simul & cæteris Fratribus detur exemplum,ne quis SACERDOTES & Miniſtros Dei ALTARI ejus & Eccleſiæ vacantes, ad ſæculares moleſtias devocet. Obſervari enim de cætero poterit, ne ultro hoc fiat circa perſonam Clericorum, ſi quod nunc factum eſt, fuerit vindicatum. Opto vos Fratres chariſſimi ſemper bene valere. *Hæc Cyprianus.*

Reflecte (*Benevole Lector*) cujuſcumque tandem, ſive Religionis, ſive Sectæ fueris; dummodò animæ tuæ ſalus, dummodò veritas, aut ſaltem veritatis inquiſitio cordi tibi fuerit, & in mente tua vel tantilla rationis ſcintilla viguerit: Reflecte inquam

Primò, Hanc Epiſtolam deprομptam eſſe *ex Typographia Frobeniana* apud Baſileam, ſub hac Epigraphe ſeu Titulo: *Opera Divi Cæcilii Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis, ab innumeris mendis repurgata, ſemotis iis, quæ falsò videbantur inſcripta*: Adeoque editionem illam non poſſe ſuſpectam eſſe; quum OEcolampadius Lutheri Diſcipulus, ſed ab eo ad Zuinglium deficiens, Eccleſiam Baſileenſem occupaſſet; ut refert *Florimundus Remundus* libro ſecundo, capite octavo.

Reflecte ſecundò, Sanctum Cyprianum floruiſſe in Primitiva Eccleſia circa annum Domini ducenteſimum quadrageſimum nonum.

Reflecte tertiò, Beati Cypriani tempore (quo vel maximè florebat Eccleſia) fuiſſe *Sacerdotes & Altaria, Sacrificii celebrationem & oblationem pro dormitione Fidelium, qui nominabantur ad Altare in Sacerdotum prece.*

Reflecte quartò, Quid ſimile habeat prætenta Eccleſia Lutherana, Zuingliana, Calviniana, vel Anabaptiſtica.

Et hinc vide, perpende & expende quænam ſit Primitivæ Eccleſiæ conformior, utrum ROMANA, an verò illæ quas jam commemoravi?

OPPOSITIO HÆRETICA.

Prætenti Reformatores negant *Purgatorium* ea potiſſimùm de cauſa; quòd ſibi falsò perſuadeant derogatum iri Sacrificio Paſſionis & Mortis Chriſti, ejuſque ſatisfactionibus, ſi ejuſmodi admittatur animarum ſtatus aliquis, in quo vel pro ſe ſatiſpatiantur, vel alii pro iis ſatisfaciant.

Reſpondeo & quæro ab iiſdem Reformatoribus cur non putent ſe derogare Sacrificio Paſſionis & Mortis Chriſti ejuſq; ſatisfactionibus, dum in *precibus ſuis* publicis (quas nuncupant *Eccleſiaſticas*, & Catechiſmo ſuo, ac Fidei Confeſſioni præfigunt) hiſce verbis Sectatores ſuos monent: *Quia docet nos Scriptura, peſtes & bella aliaſq; ejuſmodi adverſitates eſſe Dei viſitationes, quibus peccata noſtra plectit: quando hæc inſtare ac imminere cernimus, tunc advertere debemus Deum nobis iratum eſſe. Quocirca ſi veri Fideles ſimus, agnoſcendæ nobis ſunt culpæ noſtræ, ut nobis ipſis in nobis diſpliceamus, & ad Dominum in pœnitentia & emendatione vitæ revertamur*? Quæro inquam cur doceant *peſte*, *bello* & aliis flagellis puniri peccata noſtra? Quare etiam ſubdant in memoratis Precibus Eccleſiaſticis *Deum nunc affligere homines ob crimina quæ ſuper terram committuntur*: Si aliunde credant Chriſtum Dominum ita ſatisfeciſſe pro peccatis (ſaltem Electorum) ut nihil ipſis luendum reſtet neque in hoc ſæculo, neque in futuro? Cur ipſe Paulus (*Vas* utique *Electionis*) CASTIGABAT CORPUS SUUM, primæ ad Corinthios nono? Quare primos Chriſtianos hortabatur ſecundæ ad eoſdem ſexto capite, *Ut exhiberent ſe ſicut Dei Miniſtros, in tribulationibus, neceſſitatibus, anguſtiis, plagis, laboribus, vigiliis & jejuniis*? Denique cur ipſemet qui ſatisfecit, tantoperè commendavit & prædicavit Pœnitentiam, voluitque *prædicari in nomine ſuo Pœnitentiam & remiſſionem*

Digitized by Google

miſſionem peccatorũ in omnes Gentes, Lucæ vigeſimo quarto? Satisfecit reverà & pleniſſimè ſatisfecit pro peccatis noſtris, pro pænis æternis quæ alioqui pro iis ſubeundæ forent; non tamen idcircò credendum eſt, aut vanâ quâdam fiduciâ præſumendum, quod nihil à nobis vel cooperandum ſit, vel temporaliter patiendum: Alias neutiquam dixiſſet Apoſtolus ad Coloſſenſes primo: *Gaudeo in paſſionibus pro vobis & adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea pro Corpore ejus quod eſt Eccleſia.*

CAPVT XI.

POSITIO CATHOLICA

De Invocatione Sanctorum, de eorum Reliquiis & Imaginibus, & de Indulgentiis.

Sanctos unà cum Chriſto regnantes, licitè pièque veneramur & invocamus: eorum Reliquias honoramus; Imagines habemus, retinemus & iis venerationem exhibemus: Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam, & illarum uſum Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe affirmamus.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

Anno 1633. in Urbe Limburgenſi, habita fuit Collatio publica de Cultu & Invocatione Sanctorum, inter Reverendum P. Matthiam Hauzeur, Recollectum Conventus Leodienſis, & D. Godefridum Hottonium Archi-Miniſtrum, Collationem Moderantibus Strenuiſſimo Domino de Ferentz ejuſdem Urbis Præfecto, & Per-Illuſtri Domino De Scheffart de Merode Toparcha de Clermont, ad continendas partes in Compromiſſo,

Digitized by Google

promiſſo,& Auditores (qui ad aliquot millia utrimque convenerant) in modeſtia debita.

Probavit idem Reverendus Pater Hauzeur licitum eſſe Sanctorum Cultum ac Invocationem, eo modo quo apud Eccleſiam Romanam eſt in praxi; nihilque ſubeſſe Idololatriæ in eodem Cultu ac Invocatione.

Probationes generales fuerunt ſequentes.

Prima, *State & tenete Traditiones quas accepiſtis, ſive per Sermonem ſive per Epiſtolam noſtram.* Secundæ ad Theſſalonicenſes ſecundo: atqui hæc eſt traditio & conſuetudo tam antiqua & generalis circa Cultum & Invocationem Sanctorum, ut non poſſit aſſignari alia ejus origo, quàm ab ipſo Eccleſiæ exordio (ſicuti patet ex Conciliis, SS. Patribus & praxi continua) ergo conſtāter eſt retinenda.

Secunda, Oportet ſemper eſſe unam veram Chriſti Eccleſiam, adeò conſpicuam ut *Audiri poſſit eiq; obtemperari* & adhæreri. Matthæi decimo octavo & Lucæ decimo. Oportet etiam adeò ſtabilem eſſe ut *Portæ Inferi non prævaleant adverſùs eam.* Matthæi decimo ſexto: *Sitque Columna ac Firmamentum Veritatis*, primæ ad Timotheum tertio: atqui talis non eſſet nec etiam fuiſſet, ſi tota & à tot ſæculis in errorem lapſa, perſtitiſſet in eodem errore circa Cultum & Invocationem Sanctorum: non eſt igitur error neque Idololatria; ſed potiùs Adverſariorum calumnia.

Tertia, Iſaiæ decimo nono, Ezechielis trigeſimo & trigeſimo ſeptimo, Zachariæ decimo tertio, Oſée ſecundo & alibi prædictum fuit ac promiſſum *Idololatriam per Chriſtu m fore abolendam.* Et ad Hebræos ſeptimo, Legem nov am & *Teſtamentum morte Teſtatoris firmatum, fore perpetuu m*; atqui non ſtarent prædictiones & promiſſiones illæ, ſi Eccleſia in Idololatriam cecidiſſet; falſiſſimum igitur eſt eam in Cultu ac Invocatione Sanctorum à tanto hactenus tempore Idololatraſſe.

Quarta, Unio Chriſti Domini cum Eccleſia eſt abſo-

lutiſſimum

luſtiſſimum & perfectiſſimum exemplar Conjugii Chriſtiani; & hoc eſt illius figura, ad Epheſios quinto & Oſée ſecundo: ſed officio fidelitatique ſuæ defuiſſet Sponſa ſi mœchata fuiſſet. Item defuiſſet & Sponſus, ſi non præſervaſſet ab adulterio ubicumque, quandocumque & quomodocumque potuiſſet; ergo neque Chriſtus Eccleſiæ Sponſæ ſuæ amantiſſimus & fideliſſimus nullibi & nuſquam permiſit eam in deteſtandum mœchiæ flagitium incidere; nec ipſa Sponſo ſuo hanc infamem irrogavit injuriam; ut ſemetipſam proſtitueret, & horrendâ Idololatriâ pollueret ac contaminaret.

Quinta, *Mementote Præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt Verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini Fidem*, ad Hebræos decimo tertio: Atqui *Præpoſiti qui nobis locuti ſunt Verbum Dei*, & quorum *nobis intuendus eſt exitus converſationis*, docuerunt Cultum & Invocationem Sanctorum, qualis eſt in uſu & praxi apud Eccleſiam Romanam: ergo hæc eorum Fides eſt nobis imitanda. Major eſt certa. Minor probatur tùm à Bellarmino tùm ab aliis Doctoribus Catholicis, qui particulariter & nominatim referunt ſucceſſionem Sanctorum Epiſcoporum, Patrum ac Doctorum in hac Fide & praxi.

Sexta, Chriſtus Dominus promiſit Sanctis Fidelibus teſtimonium ſignorum & miraculorum, Marci decimo ſexto, Joannis decimo quarto & alibi; citra limitationem vel reſtrictionem ad certum tempus aut determinatas perſonas: atqui non verificaretur hæc promiſſio, ſi miracula quæ referuntur ab Antiquis (maximè autem à Sancto Auguſtino, libro vigeſimo ſecundo de Civitate Dei, capite octavo) non eſſent vera, ſed falſa confictaque miracula: illa igitur quæ ad Sanctorum Stephani, Prothaſii & Gervaſii Martyrum Invocationem facta fuiſſe commemorat idem Auguſtinus, hoc ipſo probant licitam eſſe Invocationem illam, Deoque gratam: utpotè quæ ab ipſomet tot miraculis fuerit comprobata. Reverà de Beatiſſima Virgine Deipara, omnium Sancto-

rum Sanctiſſima, vix oſtendi poteſt quòd ulla unquam ediderit aut impetraverit miracula; niſi poſtquam in Cælum recepta, cæpit à Fidelibus coli ac invocari. Vel ergo impiè negare debent Adverſarii noſtri eandem Sacratiſſimam Dei Matrem nulla unquam impetraſſe miracula: vel ſi quæ agnoſcant fuiſſe impetrata; neceſſariò fateri debent non niſi mediante Cultu Invocationeque ipſius fuiſſe impetrata.

Particulares Probationes ſunt ſequentes.

Prima quidem Probatio, ex honore & Invocatione Sanctorum Angelorum, qualis refertur in Scripturis Sacris.

Geneſis decimo octavo, Abraham honorat, & pro Sodomitis orat Angelum qui repræſentabat Deum. Seu potiùs honorat & orat Deum ab eodem & in eodem Angelo repræſentatum.

Geneſis trigeſimo ſecundo, Jacob luctans cum Angelo, exorat & impetrat ab eo benedictionem. Et quadrageſimo octavo capite rogat Angelum ſuum his verbis, *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris iſtis: & invocetur ſuper eos nomen meum; nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac.*

Ioſué (capite quinto) *cadit pronus in terram*, *& adorat Angelum* (adoratione ſeu cultu duliæ) *Principem exercitus Domini.*

Daniel (capite decimo) honorat & orat Angelum qui revelat ipſi officia Angelorum circa populos ipſorum curæ commiſſos.

Zachariæ primo, Angelus inſtanter orat pro Hieruſalem.

Honores illi, Venerationes, Adorationes, ſeu *Cultus inferiores* Angelis exhibiti, nec politici ſunt: nec inſtitutioni Dei repugnant, nec Dei Gloriæ ejuſque Latriæ ſeu ejus cultui ſupremo derogant; imò plurimum conferunt: ergo cultus ille inferior & relativus (quem *Duliæ cultum* vocant

cant Theologi) poteſt Sanctis omnibus unà cum Chriſto regnantibus, & potiſſimùm Beatiſſimæ Virgini Matri exhiberi; quandoquidem Chriſtus Dominus Matthæi vigeſimo ſecundo aſſerat de ſanctis hominibus quòd *erunt ſicut Angeli Dei in Cælo.*

Denique in Novo Teſtamento, ipſemet Joannes (*quem diligebat IESVS*) invocat Angelos, Apocalypſis primo capite, his verbis: *Gratia vobis & Pax ab eo, qui EST, & qui ERAT, & qui Venturus eſt; & à ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu Throni ejus ſunt: & à IESV Chriſto, qui eſt Teſtis fidelis, Primo-genitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.*

Secunda Probatio fuit ex Invocatione vivorum pro aliis & ab aliis.

Moïſes Deuteronomii quinto & ad Galatas tertio, dicitur fuiſſe Arbiter & Mediator inter Deum & Populum (non utique *Mediator Redemptionis*, qualis eſt Unus Jesus) ſed Mediator interceſſionis.

Job ultimo, *Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem, iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut Servus meus Iob. Ite ad Servum meum Iob: orabit pro vobis; faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia: neque enim locuti eſtis ad me recta, ſicut Servus meus Iob.* Hinc patet longè falſiſſimum eſſe, quod prætenti Reformatores docent in ſuo Catechiſmo Dominicâ trigeſimâ quartâ, nimirum *Deum non attribuiſſe Sanctis officium nos juvandi, nobiſque ſubveniendi.* Cur enim Deus amicos Job ad ipſummet Sanctum Job remittit; utique cum aſſeveratione & promiſſione tùm exauditionis, tùm remiſſionis peccati, ubi idem Sanctus Job oraverit pro ipſis? ſi dicant Adverſarii, *licitum quidem eſſe ut vivi pro vivis orent: imò vivi vivos interpellent, deprecentur, exorent ad deprecandum & intercedendum orationibus ſuis ad Deum; ut orationibus ipſorum precibuſque adjuventur: ſed nentiquam licere ut ad Sanctos jam vitâ functos, ſeu potiùs ad ipſorum Animas unà cum Chriſto regnantes recurrant:* quandoquidem

doquidem in præmemorato Catechiſmo, eâdem Dominicâ trigeſimâ quartâ dogmaticè ſtatuant SOLUM DEUM ESSE INVOCANDUM; reverà nihil refert ſive Sanctus quiſpiam hic adhuc ſuperſtes, ſive hac vita temporali functus ad deprecandum ſeu interpellandum pro nobis invocetur. Etenim juxta prætentum Reformatorum placitum. SOLUS DEUS NON INVOCABITUR. Et conſequenter ipſemet condemnabitur, vel ſaltem contradictionis redarguetur à Calvinianis; quòd amicos Job remiſerit ad eundem Job ad deprecandum pro ipſis. Condemnabuntur quotquot unquam aliorum Precibus, Orationibus, Suffragiis, ſeſe vel ſuos commendarunt; uti pluries fecit Paulus Apoſtolus in Epiſtolis ſuis aliique etiam Sanctiſſimi, & nunc faciunt plurimi Chriſtianiſſimi.

Tertia Probatio fuit ex Sacræ Scripturæ teſtimoniis expreſſis pro Sanctorum *etiam defunctorum* Invocatione.

Geneſis quadrageſimo octavo, *Nomen meum & nomen Patrum meorum Abraham & Iſaac invocetur ſuper eos*: ait Jacob orans & benedicens filiis Joſeph.

Exodi trigeſimo ſecundo, *Recordare Abraham & Iſaac ſervorum tuorum*, ait Moïſes.

Daniel (capite tertio) *Ne auferas Miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, &* Iſraël ſanctum tuum.

Jeremiæ decimo quinto capite, dicit Dominus, *Si ſteterit Moïſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

Quid autem eſt, *ſi ſteterint coram me*, niſi *interpellando, orando obſecrando, intercedendo, mediando*? Ad quid enim aliud *ſtarent Moïſes & Samuel*, tanti Dei amici, niſi ut *anima Dei* (*quæ non erat ad populum iſtum*) ipſis orantibus, deprecantibus, intercedentibus, exorantibus, *eſſet ad populum iſtum*?

Lucæ

Lucæ decimo ſexto, Chriſtus Dominus (vel hiſtoricè vel parabolicè à conſuetis) introducit Divitem qui Abrahamum pro ſe & quinque fratribus ſuis orabat.

Secundæ Petri primo capite, idem Apoſtolus morti vicinus promiſit *ſe daturum operam, & frequenter habiturum Fideles poſt obitum ſuum, ut eorum quæ monuerat memoriam facerent.* Quum enim eoſdem Fideles *ſuſcitaſſet in commonitione, & ſciret velocem eſſe depoſitionem tabernaculi ſui, prout Dominus IESVS ſignificaverat ipſi*, pollicebatur operam ſuam poſt obitum, quam non ita præſtare poterat morte jam inſtante.

Sic intellexit Sanctus Chryſoſtomus dum Oratione in Principes Apoſtolorum promiſſionem illam commemorat, eâque fretus ac innixus illos invocat.

Vide latiùs, tùm in ipſa Collatione Leodii edita, tùm in Exorciſmis Catholicis ejuſdem Reverendi Patris Hauzeur contra Hottonium, tùm etiam in Equuleo Eccleſiaſtico adversùs Samuelem Mareſium.

Oppoſitiones Hottonianæ Hæreticæ.

Prima, Quicumque honorem ſoli Deo debitum transfert ad creaturam, eſt Idololatra. Atqui Papiſtæ religiosè invocando Sanctos, honorem ſoli Deo debitum transferunt ad creaturas; quia proteſtâtur eoſdem Sanctos inſtâr Dei ſcire omnia; etiam ſecreta cordium: alioqui fruſtra invocarent. Unde tertii Regum octavo de Deo dicitur, *Quia tu ſolus noſti corda omnium filiorum hominum*, redditurque ibi cauſa Invocationis; quæ quum ſoli Deo conveniât, ſequitur ipſum ſolum invocabilem eſſe.

Reſponſum eſt ab eodem Reverendo Patre Hauzeur negando ſubſumptum: Cujus negationis rationem rogatus à memorato Hottonio Archi-Miniſtro ibidem hærente, reddidit hanc triplicem. *Primò*, Quia ſufficit ut Sanctus invocatus habeat notitiam ſolius invocantis ac invocationis, ex revelatione Dei. *Secundò*, Quia quamvis Sanctus ex revelatione, aut ſpeculo Eſſentiæ divinæ haberet

beret notitiam cordium; ejuſmodi notitia non eſſet ad inſtar Scientiæ divinæ, quæ eſt infinita: adeòque invocare Sanctos ut talem notitiam habentes non eſſet honorem ſoli Deo debitum transferre ad creaturas. *Tertiò*, Quia Sanctorum à nobis Invocatio, & pro nobis Oratio; non exigit neceſſariò ullam eorum de nobis notitiam: ſed ſolius Dei applicantis Orationes Sanctorum invocantibus eos.

Ad prolatum Scripturæ locum, videlicet tertii Regum octavo, reſponſum fuit non reddi ibi rationem totalem, ſed partialem dumtaxat, non ſimplicis invocationis; verùm & invocationis, & exauditionis pro remiſſione peccatorum, quæ requirit ſpecialem notitiam diſpoſitionis internæ. Hottonius autem defectu tùm materiæ tùm formæ argumentandi, ad ſingula hallucinans, reſpondit inde præſupponi invocationem aliquam inferiorem divinâ, quam quum idem Hottonius negaret, petiit eam ſibi probari. Sed Replicavit *Reverendus Pater Hauzeur* ejuſcemodi invocationem inferiorem & relativam omninò ſupponi ex ipſa praxi totius Eccleſiæ, longè aliter invocādi Deum quàm Sanctos. Neque eſſe Catholicorum (qui ſunt in poſſeſſione ab immemorabili tempore) eam probare: ſed incumbere Adverſariis onus reprobandi, ſi poſſint, vel ſaltem fateantur ſe non poſſe reprobare, & tunc gratìs ac ultrò ipſis probabitur.

Secunda Oppoſitio Hottoniana, Deus ſibi ſoli tribuit honorem Invocationis religioſæ, præcipiens ſe ſolum invocari, Pſalmo 49. *Invoca me in die tribulationis.* Item Matthæi ſexto, *Quum oraveritis dicite Pater noſter*, *&c.* Ita ut nequeat produci ex tota Scriptura Sacra ullum mandatum, promiſſio, aut exemplum alterius invocationis.

Reſponſum fuit negando aſſumptum. Ad Scripturæ Textus prolatos, dictum fuit eſſe quidem affirmativos pro Invocatione Dei; ſed nullam involvere negationem Invocationis Sanctorum. Quod attinet ad *mandata* vel *promiſſiones* vel *exempla*, reſponſum fuit *primò*, Non omnem

item praxim Chriſtianam eſſe ſub præcepto; ſed multas ſub conſilio. *Secundò*, Sufficere mandatum obediendi Eccleſiæ ejuſque Prælatis poteſtatem habentibus, Lucæ decimo & Matthæi decimo octavo. Quam quidem poteſtatem exercuerunt Apoſtoli, dum præceperunt *abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato*, Actorum decimo quinto. Præterquam quod præceptum honorandi quemlibet juxta ſtatum ſuum, ad Romanos decimo tertio, obliget etiam ad honorandos Sanctos, honore proportionato amicitiæ & meritis eorum apud Deum. *Tertiò*, Quod attinet ad *promiſſiones annexas Invocationi Dei*, Joannis 15. & 16. Lucæ 11. & alibi, potiùs conveniunt Invocationi Dei *mediatè* per Chriſtum & Sanctos, quàm *immediatè*. Deinde extat Beati Petri promiſſio (de qua ſuprà) *habendi poſt mortem ſuam Fideles in memoria*, utique ad eos commendandos. *Quartò denique*, Sufficit *exemplum Patriarchæ Iacob, deprecantis ut Angelus benedicat filiis Ioſeph, & ut nomen ſuum & Patrum ſuorum invocetur ſuper eos*, Geneſis 48.

Tertia Oppoſitio Hottoniana, Fideles Novi & Antiqui Teſtamenti detulerunt ſoli Deo honorem Invocationis, ergo crediderunt ei ſoli deferri poſſe. Reſpondit Reverendus Pater Hauzeur, antecedens concedi poſſe, ſi intelligatur de honore Invocationis religioſæ deferendo ſoli Deo finaliter & ſupremè: non autem de honore Invocationis immediatè ipſi exhibendo; ita ut ab honoris religioſi participatione excludantur alia omnia. Nam Arcæ Teſtamenti, Templo, Sacerdotibus honor religioſus deferebatur, & ad Deum tanquam in iis repræſentatum referebatur. Hoc ergo nihil derogabat honori Dei: quemadmodùm honos à gregario milite exhibitus Centurioni vel Tribuno non derogat honori Principis.

Quarta Oppoſitio Hottoniana, Potior Dei cultus conſiſtit in Invocatione: unde Geneſis quarto dicitur *Cœptum invocari nomen Domini*. Et Joëlis ſecundo, *Quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*. Ergo Invocatio ſoli Deo competit.

Reſpon-

Reſponſum fuit à memorato *Patre Hauzeur*, Antecedens verum eſſe de Invocatione per *Sacrificium*, quod Deus ſibi ſoli reſervavit, in ſignum honorarium ſupremi honoris ſibi debiti, titulo excellentiæ abſolutiſſimi Dominii cæterarumque perfectionum divinarum, & noſtræ ab eo omnimodæ dependentiæ. Non autem de quacumque alia vel mentali vel vocali Invocatione.

Quinta Oppoſitio Hottoniana, Quicumque invocatur, eo ipſo agnoſcitur Scrutator cordium, ſummum bonum, origo bonorum omnium, omnipotens, ubique præſens: atqui illa ſunt ſolius Dei propria ex tertii Regum nono, Jacobi primo, ad Epheſios tertio, & aliunde, ergo ſolus Deus eſt invocandus.

Reſponſum fuit *negando Majorem*: quia forma invocandi Sanctos ut pro nobis orent, eſt proteſtatio expreſſa oppoſiti. Unde Scripturæ in argumento allatæ nihil faciunt contra Invocationem.

Sexta Oppoſitio Hottoniana, Papiſtæ invocando Sanctos, adorant eos; contra illud Matthæi quarto, *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies*: ergo Papiſtæ ſunt Idololatræ.

Reſponſum fuit negando aſſumptum. Papiſtæ enim non adorant Sanctos *adoratione Latriæ* ſeu cultu ſupremo & irreferibili; ſed cultu aliquo inferiori & ad Deum finaliter relato. Matthæi autem quarto Chriſtus Dominus hoc dicebat Diabolo tentanti & dicenti, *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me*. Ibi enim volebat Dæmon ſe adorari tanquam Deum.

Septima Oppoſitio Hottoniana, *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt*? ait Apoſtolus ad Romanos decimo. Atqui in ſolum Deum eſt credendum: ergo & ſolus Deus invocandus.

Reſponſum fuit ad Majorem, hunc eſſe Paulinæ ſententiæ ſenſum, *Quomodò invocabunt illum*, videlicet ut Deum, *in quem* tanquam in Deum, *non crediderunt*? Quum enim immediatè ante Paulus dixiſſet *non eſſe diſtinctionem*

Iudæi

Iudæi & Græci, eundemque eſſe omnium Dominum, divitem in omnes qui invocant illum, & omnem quicumque invocaverit nomen ejus, ſalvum fore: Mox ſubdidit, *quomodò invocabunt in quem non crediderunt*, nimirum ut Deum? Itaque accommodatè ad hunc textum dici potuit, *quomodò invocabuntur Sancti, niſi credantur eſſe Sancti, & amici Dei?*

Adverte (*Benevole Lector*) potuiſſe objici ab *Hottonio*, ex mente plurimorum Doctorum Catholicorum non eſſe credendum Fide divinâ, Patrem noſtrum *Franciſcum* (exempli causâ) nec Ignatium Societatis Fundatorem, *eſſe Sanctos*: quandoquidem eorum Canoniſatio pendeat *à quamplurribus rebus facti*, in quibus & Pontifex, & ipſa Eccleſia errare poteſt; quandoquidem *infallibilitatem in ſolis quæſtionibus Iuris*, hoc eſt, *in doctrinâ Fidei & Morum*, ſtatuamus. Attamen hanc objectionem non movit *Hottonius*. Et ſi moviſſet, potuiſſet reſpondere *Reverendus Pater Hauzeur* (utique *Theologus eminentiſſimus*) multò plures Catholicos Doctores in ea eſſe ſententia, ut velint non poſſe errari, in proponendo Sancto aliquo, toti Eccleſiæ colendo: quum dicat Apoſtolus ad Hebræos decimo tertio capite, *Mementote Præpoſitorum veſtrorũ, qui vobis locuti ſunt Verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini Fidem.* Juxta verò præfixam illam *ab Apoſtolo* regulam, nunquam procedit Eccleſia illiusq; Pontifex ſeu *Præpoſitus*, niſi recolat eos *qui nobis locuti ſunt Verbum Dei*; niſi *intueatur qualis fuerit exitus converſationis* eorum: Et tunc *proponit eorum Fidem imitandam.* Hoc (inquam) potuiſſet reſponderi; ſed quum *R.P. Hauzeur*, compromiſſo publico ſeſe obligaſſet & obtuliſſet *Hottonio, Calviniano Archiminiſtro*, ad ejus objectiones ſeu oppoſitiones ſolvendas & revincendas, noluit extra metas præfixas exilire & divagari.

Ad *Minorem* ejuſdẽ *Argumenti* ſeu *Oppoſitionis* 7. reſponſum fuit, *credi quidem Deo ſoli*, ut *formali objecto Fidei*: & *credi in ſolum Deum*, ut finem ultimum: Sanctos tamen credi, *ut objecta materialia & ſecundaria*. Imò eodem ſenſu *credi etiã in Sanctos*, ex Epiſt. B. Pauli ad Philemonem, verſu 5.

Octava Oppoſitio Hottoniana, Objectum Religionis eſt ſolus Deus: ergo ei ſoli debetur religioſæ Invocationis cultus.

Reſpondit Reverendus P. Hauzeur, Deum non eſſe objectum immediatum Religionis, ſed ipſius honorem. Porrò Sanctorum Invocatio eſt honor Dei in iiſdem Sanctis: & conſequenter præmemoratorum Sanctorum Invocatio, eſt ejuſdem Religionis objectum ſecundarium & mediatum, in primario & immediato contentum.

Nona Oppoſitio Hottoniana, Quicumque ſerviunt religioſè iis qui naturâ non ſunt Dii, Idololatræ ſunt; ad Galatas 4. Atqui Papiſtæ ſerviunt religioſè Sanctis, qui naturâ non ſunt Dii; ergo Papiſtæ ſunt Idololatræ.

Reſpondit præmemoratus P. Hauzeur, Majorem illam intelligendam eſſe de ſervitute Latriæ: non autem de quovis obſequio religioſo inferiori. Papiſtæ autē non colunt Sanctos Cultu Latriæ ſupremo ac irreferibili; ſed Cultu inferiori & referibili, ac etiā relato in ipſum Deum. Quemadmodum ſi ſupremus Princeps vetaret, ne quis ſubditorum ſuorum ulli alteri militaret niſi ſibi: non infringeret præceptum ſubditus, qui ſub aliquo ejuſdem Principis Præfecto ſeu Duce, aut Tribuno militaret. Hactenus famoſa illa & celebris Collatio Limburgenſis, in qua Hottonius planè mutus & elinguis hæſit; plurimiq; Spectatores & Auditores non nihil circa Fidem vacillantes, poſtmodùm ex illa eadem Collatione in Catholica Religione confirmati ſunt, & Limburgenſis Ditionis Populus longè quàm antea ferventior effectus eſt.

Quod attinet ad *Sacras Imagines & Sanctorum Reliquias,* vide ſupra in *Methodo Defenſiva,* ad Quæſtiunculam X. & XI. Molinæi, à pagina 414. ad 416. De Indulgentiis autem vide in eadem *Methodo,* ad Quæſtiunculam XVI. à pagina 429. ad 431.

Addo Controverſiam *de Imaginibus* fuiſſe definitam ac deciſam in Concilio Generali Nicæno ſecundo, ſub annum Domini 787. circa quod advertendum eſt.

Primò,

Primò, Indictum fuiſſe Concilium illud Authoritate Adriani Summi Pontificis.

Secundò, Trecentos & quinquaginta Epiſcopos tùm ex Orientali ſeu Græca Eccleſia, tùm ex Occidentali ſeu Latina adfuiſſe ac interfuiſſe, cum ipſomet Patriarcha Conſtantinopolitano, & Legatis Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni & Hieroſolimitani. Ita ut tunc veriſſimè dici poſſet quod legitur Baruch quinto: *Exurge Hieruſalem, & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem.*

Tertiò, Advertendum eſt, tot tantosque Eccleſiæ Epiſcopos ac Patres *conveniſſe ut viderent de verbo hoc*, id eſt, *de Imaginibus* adversùs illius temporis *Iconomachos*, qui ſacrarum Imaginum uſum, non ex Patrum Traditione; ſed ex Diabolicarum inſidiarum adinventione exortam eſſe calumniabantur. Et quicquid habent Scripturæ Sanctæ adversùs Idola, hoc omne tanquam contra Imagines dictum arripiebant & uſurpabant: indeque Catholicis velut *Idololatris* aut *Iconolatris* inſultabant.

Tandem poſt lectam publicitùs Conſtantini Auguſti Epiſtolam, quâ teſtabatur Paulum Patriarcham ſub mortem dixiſſe anathema Iconomachis. Poſt narratam probatamque hiſtoriam de Imagine Crucifixi, quam Judæi Berytenſes prope Tyrum poſt multa opprobria, tandem lanceâ transfixerant, indeque tanta ſanguinis copia effluxerat, ut ferè per omnes Orientis, Occidentisque Eccleſias diſtribueretur, & iidem Judæi Berytenſes hoc miraculo commoti ad Fidem Chriſtianam converterentur. Denique poſt diſcuſſas omnes Iconomachorum objectiones, & examinata ac ſoluta argumenta; VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET IPSIS, Sacrarum Imaginum uſum eſſe licitum, pium, & in Eccleſia retinendum.

De his fuſiùs egi in duobus Libellis Leodii editis adversùs Henricum Chroüetium Miniſtrum Ulnenſem; & in Apologetico etiam Leodii edito pro honore & invocatione B. Virginis contra Joannem Nicolai Apoſtatam.

CAPVT XII.

POSITIO CATHOLICA *De Eccleſia Romana.*

Sancta, Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra agnoſcenda eſt: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jesu Christi Vicario vera obedientia præſtanda eſt.

EXPOSITIO ET PROBATIO.

Egimus ante de Eccleſia & de ejus Notis, oſtendimuſque à pagina 470. ad 492. Eccleſiam eſſe *Unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam:* nunc verò de eâdem loquimur, prout *Romana* eſt, & *in ea ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*; ut ait Auguſtinus Epiſtola 162. & Sanctus Ambroſius in oratione de obitu Satyri Fratris ſui: *percontatus eſt Epiſcopum* (inquit) *an cum Epiſcopis Catholicis, id eſt an cum Eccleſia Romana ſentiret.* Hanc Eccleſiam, id eſt Romanam, eſſe matricem & radicem totius Catholicæ Eccleſiæ, aſſerit Cyprianus libro quarto Epiſtolâ octavâ. Et Iulius I. Epiſtolâ primâ ad Orientales, vocat Beati Apoſtoli Petri Sedem, Sacerdotalis Matrem dignitatis, & Eccleſiaſticæ Magiſtram rationis.

Romana Sedes hoc habet divinitus ſibi conceſſum privilegium, ut ab omni Hæretica labe ſemper fuerit alieniſſima, illique ſemper reſtiterit. In *Hieroſolymitano* Patriarchatu, Eutichius, Irenæus, & Hilarius *Ariani* ſederunt. In *Antiocheno*, Paulus Samoſatenus *Hæreſiarcha*, & aliqui *Monothelitæ*. In *Alexandrino*, Georgius & Lucius *Ariani*. In *Conſtantinopolitano* Macedonius, Neſtorius, & Sergius, *Hæreſiarchæ ſederunt*. *Romanæ* autem *Eccleſiæ* illa fuit perpetua gloriatio, de qua ſcribit Agatho, in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, quæ in ſexta Synodo Conſtantinopolitana,

politana, Actione quarta fuit perlecta, & poſtmodùm ab omnibus approbata in Actione octava. *Hæc eſt* (inquit Agatho) *vera Fidei regula, quam & in proſperis & in adverſis vivaciter tenuit & defendit, hæc* Spiritualis *Mater veſtri tranquilliſsimi Imperii, Apoſtolica Chriſti Eccleſia: quæ per Dei Omnipotentis gratiam, à tramite Apoſtolicæ Traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec Hæreticis Novitatibus depravata ſuccubuit; ſed ut ab exordio Fidei Chriſtianæ percepit ab Authoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata Fide permanſit, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam ſuorum Diſcipulorum Principi in Sacris Eccleſiis fatus eſt:* Petre, Petre (*inquiens*) ecce Satanas expetivit vos, ut cribaret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua. Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. Cõſideret *igitur veſtra trãquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, qui Fidem Petri non defecturã promiſit, confirmare eum Fratres ſuos admonuit. Quòd Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædeceſſores, ſemper feciſſe, cunctis eſt agnitum.*

Theodoretus in Epiſtola ad Renatum Præsbyterum: *Tenet* (inquit) *Sancta iſta Sedes* ROMANA, *gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum; quum propter alia, tùm quia ſemper Hæretici fœtoris expers permanſit. Atque ea cauſa fuit cur Orientales Epiſcopi Sanctiores in rebus Fidei atque in perſecutionibus, quas ab Imperatoribus & à Græcis patiebantur, ad Romanos Pontifices confugerint; Sanctus Athanaſius ad Iulium, Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ad Innocentium primum, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum & cæteri. Quamobrem literis à Romanis Pontificibus acceptis, ſuas Sedes recepêre: & quanta eſſet à Chriſto Succeſſoribus Petri collata poteſtas, re ipſâ monſtratum eſt.*

Irenæus capite tertio, *Quoniam valdè longum eſt omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem,*

per ſucceſſiones Epiſcoporum uſque ad nos pervenientem indicantes; confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter POTENTIOREM PRINCIPALITATEM, *neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique Fideles.*

Tertullianus in libro de Præſcriptionibus, *Si Italiæ adjaces; habes* ROMANAM, *unde nobis quoque authoritas præſto eſt ſtatuta. Fœlix Eccleſia, cui totam Doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profudêrunt.*

Sanctus Hieronymus Epiſtolâ ſeptuageſimâ ſeptimâ, *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini Tunicam & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit: & Chriſti vineam exterminant vulpes; ut inter lacus contritos qui aquam non habent, difficile ubi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: ideò mihi* CATHEDRAM PETRI, *& Fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam. Inde nunc animæ meæ poſtulans cibum, unde olim Chriſti Veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & interjacens longitudo viarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere.* Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. *Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta Patrum ſervatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fœcunda Dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hîc obruta ſulcis frumenta in lolium avenaſque degenerant.* Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa & argentea; hîc teſtacea vel lignea, virgam ferream & æternum operiuntur incendium. *Quamquam igitur tui me terreat magnitudo; invitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à Paſtore præſidium ovis flagito. Faceſſat invidia. Romani culminis recedat ambitio. Cum Succeſſore Piſcatoris & Diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, Communione conſocior. Super illam Petram, ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arcâ Noé non fuerit, peribit regnante diluvio.* Non novi Vitalem: Meletium *reſpuo; ignoro Pau-*

kinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Anti-Chriſti eſt. Et paulò poſt: *Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Hæc Hieronymus.

Denique Calvinus libro quarto Inſtitutionum capite ſexto, Sectione decimâ ſextâ, paginâ 409. impreſſionis in folio per Robertum Stephanum 1559. ſic ait: *Hoc primùm præfari volo, me non negare quin multùm Romanæ Eccleſiæ ubique deferant Veteres, reverenterq́; de eâ loquantur.* Si multùm ubique ROMANÆ ECCLESIÆ DEFERANT VETERES, cur ipſe Calvinus Calvinianique omnes non ſolùm non deferunt; verùm etiam criminantur, calumniantur, impugnant? Si iidem VETERES REVERENTER DE EA LOQUANTUR; cur Novi ac Novatores Miniſtri tam irreverenter de eâ loquuntur, ut paſſim eam *Meretricem Babylonicam* vocitent: & nuper *Hamerſtedius* Pſeudo-Miniſter Trajectenſis, *putidum ſcortum & omnium ſcortationum Matrem* appellarit?

Quòd autem Romano Pontifici vera obedientia ſit præſtanda, vel inde convincitur, quod in Concilio Florentino Seſſione vigeſima quinta, definitum ſit *Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem, in univerſum Orbem tenere Primatum: eſſe totius Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem: ipſi in Beato Petro paſcendi, ligandi ac gubernandi univerſalem Eccleſiam, à Chriſto Domino plenam poteſtatem eſſe traditam.*

Decretum ſic refert Gennadius, *Præterea determinans Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem, in univerſum orbem Primatum obtinere, eundemq́ue eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, & ipſius Chriſti in terris Vicarium, Patrem & Magiſtrum omnium Chriſtianorum.* Clarum eſt vix differre à formâ in Florentini Actibus conſervata. Verba autem Gennadii refero, ut omni ex parte Decreti uniformitas pateſcat.

Definitio fuit his terminis concepta de utriuſque Eccleſiæ, id eſt Græcæ & Latinæ conſenſu. Neque quoad ſubſtantiam differt declaratio quam ultrò obtulerunt

Digitized by Google

Patres Græci;antequam hæc definitio utrimque diſcuſſa, Eccleſiæ Univerſali proponeretur. Hæc autem erat Declaratio. *Habeat Papa Privilegia ſua ſecundùm Canones, Dicta Sanctorum, Sacram Scripturam, & Acta Synodorum. Fatemur ipſum Summum Pontificem & Procuratorem, locumgerentem Vicarium Chriſti, Paſtorem ac Doctorem omnium Chriſtianorum, Regentem ac Gubernantem Dei Eccleſiam; ſalvis Privilegiis ac juribus Patriarcharum Orientis.*

Operæ-pretium me facturum eſſe putavi ſi hæc ſequentia adjungerem.

Quum Sereniſſimus Princeps ERNESTUS *Haſſiæ Landtgravius* in Calviniſmo educatus, eidem diutiùs inhæſiſſet ac adhæſiſſet; tandem ſingulari Dei gratiâ ad Catholiciſmum converſus, ſcripſit Epiſtolam *quinque Miniſtris prætentæ Religionis Reformatæ*, qui ſeſe *Pariſienſes Miniſtros* nuncupant. In qua judicioſiſſimus ille Princeps, atque in Controverſiis Fidei exercitatiſſimus, *viginti Obſervationes* ſeu *Reflexiones* lectu ſcituq; digniſſimas proponit.

Prima Obſervatio hæc eſt, Quòd ſola Eccleſia Romana hactenùs ab omni Schiſmate immunis fuerit. quotquot enim ſeparaverunt ſe, ab illâ utique Romanâ Eccleſiâ præciderunt ſemetipſas, Romana verò non ſe ab illis ſeparavit.

Secunda. Nemo jure poteſt objicere Eccleſiæ Romanæ, quòd ipſa poteſt cuicumque Adverſariæ ſuæ meritò opponere: videlicet, quòd ſi vera foret Religio quam profitetur, neceſſariò ſequeretur ejuſmodi Religionem per aliquot ſæcula fuiſſe Orbi penitus ignotam. Hoc eſt, non eſſe veram Eccleſiam; utpotè cujus perpetuam tùm viſibilitatem tùm puritatem curavit Deus tam perſpicuè in Scripturis Sacris prædicendam.

Tertia. Nullatenùs Eccleſiæ Romanæ poteſt attribui ulla Doctrinæ mutatio.

Quarta. Magna illa omnibus retrò ſæculis animarum Converſio, à Paganiſmo ad Chriſtianiſmum, juxta apertiſſimas Veteris Teſtamenti Prophetias, non alio Miniſterio peracta eſt, quàm Eccleſiæ Romanæ, & eorum qui ejus Communioni conſociantur.

Digitized by Google

Quinta. Eccleſia Romana ſupra cæteras omnes ſuis Principiis urget maximè neceſſariam inter Chriſtianos, Fidei & Cultus uniformitatem.

Sexta. In Eccleſia Romana maximè effloreſcunt fructus veræ Sanctitatis.

Septima. Quum Deus curaverit prædici veram unicamque Eccleſiam diffundendam *in omnem terram & in fines orbis terræ* : nulla Secta reperiri poteſt, cui diffuſio illa ſeu Catholiciſmus poſſit eo modo competere, quo deprehenditur conveniſſe Eccleſiæ Romanæ per omnes ſæculorum decurſus; imò in proximè elapſo ſæculo.

Octava. Eccleſia Romana ab omnibus Sectis & Hæreſibus fuit ſemper impugnata, nuſquam tamen & nunquam expugnata.

Nona. Eccleſia Romana contra tot irruentes caſus adverſos, ità Dei potentiſſimâ & clementiſſimâ manu præſervata, & protectione quâdam ſingulari fuit conſervata, ut quiſquis ad hoc maturè humiliterque reflexerit, neceſſariò fateri debeat *Dei digitum eſſe cum illa.*

Decima. Quemadmodùm Oceanus ſuos habet æſtus reciprocantes, ſic & ſuo modo Eccleſia. Quum enim vel Nationes vel Eccleſiæ particulares per Schiſma vel Hæreſim ab illius Communione deficiunt; tunc Deus aliunde ſupplet, ut hæc jactura reſarciatur.

Undecima. Eccleſia Romana nullam habet Doctrinam vel Fidei articulum, qui diſcrepet à Fide Patrum quinque priorum & puriorum Eccleſiæ ſæculorum.

Duodecima. In Eccleſiâ Romanâ perſtitit ſemper Miraculorum Donum.

Decima tertia. Meritò poteſt Eccleſia Romana de continuâ & nunquam interrupta Paſtorum ſuorum ab Apoſtolis, uſque ad hoc tempus ſucceſſione gloriari.

Decima quarta. Nihil credit Eccleſia Romana, nihilq; tenet, tanquam obligatorium aut qualitercumque neceſſarium, in quo non approbetur ejus doctrina, & etiam defendatur ab una vel alia Adverſariorum, dum invicem

inter ſe digladiantur; dempto articulo de Primatu Epiſcopi Romani.

Decima quinta. Nihil credit Eccleſia Romana, nihilq; tenet tanquam creditu neceſſarium, quod ulli contradictioni, ullivè abſurditati ſit obnoxium.

Decima ſexta. Eccleſia Romana ſola hactenus manſit in poſſeſſione Catholiciſmi, & quoad nomen ſeu titulum, & etiam quoad rem ipſam.

Decima ſeptima. Ad hoc facillimè reduci poſſunt quotquot Romanæ Eccleſiæ contradicunt, ut concedant eam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in qua poſſit quiſpiam ſalutem ſuam operari ac tandem aſſequi.

Decima octava. Quantumcumque à ſe diſſideant, ſibique invicem adverſentur quotquot Eccleſiam Romanam impugnant: in hoc tamen omnes conveniunt, ut ad eam oppugnandam ſimul conſpirent.

Decima nona. In omnibus Sectis Eccleſiæ Romanæ oppoſitis nihil aliud reperitur, quàm contradictio, inſtabilitas, & continua mutatio.

Vigeſima. Veteris Teſtamenti Prophetiarum ſeu prædictionum adimpletio, quod ad ſplendorem, gloriam, magnitudinem veræ Chriſti Eccleſiæ attinet, incomparabiliter melius competit Eccleſiæ Romanæ, ejusque Communioni, quàm cuivis alteri.

His Obſervationibus, ſeu Annotationibus, ſubdit Sereniſſimus Princeps Erneſtus hanc ratiocinationem.

Communio, Societas aut Eccleſia inter Chriſtianos, in qua hæc viginti Inſignia ſeu Notæ excellentiori ac eminentiori modo, ſimul & conjunctim præ reliquis aliis reperiuntur; eſt ſola, vera, unica Chriſti Eccleſia, neque de hoc poteſt rationabiliter dubitari. Atqui Eccleſia Romana eſt illa Communio, Societas aut Eccleſia inter Chriſtianos in qua hæc viginti Inſignia ſeu Notæ excellentiori ac eminentiori modo, ſimul & conjunctim præ reliquis reperiuntur. Ergo Eccleſia Romana eſt ſola, vera, unica Chriſti Eccleſia, neque de hoc poteſt rationabiliter dubitari.

Præmemoratas Annotationes ſeu Obſervationes quum

quum toto fere quadriennio habuiſſet *Carolus Drelincourt Miniſter Charentonienſis*, tandem Reſponſionem edidit, quam idem Sereniſſimus ac Eruditiſſimus Princeps, viginti ſex dierum ſpatio planè confutavit, edito Libello, typis *Ioannis Bronckart* Leodii impreſſo ſub finem anni 1663.

OPPOSITIO HÆRETICA.

Quæcumque objiciunt Adverſarii contra Eccleſiam Romanam, calumniæ ſunt & impoſturæ, more omnium Hæreticorum ab ipſis confictæ, millies repetitæ; ſed nuſqam & nullibi hactenus probatæ; prout oſtenſum eſt ſupra, in *Methodo Defenſiva* à pagina 318. ad 351.

Plauſibilius apud vulgus, ſed maximè apud dementatos Sectarios *commentum*, eſt fabula illa penes ipſos toties decantata, DE PRÆTENTA QUADAM JOANNA quam vocant PAPISSAM; & in qua volunt totam ſeriem ſucceſſionis Pontificum Romanorum fuiſſe extinctam. Sed non attendunt fieri non poſſe ut fœmina ſit Summus Pontifex, etiamſi millies eligeretur. Saltem huic ſatisfaciant Dilemmati: *vel fœmina poteſt eſſe Summus Pontifex vel non poteſt eſſe: Si poteſt eſſe, quid accuſant? Si non poteſt eſſe, cur dicunt fuiſſe?* Hoc idem de omnibus illis Pontificibus intelligendum eſt, qui vel aliquo vitio creati, vel in Schiſmate renuntiati ſunt Pontifices: eos nimirùm (donec res meliùs examinaretur) veros non fuiſſe Pontifices.

Addo *Græcos* poſt tentatum completumque Schiſma, *Latinis* ſemper infenſiſſimos fuiſſe; maximè autem Romanis Pontificibus, in quos omne virus acerbitatis ſuæ evomere conati ſunt; neque quicquam prætermiſerunt quod ad eorum infamiam augendam, Fidemque vel demendam vel diminuendam pertinere crediderunt. Nuſquam tamen hoc præmemoratum commentum objeciſſe leguntur: haud prætermiſſuri, ſi vel minimum ſaltem aut leviſſimum tanti convitii argumentum habuiſſent. Idque vel maximè quòd idem illis ipſis à Latinis exprobratum fuerit,

fuerit ; ut patet ex libro Leonis IX. capite vigeſimo tertio adversùs Michaëlem Patriarcham Conſtantinopolitanum. *Abſit* (inquit Leo) *ut velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitana Eccleſia contigiſſe; ut Eunuchos contra primum Sancti Nicani Concilii Capitulum paſſim promovēdo;* FOEMINAM IN SEDE PONTIFICUM SUORUM SUBLIMASSET ALIQUANDO. *Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileque facinus, etſi enormitas ipſius vel horror, fraternaq; benevolentia non permittit nos credere : conſideratâ tamen incuriâ veſtrâ erga Sanctorum cenſuram Canonum; quia Eunuchos, & aliqua parte corporis imminutos, non ſolùm ad Clericatum; ſed ad Pontificatum etiam indifferenter ac ſolemniter adhuc promovetis; fieri potuiſſe penſamus.*

An igitur tantum convitium illi æquo animo tuliſſent? an non regeſſiſſent (ſi quâ veriſimili ratione potuiſſent) & Romano Pontifici ſuam illam prætentam JOANNAM exprobraſſent ?

Denique, Quòd nonnullorum Pontificum Romanorum vitam, vel minus Chriſtianam, vel etiam pravam aut improbam, vel flagitioſam nobis opponunt : quid inde ſe conficere arbitrantur ? An fortè ſucceſſionem generationis Chriſti Domini, vel peccatrices mulieres, vel Idololatræ Reges auferre potuerunt ? Quid impurius, quid ſceleratius Judâ Iſcariote? Ipſius tamen deteſtanda proditio ac perfidia, ſucceſſionem in ejus locum non fruſtravit, ut patet Actorum primo. Si ſumma Judæ improbitas, & quâ fortè nulla major unquam fuit, ſortem Miniſterii ejus non evacuavit, ita ut ſtatim alius in ejus locum ſufficeretur ; quantò magis ſubſtitutionem in locum illius Apoſtoli pro quo oravit Chriſtus nominatim, & cui paſcendas Oves tantoperè commendavit, nulla unquam malitia poteſt auferre ?

Hæc ſufficiant Tyronibus, quibus potiſſimùm conſcripta ſunt, donec melius aliquid vel legant, vel ediſcant, vel per ſemetipſos inveniant.

Finis Methodi Probativæ.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

V*Iſis Teſtimoniis Theologorum qui hoc* Armamentarium Auguſtinianum R. P. BARTHOLOMÆI D'ASTROY *attentiùs legerunt & examinarunt; atque Chriſti Eccleſiæ utiliſſimum fore judicarunt, tum propter methodum clarè, diſtinctè & nervosè diſtributam; tum etiam propter Dogmata Fidei Catholicæ egregiè defenſa, & oppoſitas Hæreſes breviter, ſolidè & perſpicuè confutatas, hinc in ejuſdem* Armamentarii *editionem conſentimus. Datum Leodii hâc 4. Aprilis 1664.*

JO. ERNESTUS DE SURLET,
Canonicus & Vicarius Generalis Leod.

AVctor hujus Libri, quem inſcribit, *Armamentarium Auguſtinianum*, R. P. BARTHOLOMÆUS D'ASTROY, Ordinis Minorum Recollectorum S. Theologiæ Profeſſor emeritus, publicis Prædicationibus in Oppido Moſæ Trajectẽſi ex ſpeciali Miſſione Sereniſſimi Epiſc. Principis noſtri Leod. ac aliàs frequẽti cum Hæreticis Concertatione dudùm exercitatus, quadripertitâ Methodo adversùs eoſdem, Lectorem erudit, normâ ſeu praxi meorum Converſioni opportunè cöoperandi, luculenter exponit; præter SS. Scripturas, ipſis ferè S. Auguſtini verbis, aut potiùs oraculis, Romanam Eccleſiam viſibilem, infallibilem, atque indefectibilem Chriſti Sponſam, in eâque Apoſtolicæ Sedis principatum, & Miniſtrorum eius Divinam, legitimam & Hierarchicam Ordinationem; aliaque Orthodoxæ Fidei Dogmata firmat & aſſerit; Pſeudo-Reformatorum fraudes, calumnias, commenta atque impoſturas detegit ac refellit; quin etiam eorum principia ac regulas ſyllogiſticè retorquens, ceu propriis ipſarummet telis Hæreſes confodit atque revincit. Breviter, Operarii Eccleſiæ Chriſti, editione harum inſtitutionum, velut compendio quodam, in promptu habituri ſunt, unde ignorantes per Dei gratiam inſtruere, infirmos conſolidare, errantes in viam veritatis reducere, pertinaces ratiocinationum momento confundere ac ſuperare valeant. Ita cenſui hâc ultimâ Martii 1664.

REYNERUS PROENEN, S. Theologiæ Licentiatus, Examinator Synodalis, Collegiatæ Eccleſiæ S. Crucis Leod. Canonicus.

Digitized by Google

L*Iber iſte cui Titulus eſt* Armamentarium Auguſtinianum, *Auctore* R. *Patre* BARTHOLOMÆO D'ASTROY, *ſive argumentum ipſius ſpectes, ſive ſolidam ejus Doctrinam ex Præclariſſimi Doctoris Eccleſiæ* S. Auguſtini *libris hauſtam, cum doctiſſimis Auctoris Reflexionibus, &c. utiliſſimus & digniſſimus eſt ut typis mandetur, non ſolùm ad bonos mores edocendos, & veram Fidem Catholicam Romanam & Apoſtolicam tuendam, ſed etiam ad omnes Hæreſes hujus temporis debellandas. Datum Leodii* 4. *Aprilis* 1664.

IOANNES HENRICVS MANIGART,
SS. Theologiæ Licentiatus, Examinator Synodalis & Paſtor S. Remigii.

F. MICHAEL ANGELUS DE SAMBUCA, totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter & Servus, Dilecto nobis in Chriſto *Fratri* BARTHOLOMÆO D'ASTROY, *in Conventu noſtro Leodienſi Fratrum Minorum Recollectorum, Sacræ Theologiæ Lectori*, Salutem. Quum nobis ſufficienter conſtet de tuo zelo, doctrinâ & idoneitate; harum tenore facultatem tibi impertimur, ut quæ habueris edenda ad Fidei defenſionem, & Fidelium inſtructionem ac majus Eccleſiæ bonum; ea cures imprimi, obſervatâ Sacro-Sancti Tridentini Concilii formâ. Datum Toleti Vigiliâ Sanctiſſimæ Trinitatis 1658. in Conventu Sancti Joannis Regum ſub Comitiis generalibus Ordinis noſtri.

F. MICHAEL ANGELVS DE SAMBVCA,
Miniſter Generalis.

F. PETRUS ROCHE,
Secretarius Generalis.

Digitized by Google

Errata Typographica ſic corrige.

PAginâ 29. lineâ 1. lege ſic: *Neque ab illa creatura, quam præſcivit Deus non ſolùm peccaturam; ſed etiam in peccandi voluntatate permanſuram; abſtinuit largitatem bonitatis ſuæ, ut eam non conderet. Sicut enim melior eſt vel oberrans equus quàm lapis, propptereà non oberrans, quia proprio motu & ſenſu caret: ita eſt excellentior creatura quæ liberâ voluntate peccat; quàm quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem. Et ſicut corporum differentias contemplando, &c.*

Pag. 39. lin. 13. *in*, lege *ut*. Pag. 56. lin. 33. *indigetant*, lege *indigitant*. Pag. 82. lin. 24. *tam*, lege *tamen*. Ibid. lin. 34. *omnibus ſecura*, lege *omnibus de te ſecura*. Pag. 88. lin. 13. *ſcripta*, lege *ſcripta*. Pag. 131. lin. 4. *mari*. lege *mare*. Pag. 191. lin. 26. *fortita*, lege *ſortita* Pag. 212. lin. 4. *ſimilitudinem*, lege *ſimilitudinum*. Pag. 225. lin, 21. *Fdei*, lege *Fidei*. Pag. 248. l. 13. *Barromæus*, lege *Borromæus*. Ibid. lin. 6. à fine, *juguntur*, lege *junguntur*. Pag. 268. lin. 30. *delecta*, lege *dilecta*. Pag. 309. lin. 6. *convicit*, lege *convincit*. Pag. 319. lin. 21. *Meloch*, lege *Moloch*. Pag. 327. lin. 12. à fine *ſit*, lege *ſic*. Pag. 335. lin. 16. *retuum*, lege *rituum*. Pag. 354. lin. 33. *ego*, lege *ergo*. Pag. 373. lin. 31. *incumbuit*, lege *incumbat*. Pag. 377. lin. 8. *Apoſtolicos*, lege *Apoſtolos*. Pag. 404. lin. 22. *repræſentarat*, lege *repræſentabat*. Pag. 408. lin. 24. *habebant*, lege *habebat*. Pag. 412. lin. 3. *undecimo*, lege *tertio*. Pag. 544. lin. 15. *quia*, lege *quâ*. Pag. 536. lin. 2. *proprius*, lege *propiùs*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google